6
34 M
32

F. GVNDISALVI DELA CERDA, ORDINIS MILITIÆ DE ALCANTARA, PHILIPPI. II. HISPANIARVM REGIS. CATHOLICI, A SACRIS,

COMMENTARIA IN EPISTOLAM. D. PAVLI APOSTOLI, AD ROMANOS.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VLYSSIPONAE,

EX OFFICINA ANTONII RIBERO, CATHOLICÆ MAIESTATIS TYPOGRAPHI.

1583.

CVM PRIVILEGIIS.

F. GVNDISALVI DELA CERDA, ORDINIS MILITIÆ DE ALCANTARA, PHILIPPI. II. HISPANIARVM REGIS .CATHOLICI, A SACRIS,

COMMENTARIA IN EPISTOLAM .D. PAVLI APOSTOLI, AD ROMANOS.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VLYSSIPONAE,

EX OFFICINA ANTONII RIBERO, CATHOLICÆ MAIESTATIS TYPOGRAPHI.

1583.

CVM PRIVILEGIIS.

APROBAÇAM DO REUEDOR.

EGO Frater Bartholomæus Ferreira ſacræ Theologiæ magiſter, ſanctæ Inquiſitionis deputatus, & Librorum cenſor, de mandato illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi Archiepiſcopi Vliſſiponenſis, Luſitaniæ Inquiſitoris Generalis digniſſimi, examinaui has lucubrationes ſuper Diuum Paulum ad Romanos, per F. Gundiſaluum de la Cerda Doctorem, concinnatas: & aſſero, ſingulari eruditione eſſe ſcripta omnia, ac proinde digniſſima, quæ in publicam vtilitatem excudantur. Orthodoxa enim ſunt quæ docet. Nec aliquid habent quod bonis moribus aduerſetur.

Frater Bartholomæus Ferreira.

Licença do Conſelho geral da S. Inquiſiçam.

¶VISTA a informação do Padre Reueedor, podeſe imprimir: & depois de impreſſo tornara a eſta Meſa hum dos nouamente impreſſos com o original, pera ſe conferir com elle, & ſe lhe dar licença pera correr. Em Lisboa ao primeiro de Iunho, de. 82.

Paulo Afonſo. Iorge Sarrão. Antonio de Mendoça.

Licença do Ordinario.

¶AVTHORITATE Ordinaria, dou licença que ſe imprima eſte Liuro. Em Lixboa a xxj. de Ianeiro, de 1583.

Christouão de Matos.

EV EL REY faço ſaber aos que eſte aluará virem, Que auendo reſpeito ao que na petição atras eſcrita diz o Doctor Gonçalo de la Cerda meu Capelão, & por lhe fazer merce, ey por bem & me praz, que por tempo de dez annos imprimidor algum, nem outra peſſoa de qualquer qualidade que ſeja, não poſſa imprimir, nem vender em todos meus Reinos & ſenhorios, nem trazer de fora delles o liuro que ora tem compoſto que ſe intitula Commentarios na Epiſtola de Sam Paulo aos Romanos, de que na dita petição faz menção, que diz que ora quer imprimir, ſaluo aquelles liureiros & peſſoas que para iſſo teuerem ſeu poder & licença. E qualquer imprimidor, liureiro, ou peſſoa, que durando o dito tempo, imprimir, ou vender os ditos comentarios nos ditos meus Reynos & ſenhorios, ou os trouxer de fora delles, ſem licença do dito doutor Gonçalo de la Cerda, perdera pera elle todos os volumes que aſsi vender, imprimir, ou de fora trouxer, & alem diſſo encorrera em pena de cincoenta cruzados, ametade para minha camara, & a outra ametade para quem accuſar. E mando as juſtiças, a que o conhecimento diſto pertencer, que cumpram & guardem eſte aluarà como ſe nelle contem. O qual ey por bem que valha como carta feita em meu nome & per mĩ aſsinada, ſem embargo da Ordenação do ſegundo liuro, titulo vinte, que diz, que as couſas cujo effeito houuer de durar mais de hum anno, paſſem per cartas, & paſſando per aluaras não valhão. Pero da Coſta o fez em Lisboa, a xviij. de Iunho, de Mil & Quinhentos & oitenta & dous.

REY.

SERENISSIMO ALBERTO ARCHIDVCI

AVSTRIÆ, AC. S. R. E. PRÆSBYTERO CARDINALI,
F. GVNDISALVVS DE LA CERDA, ORDINIS MILITIÆ
DE ALCANTARA, PHILIPPI. II. HISPANIARVM
REGIS CATHOLICI, A SACRIS.
FOELICITATEM.



ETSI multi doctiſsimi, & ſanctiſsimi viri, Sereniſsime ALBERTE, D. Pauli Epiſtolas, ſuis Cõmentarijs illuſtrarunt, tamen ingẽti meo, erga D. Pauli lectionem deſiderio, non adhuc planè, ſatisfecerunt. Diffiteri enim nequeo, quod me ſæpius, & ſermonis ipſius quaſi peregrinitas, & rerum difficultas, ab eius lectione auerterit, quàquam ab vberrimo fructu, quem ex eo percipere poteram, non opportebat vllis incommodis deterreri. Quapropter, huic faſtidio, vel deſperationi potius, meo labore ſtudens ſuccurrere, quæ apud viros ſapientiſsimos erant diſperſa, de-

legi, collegiq; , quibus, vel in hanc quam ſcripſit ad Romanos Epiſtolam, diuino auxilio fretus, iuſtum ederem Cõmentarium, quod ſolùm mihi metipſi compararem, vt ſcilicet quocũq; lubitum eſſet, circumferrem, & vt mecum hic noſtræ religionis ANTISTES, dilucidè, familiariterq; videretur confabulari. Hoc igitur vtcũq; peractum, non potui non familiaribus quibuſdam, eximiæ quidem virtutis, & doctrinæ viris, communicare. Porrò, ipſi poſtquam id perſpexerunt, ſuaſere mihi, atque in animum induxere, vt id in lucem ederem. Itaq; me retractantem, ac reluctantem, vt id facerẽ impulerunt. Aiebant enim, neminem ſibi ſoli natũ eſſe, nec oportere lucernam accenſam ſub modio, ſed ſuper candelabrũ ponere, vt luceat omnibus qui in domo Dei ſunt. Me autem hoc, vt verum fatear, deterrebat. verebar enim, ne multorum iudicium, hoc mihi, nimiæ audaciæ, temeritatiq; tribueret, quod nullis eruditionis ornamentis excultus, poſt tot viros ſapientes, ingenijsq; præſtantibus præditos, operi adeò ſublimi, manum admouere, cogitaſſem. Sed tamen ſpes gratiæ altitudinis tuæ, cui dicatum hoc opus volumus, audacem me fecit, quod ampliſsima nominis tui dignitate, & autoritate, me tutum à cuiusuis iudicio, & dente, fore putaui. Ac ſanè meritò altitudini tuæ, nos hæc Cõmentariola dicamus, quippe cũ omnium bonarum artium, tum ſacrarum litterarũ ſtudioſiſsimus es, ac ſupra ætatem doctiſsimus, doctorumq; hominum, maximus patronus, verusq; Mœcenas. Digniſsimus de quo, & propter ſummũ generis ſplendorem, & propter ſingulares animi virtutes, & propter mirum in litteratos ſtudiũ, ſemper omniũ linguæ, & ora loquãtur. Quæ quidẽ Cõmentariola cognoſces, ex plurimorũ autorũ lectione collecta, in elucidationem Epiſtolæ ad Romanos, quæ & ordine & dignitate, cæteris antecellit. Tu illa nunc, pro tua ſingulari benignitate, & clemẽtia ſuſcipe. Annuente enim Deo, progrediar vltrà, ſi ſenſero libellum hũc, & læta fronte abs te acceptũ, & alacri ſtudio perlectũ. Atq; hoc etiam laboris mei fœliciſsimũ auſpiciũ eſſe ducã, præmiũq; mihi abũdè perſolutũ, ſi Paulus, primùm tibi, deindè per te cæteris ſit deinceps aliquanto cõmendatior, aut certè familiarior, quibus & commendatiſsimum, & familiariſsimum eſſe, par eſt. Bene valeat tua altitudo.

ARGVMENTVM IN EPISTOLAM. D. PAVLI APOSTOLI, AD ROMANOS.

INTER Gentiles & Iudæos ad CHRISTI fidem conuerſos, qui Apoſtolorum tempore agebant Romæ, conſtat fuiſſe periculoſas factiones, & odioſas contentiones. Quandoquidem alij aliis præferri volebant. Iudæi enim patribus ſuis peculiariter factas promiſſiones de Chriſto IESV adducentes, Gentiles contemnebant. Hi verò econtrariò, ingratum & immemorem, ſimulque incredulum animum, Iudæis in exprobationem obijciebant. Rurſum Iudæi Moſi legem ad ſalutem neceſſariam, etiam in Chriſtum credentibus, aſſerebant. Gentes à Petro (vt par eſt credere) aut à quouis alio pio homine inſtituti, aſſeuerabant antiquatas eſſe ceremonias, ac legem euanidam. Qua quidem lege cum tantopere gloriarentur Iudæi, ipſi contrà, ſuam oſtentabant philoſophiam, per Ciceronis, aliorumque doctiſſimorum vigilias, à Græcis ad Romanos allatam. Quæ cum Sapientiſſimus Paulus audiſſet, graui & iniquo animo ferens, tantam inter eos eſſe diſcordiam, ſcripta hac Epiſtola à Corintho, vehementer cupit eorum contentionem dirimere: quam quidem ſingulari ac diuina arte contexens, nunc hos, nunc illos increpans, ac interdum etiam mulcens, ad Chriſti fidem modis omnibus, & ad mutuam beneuolentiam, Chriſtianam religionem pellicere conatur. Neque enim vult, ſi fieri poſſit, quemquam omnino mortalium perire ſuo duci, ideſt, Chriſto. Itaque & vtroſque obiurgat, & vtroſque rurſus erigit ac ſubleuat. Gentium ſupercilia deprimit, oſtendens nihil illis profuiſſe neque naturæ legem, neque philoſophiam cuius profeſſione tumebant, quominus in omne ſcelerum dedecus prolaberentur. Rurſum, Iudæorum arrogantiam cohercet, qui legis fiducia perdidiſſent id quod erat totius legis caput, fidem in CHRISTVM IESVM. Docens Legis ceremonias antiquatas eſſe iam coruſcante Chriſti Euangelio, quem legis vmbræ delinearant. Vtrique igitur genti demonſtrat ex ſua conditione ſalutem non eſſe, ideſt, Iudæis ex ſuo Iudaiſmo, neque Gentibus ex ſua gentilitate, ſed omnes

debere

debere peccatorum remiſsionem, & veram quæ coram DEO eſt, iuſtitiam, per gratiam DEI, ex fide IESV CHRISTI expectare: & in Euãgelij negotio omnes qui credunt, pares eſſe quantum ad ſalutem, ita vt deinceps nemo debeat ſe aduerſus alium extollere tãquam dignior qui ad Chriſti fidem admittatur. Porrò cum eos ad mutuam animorum concordiam exhortatur, exemplum membrorum corporis, quæ quidem ad tuendam hominis ſalutem conſpirant, addúcit. Poſt hæc varijs ſalutationibus Epiſtolam concludit. Atque hoc quidem totius Epiſtolæ caput eſt. Veruntamen quo clarior illa fiat (nam obſcuritatibus eſt plena) ſingulis capitibus, ſua quoque argumenta præponam. Candidè legat qui cupit inteligere, & ſapientiam Pauli deguſtare.

(:: ❧ ::)

LAVRENTII PACENSIS EXASTICHON, IN HÆC D. PAVLI COMMENTARIA.

QVI Studio flagras pietatis, & aurea PAVLI
Eloquia, obſcuri credis habere aliquid:
Hæc lege quæ ſcripſit, longè doctiſsimus Author,
Obſcuri inuenies, doctus haberi nihil.
Tam clarè illuſtrant, hæc præuia lumina Paulum;
Quam noctis tenebras, Sole Oriente dies.

EPISTOLA DIVI PAVLI APOSTOLI AD ROMANOS.

ARGVMENTVM PRIMI CAPITIS.

A SALVTAtione incipiens, diuinus Apoſtolus, Romanorũ fidei congratulatur, ſuã in illos beneuolentiam commemorat, euangelij virtutem manifeſtat: philoſophos arguit propter nimiam eorum erga Deum ingratitudinem, omnis idololatriæ fontem & caput, in quam prolapſi, per omnia flagitiorum genera volutati, computreſcti ſunt tanquam iumenta in ſtercore ſuo.

CAPVT PRIMVM.

PAVLVS ſeruus Ieſu Chriſti, vocatus Apoſtolus, ſegregatus in euangelium Dei (quod ante promiſerat per prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis) de filio ſuo, qui factus eſt ei, ex ſemine Dauid, ſecundum carnem, qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute, ſecũdum ſpiritum ſanctificationis, ex reſurrectione mortuorum, IESV CHRISTI Domini noſtri, per quem accepimus gratiam et apoſtolatum, ad obediendum fidei in omnibus gẽtibus, pro nomine eius, in quibus eſtis & vos vocati IESV CHRISTI, omnibus qui ſunt Romæ, dilectis Dei, vocatis ſanctis, gratia vobis & pax, à Deo Patre & Domino noſtro IESV CHRISTO.

EXPLANATIO.

1 PAVLVS.) Cõſuetudo fuit Iudæis, nominibus nõnunquam appellari illarum gentiũ quibus ſeruiebãt, aut Græcorũ, vt de Iaſone, & Menelao ſcribitur in libris Machabæorum, *D.Tho.*
aut etiã Romanorum: iis præcipuè qui ciues fuiſſent Romani, qualis, vt cõſtat, *2.Mac. 4.*
natus fuit Paulus: quod quidem nomen, celebre fuit apud Romanos, & idcirco Apoſtolus, Saulus propter legẽ, & propter honorem ciuitatis, Paulus nuncupatus eſt: ſed hoc tamen nomine non videtur vſus, niſi poſtquam cœpit gentibus prædicare. Binomius ergo fuit Apoſtolus, iuxta illud, Saulus qui & Paulus: illud Hebraicè, hoc vero Latine: & ſicut in Iudaiſmo, nomen plurimũ vſurpauit Sauli, ſic poſtea in Chriſtianiſmo, nunquam ſe niſi Paulum appellare viſus eſt: tum, vt Hebræo nomine vnà cum lege reiecto, Chriſtianum ſe vbiq; de nomine prædicaret: tum etiam, quia Romanis, quibus ſcribebat, ea ſuauior (vt dictũ eſt) habebatur talis nominatio: pari modo etiam dici poteſt de Ioanne qui cognominatus eſt Marcus, ideſt, ſimul nominatus, non enim (vt creſ'o) Marcus, cognomen erat, ſed nomen, vt cum nomine Hebræo, quod dimiſit, habuerit ſimul & Romanũ, Marcus, quod retinuit: ſimiliter dicendum videtur de Leui, & Mattheo. *Aug.* *Act.13.* *Act.12.*

2 *Seruus IESV CHRISTI.*) à ſeruo, inquit Hieronymus, cœpit, exemplum nobis humilitatis oſtendens, quaſi immitator eius qui exaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens, & humiliauit ſeipſum, factus obediẽs vſque ad mortem, propter quod & Deus illum exaltauit: & omnes quidẽ ſerui ſumus Ieſu Chriſti: tum, quia redemit nos ſanguine ſuo: tũ etiam, quia ſaluberrimis inſtitutis gubernat nos: eſt ſanè ingens dignitas, cum *Hiero.*

Chriſtus ſit noſtra perfectio, ſeruos eſſe illius, quia tanto aliquid eſt perfectius, quanto plus ſuæ perfectioni ſubijcitur, ſicut corpus animæ, aër luci, creatura creatori. Subijciamus ergo nos IESV Chriſto, non coactè, quaſi ſerui timoris, ſed ſpontanè, tanquam filij liber- *Rom. 8.* tatis euangelicæ: non enim accepimus nos Chriſtiani, ſpiritum ſeruitutis, iterũ in timore, vt olim Hebræi, ſed accepimus ſpiritum adoptionis filiorũ, in quo clamamus abbá pater. Subijciamus nos Ieſu Chriſto, qui eſt ſalus, potentia, ſan- *1. Cor. 1.* ctitas, & ſapiẽtia noſtra: hoc enim preſefert nomẽ Ieſu Chriſti. Ieſus enim Saluator interpretatur, Chriſtus verò vn- *Luc. 1.* ctus: ſaluauit Chriſtus populum ſuum à peccatis eorum: & vnctus fuit vnctio- *Pſ. 44.* ne gratiæ Spiritus ſancti, præ participibus ſuis. vngebãtur autem olim in lege, Reges, ſacerdotes, & prophetæ, Reges ad poteſtatẽ: ſacerdotes, ad ſanctitatẽ: prophetæ, ad cognitionem deſignandá, quæ illis dabatur à Deo: quibus vtique vnctionibus, vẽturi Chriſti præſignabãtur munera: vnde, quod Græci Chriſtus, Latini, vnctus, id Hebræi dicebant Meſſias. Fuit igitur Dñs Ieſus, quatenus homo, vnctus præ participibus ſuis, oleo inuiſibili, gratiæ Spũs ſancti, primo quidem in Regem, non vt Rex, quocunque modo, ſed vt Rex regum, & Dñs dominantium, poteſtatem habens ſuper oĩa, in cœlo, & in terra, & ſubtus terrá. fuit vnctus in ſacerdotem, non legis Moſaicæ, nec ad tempus, nec ad ſanctitatem limitatam, ſed vt ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech, & vt ſanctus ſanctorum, fonsq́; totius puritatis. Fuit vnctus ad ſapientiam, non vt cæteri prophetæ, ſed vt magiſter. & pater omnium prophetarum. in inſtanti enim ſuæ ſanctiſsimæ cõceptionis in vtero virginis clauſus, fuit vir perfectus, aſſumptus à verbo in eãdem perſonã, anima eius beata, & vidit Deum clarius, omnibus beatiſsimis Angelis.

3. *Vocatus Apoſtolus.*) Vſurpatiſsimi fuit in veteri teſtamẽto, vt qui ad munus aliquod obeundum, aſſumebantur à Deo, dicerentur vocati, vt conſtat ex eo quod *Eſai. 48.* in Eſaia dicitur, Audi me Iacob, & Iſrael quem ego voco, quod alij transferunt, vocate mi: item, Dñs ab vtero vocauit me: & Paulus, conuerſos ad fidem, appellat vocatos, vt ibi, Vocatis Ieſu Chri- *1. Cor. 1.* ſti, & vocatis ſanctis, &, ipſis aũt vocatis, *Soph. 1.* Iudæis atque Græcis. item Sophonias Propheta, ſanctificauit, inquit, vocatos ſuos. ex quo loquendi modo ſcripturæ, ſancti vſurpant ſermonem illum, Bernardus vocatus, Abbas: Anſelmus vocatus epiſcopus: ideſt, ſine meritis proprijs, vocatione Dei: cui ſucceſsit, & quod nũc eſt in vſu, Gregorius miſeratione diuina, Papa. 3. ſic igitur (Paulus, vocatus apoſtolus) ideſt, ad apoſtolici muneris functionem, vocatus, ideſt non natus, vt ciuis natus Romanus, nec hereditario iure, nec ex legis meritis, ſed ſola Dei vocatione inſtitutus.

Facit hoc ad authoritatem Pauli, contra falſos apoſtolos, negantes ipſum nõ eſſe electum à Chriſto, ex quo ratio apoſtoli conſtat, atque adeò non fuiſſe eius reuelationibus imbutum: ſed hoc refutat dũ ait, vocatus apoſtolus, ac proinde lumine diuinæ ſapientiæ illuſtratus, & fauore cœleſti adiutus, ad munus ſibi cõmiſsũ rectè, integrèq; obeundum.

Fuit autẽ vocatus Paulus à Chriſto domino, non vt alij apoſtoli, quos elegit & vocauit, dum adhuc in natura mortali viueret, ſed iam cœlo receptus, neque muta ſorte, vt Mathiam, ſed fulgentior ſole apparens ei, viua voce, proprio, geminatoq́; nomine, Saule Saule, vocauit eum: quod vtiq; ad cumulum authoritatis ipſius facit.

4. *Segregatus in Euangelium Dei.*) quàm eleganter his duabus vocibus exponit duas præcedẽtes: nam quod dixerat vocatus, exponitur per (ſegregatus) ideſt, abſq; vllis meritis altiſsimo Dei cõſilio ex mortaliũ genere ſelectus: quod antẽ (dixit apoſtolus) id per euangelicam fũctionem deſcribit: dum ait (*in euangelium Dei*) quo quidem verbo, iuxta Chry- *Chryſoſt.* ſoſtomũ, functionem ſuam, ſupra prophetarum vaticinia cõmendat. nam cũ euangelium, idem ſit, quod bonum fauſtumq́; nũtium, euangelium Dei (à quo nihil niſi eximium promanat) eſſe non poteſt niſi optatiſsimum, & quod huma-

nas

nas mentes, ſui nominatione ſurſum rapiat: magnam ergo ſecũ affert maieſtatem, nominatio ſola euangelij Dei, ad quod fuit Paulus ſegregatus. tria autem ſunt apoſtoli munia, nempe, euangelium promulgare, idq; ſpiritu prophetico: deinde, miraculis doctrinam cõfirmare, ac demum, euangelij profeſſores gubernare: has omnes functiones complectitur dum ait (*ſegregatus in Euãgeliũ Dei.*) non dicit in particulari, ad prædicandũ euangelium, quod eſt vnum particulare officium, ad apoſtolorum quoq; ſucceſſores deriuatum, ſed ſimpliciter dicit, in euangelium Dei, vt omnia apoſtoli amplectatur officia.

Videtur etiam his verbis alludere ad ſectam phariſæorum, quam tunc in iudaiſmo profitebantur. à vitæ enim inſtituto, & veſtitus delectu, quo à vulgò erant differentes, potiſsimè tamen quia legi meditandæ, erant ſegregati: dicebãtur phariſæi: Quemadmodum religioſi, ex Cice- *Cicero.* ronis ſententia, à relegendo dicti ſunt, vtpote quibus incumbit, legem & philoſophiam relegere, qua vulgi mores componant. alludens igitur ad hoc, inquit, (Paulus) non iam Saulus turbulentus, ſed Paulus humilis, & pacificus, nuper legi Moſaicæ obnoxius, nũc verò Moſi libertus, ſeruus factus Ieſu Chriſti, haud equidẽ per fuga, deſertorue priſtini inſtituti, ſed nouo miraculo de cœlo accerſitus, ad apoſtolatus officiũ, ac fœlicius ſegregatus, quàm eram, cum phariſaicæ factiones propugnator, impiè pius, & indoctè doctus errarem: ſed nũc demũ, verè Phariſęi dignus cognomine, quippe ſemotus ſelectusq; ab ipſo Chriſto, ad obeundum negotium longè præclarius: nempè ad prædicandum euangeliũ Dei, idq; miraculis confirmandum, illiusque profeſſores moderandum.

5. *Quod antè.*) Quinque modis cõmendat euangelij authoritatem, primò ab antiquitate, dum ait, (*quod antè,*) & facit contra paganos, euangelio detrahen- *D.Th.* tes, vt ait D. Tho. quaſi poſt longa tempora, ſubitò eius prædicatio eſſet exorta, ſed ad hoc repellendum, dicit, (*quod antè*) nam licet ex tempore certo, prædicari inceperit, antè tamen prænunciatũ fuit diuinitùs: & non ſolum paganorũ, ſed etiam omnium hominum ingenium eſt, vt quæ noua ſunt, & de improuiſo exorta, figmenta eſſe credamus: ea verò quæ iam olim fuerunt, diuinis præſertim oraculis prædicta, quoniam eorum expectatione tenebamur, facile recipimus, idcirco clementiſsimus Dñs, poſtquàm ſuam diſcipulis mortem, & à mortuis reſurrectionẽ prædixerat, hoc nũc, inquit, prædixi vobis, priusquam fiat, vt cum factũ fuerit credatis: & beatus Pe- *Act. 13.* trus Apoſtolus, quò plus fidei, & authoritatis dictis ſuis aſtrueret, nos vobis, inquit, annunciamus eam, quæ ad patrès noſtros, repromiſsio facta eſt. hac ergo de cauſa omnipotens Deus, tot ante ſecula, mittendum à ſe in carne filiũ, pollicitus eſt mundo, nimirum vt tãto myſterio percipiẽdo, ſeſe homines fide exercentes, præpararent. quoniam ſi extemplò nos imparatos inueniſſet, magno opus eſſet negocio, antequã à nobis reciperetur. Deinde cum dicit,

6. *Promiſerat.*) Commendat euangeliũ ex eius firmitate & infalibili veritate. nam cum ſit Deus (omnibus etiam philoſophis aſſentientibus) immutabilis naturæ, non potuit non ſeruare promiſsi fidem: & cũ nec fallere poſsit, nec falli, nequit eſſe illud quod reuelauerit, niſi firmæ, indubitatæq; veritatis. Terciò cum dicit,

7. *Per Prophetas ſuos.*) Commẽdat euãgelium ex dignitate miniſtrorũ, quibus antè fuerant reuelata quæ ſunt completa circa verbum incarnatum. Vnde per Amos dicitur, non faciet Dñs verbum, *Amos. 3.* ſcil. incarnari, niſi reuelauerit ſecretum ad ſeruos ſuos Prophetas: & in Actis A- *Act. 10.* poſt. huic omnes prophetæ, teſtimoniũ perhibent: ſignanter autem dicit, *ſuos,* quia, ſicut ait D. Tho. ſunt aliqui pro- *D.Th.* phetæ, ſpiritu humano loquẽtes, iuxta illud Hieremiæ, viſionem cordis ſui lo- *Hier. 23* quuntur, non de ore Dñi. & ad Titum: *Tit. 1.* dixit quidam ex illis, proprius illorum propheta. ſunt etiam quidam dæmonũ prophetæ, qui immũdo ſpiritu inſpirantur, quales fuerũt, quos interfecit Elias. *3 Re. 18* Prophetas autem ſuos, vocat Apoſtolus Prophetas Dei, quibus in aurem arcana

ſua ſugerebat Deus, quæ ceu ſuo ipſius
ore euulgerent: & quanuis gentilibus
fuerunt nonnulla de Chriſto myſteria, à
ſuis Sybillis decantata, extarentq; nõ-
nulla venturi præſagia (qualis erat illa
Athenis ſuperſcriptio, ignoto Deo) erãt
tamen, rara hæc teſtimonia, exiliaq; , &
inferiora, quàm vt illis Apoſtolus, diui-
nam authoritatem, cõfirmaret. Quartò
cum dicit,

8. *In ſcripturis ſanctis*) Cõmendatur euã-
gelium, ex modo quo traditum eſt, quia,
non ſolum fuit verbo editum, ſed & li-
teris mandatum, tanquam res magna &
præclara. non enim vt inquit D. Th. cõ-
D. Th. ſueuerunt ſcribi, niſi magna, quæ ſunt
memoria digna, & quæ opportet ad po-
Aug. 18. ſteros deuenire: & ideò, vt inquit Aug.
de ci. dei. tũc inceperũt ſcribi prophetiæ de Chro
per Eſaiam, & Oſeam, quando Roma eſt
edita, ſub cuius imperio Chriſtus erat
naſciturus, & fides eius gentibus prædi-
căda. Addit autem (*ſanctis*) ideſt, inte-
gris, puris, & incorruptis, ad differen-
tiam ſcripturarum gentilium, quæ non
ſunt niſi humanæ, vtpote quarum, ſolus
homo eſt author, ac proinde poſsũt eſſe
falſæ, ſeu ambiguæ: ſed ſcripturis ſanctis
nihil falſi, nec ambigui, eſſe poteſt com-
2. Pe. 1. mixtum. nam earum author, & conſerua-
2. Ti. 3. tor, eſt Spũs ſanctus, & ideò dicuntur &
ſunt diuinæ.

Obſerua hîc, miram ſapientiam Pauli,
authoritatem euangelij ita tuentis à ſu-
ſpitione, tam nouitatis, quàm antiqui-
tatis: nam quia noua, vana eſſe ſolent, à
vetuſtate cõmendat illud, dum ait (*quod
ante promiſerat.*) Sed quia tẽporis lõgin-
quitas multa ſolet pârere fabuloſa, teſtes
adhibet ſummæ authoritatis, quorum
oracula, nunc quoque extant, in libris
non quibuslibet, ſed ſanctis, inuiolatæq;
Aug. fidei, vt meritò dicat Aug. ſcriniarios no
ſtros eſſe Iudæos, Codicem portantes,
vnde Chriſtianus credat: nulla enim na-
tio, tantam vnquam adhibuit diligentiã
& curam, vt leges ſuas, integras, & incor
Ioſeph. li. ruptas ſeruaret, quàm Iudæorum gens.
de antiq. Nam Lacedẽmones, Athenienſes, Roma
Euſeb. li. ni, & Gẽtiles vniuerſi, leges ſuas, & ſcita,
3. in æs incidebant, quò eſſent, in ſancta
cuſtodia: ſed Hebræi, iuſſu quidẽ Dei,
in arca de lignis Sectim auro mundiſsi-
mo, intus & foris adornata, aureaq; mi-
cante corona, legem (vt quæ euangelio
datura erat teſtimonium) electis ex pri-
moribus, qui humeris eam baiularent,
ante caſtra præferebant: pro qua tuẽda,
vitam exponere erant paratiſsimi: hanc
poſtea in templo, intra ſancta ſanctorũ
reconditam, venerabantur.

At verò nũc ab Apoſtolorum tempore,
longè aliam curã habet Spiritus ſanctus,
vt iam, ſcil. abſq; corporeis illis inſtru-
mentis integram fidem ſcripturarum cu
ſtodiat per authoritatem eccleſiæ. Nam
iuxta D. Th. duo ſunt ad aſſenſum fidei *D. Th.*
neceſſaria, videlicet habitus intellectus *22. q. 6.*
quo inclinamur ad credendum ea, quæ
à Deo reuelata ſunt: Deinde, vt ipſa no
bis eadem proponantur, hoc eſt, indu-
bitatò conſtituantur, quæ nam ſint illa,
quæ ſunt reuelata. hæc autem duo non
in viribus humanis, nec angelicis, poſita
ſunt, vtrunq; enim eſt donum Dei ſupra
naturale, aliàs non poſſet in eccleſia, vna
conſtare fides. habitũ quidem, quo in-
clinamur ad aſſenſum fidei, Deus nobis
infundit: ſed authoritatem infalibilem
proponendi, quæ credenda ſunt, elargi-
tus eſt eccleſiæ, vbi Petrum vniuerſalem
paſtorem, & vicarium inſtituit, & vbi ait,
Ego rogaui pro te Petre vt non deficiat
fides tua. Hac autem authoritate, pro-
ponendi nobis fidem, dupliciter eccleſia
fungitur: primo quidẽ deffiniẽdo, hũc,
aut illum eſſe authorem diuinum, videli-
cet Paulum, Petrũ, Eſaiã, & huiusmodi:
deindè exprimendo hunc vel illum ſen-
ſum ex ſacra ſcriptura, decernẽdoq; illũ
eſſe de fide. propter primũ, eſt illa ſen-
tentia Augu. euangelio non crederem, *Aug. cõ*
niſi me eccleſiæ catholicæ. cõmoueret *tra epiſt.*
authoritas, quod eſt, niſi eccleſia mihi, *Manic.*
vt hoc eſſe euangelium crederem, iube- *c. 1.*
ret: non enim illius eſt ſententiæ Aug.
quòd Ioãnes, aut quiuis aliꝰ apoſtolorũ,
aliqua eccleſiæ authoritate indigeat, vt
fides ei certiſsima eſſet adhibenda, ſi mo
do conſtaret, hunc eſſe apoſtolum. Eſt
enim apoſtolis, ceu diuinis organis, au-
thoritas ipſius Dei, quibus proinde, etiã
ſi angelus de cœlo, aliud euangelizaret,
firmiſsima debetur fides, vt ait Paulus:
at

et quòd hæc ſit apoſtolica doctrina, aut
alterius cuiuſq; authoris ſacri, eccleſiæ
munus eſt pronunciare : in quo quidem
ipſa errare nō poteſt, vtpote quæ habeat
ſpūm, ſemper docentem omnem verita-
tem, quem filius Dei miſit à Patre, no-
biſcum in æternū permāſurum : ex quo
quidē firmiſsimè credimus, in ſcriptura
ſacra, nihil falſi inueniri poſſe, cum ſit à
Spiritu ſancto, cuſtodita, & conſeruata:
atque in hoc ſanè, optimè conſultum eſt
nobis diuinitus, quia vnū principiū fidei
eſt, hos quibus vtimur libros eſſe cano-
Aug. nicos : cuius rei gratia, vt ait Aug. neceſ-
ſaria fuit, publia eccleſiæ authoritas, cu-
ius dicto de hac re ſtandum eſſet. quin-
tò cum dicit.

9. *De filio ſuo.*) Commendat euangeliū
ex mirabili iocundiſsimaq́; materia, quę
ineſtimabilem ei confert dignitatem, &
ampliſsimam authoritatem dum ait, (*de
filio ſuo*) iam olim à ſe, promiſſo, multis
prophetarum oraculis, quæ nunc quoq;
extāt, in libris ſanctis, inuiolatæq; fidei.
Sic placuit clementiſsimo Patri, vt mun
dum in magnam ſpem venturi filij, mit-
teret, ingentiq; afficeret cupiditate vidē
di, quem maiori venientem alacritate, &
obſequio exciperent. Hoc enim ſignifi-
cauit nobis Dn̄s Ieſus, vbi dicebat, Mul
ti Prophetæ & iuſti, cupierunt videre,
quæ vos videtis, & non viderunt. Nec
immeritò id quidem, cum videre filium
Dei, carne noſtra indutum, ſit omnium
maximum miraculorum, cuius eloquiū
dulce, cuius pulchritudinem, Sol & luna
mirantur, & in quem etiam deſiderant
Angeli proſpicere. De hoc, inquit Pau-
lus, eſt euangeliū Dei, (*de filio ſuo*) ideſt,
D.Th. proprio & naturali, vt ait D. Tho. atque
Hilar. etiam Hilarius, Hic verus, inquit, & pro
prius eſt filius, origine, non adoptione,
contra Photinum : veritate, non nuncu-
patione, contra Sabellium : natiuitate,
non creatione, contra Arrium. Procedit
enim à Patre, ſicut verbū à corde, quod
pertinet ad eandem naturam, præſertim
in Deo, vt ait D. Th. in quo non poteſt
D.Th. aliquid accidentaliter aduenire: vnde &
Ioa. 10. ipſe ait, Ego & Pater, vnū ſumus: quod
dicit vnum, liberat te ab Arrio: quod di
Aug. cit ſumus, liberat à Sabellio, vt ait Aug.

De hoc igitur eſt Euangelium Dei, nēpe
de vnigenito Patris, qui ardentiſsimo
charitatis amore, venit in hunc mundū
ingratum, vt illius ſalutem, miris modis
operaretur in medio terræ, & vt eum do-
ceret, ſicut docuit, myſteriū profundiſsi
mum, Trinitatis, in cuius conſpectu, ve-
ra fœlicitas eſt. Docuit præterea, & alia
quamplura ſecreta cœleſtia.

Obſeruandum in hoc loco, euangelium
Dei, ſumi poſſe tripliciter, & vt ſcholæ
terminis vtar, ſumitur, largè, ſtrictè, &
ſtrictiſsimè. Primo modo, tota ſacra pa
gina, tam veteris, quàm noui teſtamenti,
dicitur euangelium Dei. In tota enī illa
agitur de Chriſto, ſiue venturo, vt in ve-
teri, cuius finis eſt Chriſtus: ſiue iam in-
carnato, vt in nouo teſtamento : vnde
& ipſe Dn̄s, Scrutamini, inquit, ſcriptu-
ras, illæ enim ſunt, quæ teſtimoniū per-
hibent, de me . & hoc ſecundo modo ſu
mitur, pro illa publica annūciatione, ex
diuina reuelatione, tam verbo, quàm
ſcripto facta, de Chriſto iam incarnato:
& ſic, ſolum teſtamentum nouum, dici-
tur euangelium, quod cōtinet, quatuor
euangelia, & epiſtolas ſanctorum apo-
ſtolorū &c. Qua quidē ratione, lex no-
ua, ſecernitur à lege veteri. Tertio modo
ſumitur, pro hiſtoria ipſa p̄ciſa Chriſti,
vſque ad aſcenſionem, & eius propria, de
ſeipſo, prædicatione : & ſic euangelium
ſecernitur, à reliqua parte, noui teſtamē
ti : ſcripta verò, aut prædicationes alio-
rum ſanctorū poſt Apoſtolos, quinimo,
nec eccleſiaſtica decreta, digna ſunt, no-
mine euangelij, quia non ſunt immedia
tè, reuelationes Dei, vti ſacer canō, etiāſi
fauore, & (quod aiunt) manutenentia
Spiritus ſancti, eccleſia Dei, errare ne-
queat.

10. *Qui factus eſt.*) à corporea Chriſti
humanitate, ad diuinitatem eius progre
ditur, vt ſeruaret ordinem noſtræ cogni
tionis, quæ iuxta philoſophū ſemper in-
cipit à ſenſu, & vt ait Chryſoſtomus, ab Chryſo.
Immis ad ſumma perduceremur Non
dicit genitus, vt ſuſpitionē tolleret, quòd
eſſet genitus humano more : ſed dicit
factus, vt ſignificantius explicaret incar
nationis myſterium, opus fuiſſe Spiritus
ſancti, abſque virili ſemine. Sed quid io-

cundius, quid præclarius, quid facilius,
poterat mundo contingere, quàm quod
ſempiternus, vnigenitusq; Dei filius, lu-
men de lumine, Deus verus, de Deo ve-
ro, per quem & facta ſunt omnia, idem
ipſe in tempore, propter homines verus
factus eſt homo, vt homines deos face-
ret? verè euangelium Dei eſt hoc, & ho-
minibus eſt euangelium Dei. Agnoſcát
ergo homines ſuam dignitatem, ac tan-
Leo pp. ſerm. de Natiu. tam fœlicitatem: & vt ait Leo pap. diui-
næ conſortes facti naturæ, nolint in ve-
terem vilitatem, degeneri conuerſatione
redire. Meminerint, cuius capitis & cu-
ius corporis ſint membra: reminiſcan-
tur, quòd erepti de poteſtate tenebra-
rum, tranſlati ſunt in Dei lumen, & re-
gnum.

11. *Ei.*) Frequens loquendi modus ſa-
Gen. 16. cræ ſcripturæ: vt Agar, peperit Abrahæ
filium, & natus eſt ei, ex Agar Iſmael: ſic
filius Dei, factus eſt homo patri ſuo, quē
ipſe ſemper veneratus eſt, eiusq; gloriam
quæſiuit: iuxta illud, Ego non quæro
gloriam meam, ſed gloriam eius qui mi-
Ioa. 8. ſit me. Quo exemplo, docet Chriſtianos
vt & ipſi ſimiliter faciant, cum ſint eidē
patri etiam filij, non quidem ex ſangui-
Ioa. 1. nibus, nec ex voluntate carnis, nec ex vo
luntate viri, ſed ex ipſo Deo nati, ac pro-
inde iam non ſibi ipſis, ſed Patri ſuo,
tanquàm veri filij, debent ſemper viue-
re.

12. *Ex ſemine Dauid.*) non dicit ex ſe-
mine Abrahæ, cui promiſsio facta fuit
de Chriſto naſcituro, ſed ex ſemine Da-
uid, vt daret ſpem veniæ, peccatoribus:
nam & Dauid, aliquando peccator fuit,
ex cuius ſemine Chriſtus naſcitur: Abra
ham verò iuſtus: atque etiam vt cōmen
daret regiam Chriſti dignitatem Roma
nis, regnum gentium tenentibus.

13. *Secundum carnem*) Nomine carnis
totum intellexit hominem, iuxta illud,
Eſa. 66. Veniet omnis caro, id eſt, homo, vt ado-
Ioa. 1. ret coram facie mea: &, Verbum caro
factum eſt. Itaque ex ſtirpe Dauidica,
temporaria natiuitate, *ſecundum carnē*,
id eſt, ſecundum humanitatem, de matre
patri factus eſt homo, ex quo erat ab æ-
terno ſine matre, genitus Deus. Vnde
ſecundum Verbi ſubſtātiam, factus eſſe
non potuit, contra Arrium, & Photi- *D. Th.*
num.

14. *Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in vir
tute.*) de Chriſto domino, fuerat ab æter
no prædeſtinatum, id eſt præordinatum,
vt in tempore eſſet, ſecundum carnem
manens, Dei filius, eiuſdem omnino cū
patre virtutis, ſeu potentiæ, ad differen
tiam noſtræ prædeſtinationis, nimirum
quòd nos prædeſtinamur eſſe Dei filij
adoptiui, Chriſtus verò prædeſtinatur
eſſe Dei filius naturalis: & non refert,
quòd perſona Chriſti, ſemper fuerit fi-
lius Dei, ad hoc quod ſecundum huma-
nam naturam, dicatur prædeſtinatus fi-
lius Dei, cum prædeſtinari dicatur reſ-
pectu rei, quæ nondum eſt: non enim
prædeſtinatus eſt ſecūdum diuinam na-
turam, ſed quatenus exiſtit in humana
natura, prædeſtinatus eſt eſſe filius Dei
in virtute: vt ſcil. qui futurus erat ſecū-
dum carnem filius Dauid, eſſet tamē in
virtute filius Dei: & quemadmodum ſe
cundum humanam naturam, competūt
ei, vulnerari, ſitire, fatigari, crucifigi, &
mortuum eſſe, ita etiam & prædeſtinari,
quæ quidem ſecundum diuinam naturā
minimè competunt. Prædeſtinatio igi-
tur attribui poteſt perſonæ Chriſti, ſecū
dum quod ſubſiſtit, in humana natura,
licet non attribuatur ei, ſecūdum quod
ſubſiſtit in diuina, vt ait D. Th. Vnde & *D. Th.*
Apoſtolus, prius filium Dei, incarnatū
eſſe præmiſerat, & poſtea ei prædeſtina-
tionem attribuit, vt intelligatur præde-
ſtinatus eſſe, ſecundum quod factus eſt
ex ſemine Dauid, ſecundum carnem: &
ſic à filio Dei, explicando incarnationis
myſterium, deſcendit ad carnē, & à car-
ne ſecundum prædeſtinationem, aſcēdit
ad filium Dei: vt oſtēdatur, quòd neq;
gloria diuinitatis, impediuit infirmitatē
carnis, nec infirmitas carnis diminuit
maieſtatem Dei. Hæc D. Th.

Obſeruādum eſt in his Apoſtoli verbis,
aduentum Chriſti, qui eſt cauſa iuſtitiæ
noſtræ, non ex condignis meritis huma-
ni generis, ſed ex gratuita prædeſtina-
tione Dei, nobis obueniſſe. Hoc omnes
antiqui doctores Latini, ſapienter explo *Aug. de*
rauerunt, & perſpexerūt: inter quos D. *præd. ſāc.*
Aug. multa in hac parte, ſapientiſsimè *c. 15.*
do-

docuit. Præclariſſimum, inquit, lumen
prædeſtinationis & gratiæ, ipſe ſaluator
eſt, ipſe mediator Dei & hominũ, homo
Chriſtus Ieſus: ille enim vt à Verbo Pa
tri coæterno, in vnitatẽ perſonæ aſſum-
ptus, filius Dei vnigenitus eſſet, vnde
hoc meruit? quod eius bonum quale-
cunque præceſſerit, vt ad hanc ineffabi
lem excellentiam perueniret? & infrà:
apparent itaq; nobis in noſtro capite,
ipſe fons gratiæ, vnde ſecundum vniuſ-
cuiuſque menſuram, ſe per cuncta eius
membra diffundit: fit ea gratia ab ini-
tio fidei ſuæ, homo quicunque Chriſtia
nus, qua gratia homo ille abinitio ſuo,
factus eſt Chriſtus: de ipſo ſpiritu eſt
hic renatus, de quo eſt ille natus: eodem
ſpiritu fit in nobis remiſsio peccatorũ,
quo ſpiritu factum eſt, vt nullum habe-
ret ille peccatum: ipſa eſt igitur præde-
ſtinatio ſanctorũ, quæ in ſancto ſancto-
rum maximè claruit: quam negare quis
poteſt, rectè intelligentium eloquia ve-
ritatis? nam & ipſum Dominum gloriæ
(in quãtum homo factus eſt Dei filius)
prædeſtinatum eſſe dicimus: Clamat
doctor gentium in capite epiſtolarum
ſuarum, qui prædeſtinatus eſt filius Dei
&c. & paulò inferius concludit, Sicut
ergo prædeſtinatus eſt ille vnus, vt caput
noſtrum eſſet, ita multi prædeſtinati ſu-
mus, vt membra eius eſſemus: humana
hic merita conticeſcant, quæ perierũt
per Adam, & regnet, quæ regnat, Dei
gratia per Dominum noſtrum Ieſum
Chriſtum. Quiſquis in capite noſtro,
pcedentia merita, ſingularis illius gene-
rationis inuenerit, ipſe in nobis mem-
bris eius præcedentia merita, multipli-
catæ regenerationis inquirat. hæc D.
Aug. Quæ ideò tradita ſunt vt propoſi
tum Pauli in hac epiſtola intelligamus
eſſe, Iudæorum tumorem retũdere, qui
ſuis meritis arrogabant, incarnationem
Chriſti: idcirco in fronte ipſius epiſto-
læ, ſcopum ob oculos figit, quò totam
referre decrebit: nam ſi noſtra ſingulo-
rum iuſtificatio, ſine præuijs meritis no-
ſtris ſit, idem ſolidiori ratione, & de
Chriſti aduentu confiteri debemus.
15. *Secundum ſpiritum ſanctificationis.)*
ideſt, ſecundum ſpiritum ſanctificantẽ;
eſt enim phraſis Hebræa, cuius ſenſus
eſt, quod cum nos prædeſtinati ſumus
vt Deo, in filios adoptati, ſanctificemur,
Chriſtus pdeſtinatus eſt, eſſe filius Dei
in virtute ſpiritus ſanctificantis nos per
remiſsionem peccatorum, iuxta illud,
Qui factus eſt ſapientia nobis à Deo, & *1.Cor.1.*
iuſtitia, & ſanctificatio: item, Sanctifi- *& .6.*
cati eſtis in nomine domini noſtri Ieſu
Chriſti, & in ſpiritu Dei noſtri: nam &
ſi homo Chriſtus omnem habebat po-
tentiam Dei, non tamen, iuxta hãc Pau *Soto.*
li ſententiã prædeſtinatus eſt eſſe filius
Dei, ad vniuerſa patranda quæ virtute
diuina poterat, vt creare, à nihilareuè
mundum, ſed ad ea tantum, quæ ad no-
ſtram ſpectabant ſalutem: nimirum vt
nos in gratiam patri reconciliaret, legi-
bus inſtitueret, eccleſiaſticos magiſtra-
tus conderet, & (quod omniũ conſum-
matio eſt) mortuis in vitam immorta-
lem reuocatis, prout quiſq; geſsiſſet in
corpore, retribueret.
16. *Ex reſurrectione mortuorum IESV
Chriſti Domini noſtri.)* Sanctificatio præ-
dicta Spiritus ſancti, incœpit poſt Chri-
ſti reſurrectionem, vnde dicit, *Ex reſur-
rectione mortuorum.)* ideſt, ex mortuis,
genitiuo pro ablatiuo, iuxta phraſim
Græcam carentem ablatiuo, cuius loco
vtuntur genitiuo (*IESV CHRISTI Do-
mini noſtri.*) ideſt, poſtquam Chriſtus
reſurrexit à mortuis. nam iuxta beatũ
Ioannem, nondum erat ſpiritus datus, *Ioa.7.*
quia nondum Ieſus fuerat glorificatus:
quod non eſt ſic intelligendũ, vt nullus
ante Chriſti reſurrectionem, ſpiritũ ſan
ctificantem acceperit, ſed quia ex illo
tempore, vt ait D. Tho. incœpit copio- *D.Th.*
ſius, & cõmunius ſpiritus ſanctificatio-
nis dari, vt conſtat ex mundi ad fidem
conuerſione, & Martyrum conſtantia,
quorum alij ibant gaudentes quoniam
digni habiti ſunt, pro nomine Ieſu con-
tumeliam pati, vt Apoſtoli: Alij ad exẽ
plum Chriſti, orabant pro ſuis perſecu-
toribus, vt Stephanus: Alij in medio
tormentorum, diuinas laudes decanta-
bant: Sed vnde hoc? proculdubio à vir
tute ſpiritus Chriſti, per quem erãt ſan-
ctificati, & quo erant repleti. At verò
in illa vltima, & generali mortuorum
re-

reſurrectione, quæ ſupremnm eſt Spūs
ſanctificantis opus, manifeſtabitur cla-
rius hæc Chriſti virtus ſanctificandi, in
quam prædeſtinatus eſt: Nam iuxta A-
1.Cor.15 poſtolum, ſicut in Adam omnes moriū-
tur, ita & in Chriſto, omnes viuificabū-
tur: hoc eſt, ſicut Adam infirmitate præ
uaricatus, ſeipſum & vniuerſum genus
humanum, in mortem adegit, ita Chri-
ſtus, virtute & potentia, in qua fuit præ-
deſtinatus, mortis nexibus abruptis, li-
ber ipſe à mortuis reſurgens, nos quoq;
ſpiritus viuificante regenitos, immorta-
litate donabit.

27. *Per quem accepimus gratiam & A-
poſtolatum.*) Per Chriſtum, à Deo, acce-
pit Paulus gratiam remiſsionis peccato-
rum, & ſpiritualium donorum, atque
etiam apoſtolatus officium. Apoſtolus
enim Græcè, idem eſt quod miſſus Lati
nè, ſunt quidem miſsi quaſi eius autho-
ritatem & vicem gerentes: vnde ait, Si-
Ioa.20. cut miſit me Pater, & ego mitto vos,
ideſt cum plenitudine authoritatis: &
ipſe quoque Dominus, apoſtolus nomi-
Heb.3. natur à Paulo, Conſiderate inquit apo-
ſtolum, & Pontificem Ieſum Chriſtum:
ideò & per ipſum tanquam principalem
apoſtolum, ſiue miſſum, alij ſunt ſecun-
dario apoſtolarum conſecuti. Elegit, in-
Luc.6. quit beatus Lucas, duodecim, quos &
Apoſtolos nominauit.

Per quem, inquir, *accepimus*) non à quo:
nam à Deo vt eſt nomen naturæ, cuncta
proueniunt quæ in rebus creatis fiunt:
vnde eſt illud Theologorū axioma, ope-
ra Trinitatis indiuiſa ſunt extra: ea verò
quæ ad noſtram ſalutem ſpectant, per
Chriſtum, tanquam per mediatorē no-
ſtrum donantur nobis, ſiue ad perſonā
propriè attineant, ſiue ad commune bo
num.

Nomine autē gratiæ, in hoc loco, vide-
tur Paulus exprimere copiam cumulatę
gratiæ, ad hoc vt idoneus eſſet quod a-
poſtolatus dignitas ei concrederetur.
Nam & ſi gratiarum dona quæ in cómu
ne bonum conferuntur, abſque iuſtificā
te gratia, iniquis nonnunquam homini-
bus, cum iuſtis & ſanctis communia eſſe
Mat.7. poſſunt, iuxta illud Saluatoris, Multi di
cent mihi in illa die, Domine, Domine,
nonne in nomine tuo prophetauimus,
&c. Eos tamē quos Deus ad tales digni
tales acceſſit, maxime ad apoſtolarum,
qui ſummum in Eccleſia, obtinet faſti-
gium, nunquam niſi gratia & virtutibus
præmunitos, ſuper eccleſiæ candelabra
conſtituit, licet ſua inde culpa decidere
poſsint vt Iudas: vnde, ſufficientia no-
ſtra, inquit alibi Paulus, ex Deo eſt, qui
& idoneos nos fecit miniſtros noui teſta
menti. Quamobrem qui Eccleſiæ Anti
ſtites immeritò præſident, ſibi videant
à quo ſint dæmone in Eccleſiā obtruſi.
Neque verò eadem ſunt, quæ ad omnia Soto.
obeunda munia, deſiderantur merita, &
gratiarum plenitudines: nam de Chrō
Dño, qui Dei & hominum mediator,
dignè eſſe nequiuerat vt gratiam nobis
Dei ad iuſtum mereretur, niſi immenſè
ipſe charus, gratusq; eſſet Patri, ait E-
uangeliſta, Verbum caro factum eſt, ple Ioa.1.
num gratiæ, & veritatis, nempè ſine mē
ſura & modo. Et beatiſsimæ Mariæ Dei
genitrici, ait Angelus, Aue gratia plena: Luc.1.
non qualibet quidem, ſed ea prorſus gra
tia, qua eſſet ſuper omnes angelorum
choros ſubleuata, quo quidem loco a-
pud Deum eſſe decebat, cui nomē ipſe
ſuæ paternitatis, erat cōmunicaturus,
videlicet, quæ eius filij mater, erat futu
ra, cuius ipſe pater erat. Et protomar-
tyrem Stephanum, plenum gratia & for
titudine legimus, vtpote ad iuſtum, quā
tum in eo deſiderari poterat, qui mar-
tyrum inuictiſsimi exercitus, dux futu-
rus erat. Qua autem menſura emetiri
Chriſtus debuit ſuis Apoſtolis gratiam,
facilè eſt perpendere: nempè qui de
media plebe ſublati, in hoc delegeban-
tur, vt euangelium quocunque terrarū,
propagarent, quod non verbis tantum
perſuaderent, ſed ſignis & prodigijs cō
firmarēt: neque obiectos hoſtes armis
debellarent, ſed (quod potentiæ diuinæ
præclariſsimum eſt argumentum) ſine
pera, ſine baculo, velut oues mactati,
mira mānſuetudine præditi lupos deter-
rerent, fugarent, ac proſternerent.
Accepit quidem Paulus, non Apoſtola-
tum modò, ſed gratiam & cætera dona
eidē functioni neceſſaria, & dona quidē
quàm alij forſan apoſtoli cōſumatiora:

nam

nam abundantius inquit, illis omnibus *1. Cor. 15* laboraui, non ego autem, ſed gratia Dei mecum. Mortalium igitur principum, ſolertia eſſe debet & prudentia, aptos idoneosq́; explorare, quibus magiſtratus fidant, ſed Deus immortalis, vt ex dictis conſtant, dignos ipſe facit, quorũ fidei, negotia ſua, & cauſas committant.

18. *Ad obediendum fidei in omnibus gentibus.*) ideſt, vt ab omnibus intergentes, fidei obediatur. Aſſequuti ſunt enim beati Apoſtoli à Chriſto apoſtolicã functionem, quò per illos prædicaretur inter gentes quaſcunq; euangelium Chriſti, non vt inuoluerentur legis oneribus, ſed vt ſe ſe, fidei de Chriſto prædicatæ ſubmitterent, & huic inniterentur, non innani philoſophorum ſapientiæ. Nam hoc intereſt diſcriminis inter fidem & humanas diſciplinas, quòd hæ naturali quidem mentis acie & lumine cernuntur, & compellere poſſunt atq; euincere intellectum: fides autem inuiſibilium diuinorum, quæ niſi per lucem illam, mortalium oculis inacceſſam, conſpici nequeunt, non argumentorum vi, ſyllogiſmorumq́; acumine demonſtrantur, ſed voluntario obſequio, tacitaq́; auſcultatione ſuſcipitur, nullus enim credit niſi volens vt inquit *Aug.* Auguſt. & ideò circa fidem obedientia locũ habet: non enim habet illa locum niſi in his quæ voluntariè facere poſſumus, cuiuſmodi ſunt credere quæ fides docet, cum ſint ſupra rationem.

In his autem verbis, diuinus Apoſtolus, notam incredulitatis impingit vtrique populo, Iudæorum ſcil. qui ſigna petebant, & gentium, qui ſapientiam, & phi*1. Cor. 1* loſophicam perſuaſionem, poſtulabant: tametſi prudentiſsimè cõſultum à Deo mortalium generi fuerit, vt euangelica *Marc. vlt.* prædicatio, miraculorum ſignis confirmaretur. Nam cum humana noſtra cognitio, à ſenſu ſemper incipiat, conſentaneum fuit, vt ſenſibilibus miraculis, ad ſupernaturalium fidem homines pro mouerentur, quamuis aflatus internus Spiritus ſancti efficax eſſet. Nã vt Chry*Chryſ.* ſoſtomus ait, non Apoſtoli res ita geſsiſſent, niſi Spiritus ſanctus viam præmuniret. & Theophilatus, *Theoph.* euangelium, inquit, prædicare, apoſtolorum eſt muneris, Dei verò audientibus perſuadere.

19. *In omnibus gentibus.*) Gentium hîc nomine vniuerſas nationes comprehendit, iuxta illud Saluatoris ad Apoſtolos, dicentis, Euntes docete omnes gentes, cuiuſcunq; ſint nominis, & conditionis: ad differentiam antiquæ legis, exiguis ſpatijs conſtrictæ. ſpecialiter Paulus in omnes gentes apoſtolatum acceperat, vt ei competere poſsit, illud prophetæ, pa*Eſa. 49.* rum eſt vt ſis mihi ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iacob, & feces Iſrael conuertendas, dedi enim te in lucem gentium, vt perueniat ſalus mea vſque ad extremum terræ: tamen ab eius apoſtolatu, excluſi non erant Iudæi, præſertim qui inter gẽtes habitabant, vt infrà dicturus eſt, quandiu quidem ego ſum gentium apoſtolus, miniſterium meũ honorificabo, ſi quomodo ad emulandum prouocem carnem meam, & ſaluos faciam aliquos ex ipſis.

20. *Pro nomine eius.*) ideſt, vice ipſius Chriſti (pro quo alibi legatione ſe fungi ait) ad fidei obeditionem, gẽtes omnes adduceremus: vel (*Pro nomine eius.*) ſcil. dilatando & glorificando. nomen enim Ieſu Chriſti, debet eſſe finis vltimatus omnium concionatorum, & ad exemplũ Pauli portare illud coram gentibus, & Regibus, & filijs Iſrael.

21. *In quibus eſtis & vos, vocati IESV Chriſti Domini noſtri.*) ideſt, inter quos ac de quorum numero & vos eſtis: (*Vos*, inquam, *vocati IESV CHRISTI.*) Dicit autem vocatos Chriſti, pro vocatos à Chriſto, vt vulgò, dilectum Dei, pro dilectum à Deo, dicitur. Et qua ratione dixerat vocatus Apoſtolus, ait vocatos Ieſu Chriſti, vt cuius ſe ſcholæ vocatum magiſtrum profitetur, eiuſdem etiam & vocatos eſſe diſcipulos; in quo etiam anſam extollentiæ illis aufert: non enim ſuis meritis, ſed diuina Chriſti largitate vocati ſunt. monet inſuper eos ad vnitatem & pacem, ac fraternam charitatẽ, vtpotè qui vocati, ad vnum Deum, Dominum, & patrem, ad vnam vitæ ſanctitatem, & gloriæ eternitatem. Quare dimiſſa ſectarum varietate, & vocabulorũ,

iam

iam non Stoici, non Academici, non peripatici, non Romani, non Hebræi, ſed Chriſtiani dicendi ſunt: hæc enim cunctis nominibus illuſtrius & præclarius nomen, nunquam fuit aliud ſimile huic, nec poſtea futurum eſt.

22. *Omnibus qui ſunt Romæ, dilectis Dei, vocatis ſanctis.*) Non toti Romanorum Reipub. ſcribit, ſed Chriſtianis tantum: quaſi dicat, ille inquam Paulus, ſalutem dicit, (*Omnibus qui ſunt Romæ, dilectis Dei.*) ideſt, Deo charis (*vocati ſanctis,*) ideſt, à priſtinis vitijs, ad ſanctimoniam vitæ vocati, non ex ante actis meritis. ſermo eſt vſitatus inter Apoſtolos, vt, *Iud. 1.* Iudas Ieſu Chriſti ſeruus, ijs qui ſunt in Deo Patre dilectis, & Chriſto Ieſu conſeruatis, & vocatis. atq; adeò ſunt vocati, quòd prius dilecti, vt vocatio ſit amoris effectus, vocationis verò opus, ſanctitas: nam quos prædeſtinauit, hos & vocauit, quos vocauit, hos & ſanctificauit, &c.

Obſeruandum in hoc loco, quòd in tempore primitiuæ eccleſiæ, omnes Chriſtiani, *Phil.* dicebantur ſancti, iuxta illud, Salutate omnem ſanctum, & ſalutant vos omnes ſancti, & mihi omnium ſanctorum minimo. Sanctum enim idem ſonat, quod purum, mundum, ſordibusq; penitùs defecatum, Deoq; dicatum: & quoniam baptiſmi gratia tales nos reddit, dum Deo nos cõſecrat, ideò vt ampliſsimum Chriſti donum, Orientibus tunc Chriſtianis, magis cõmendaretur, ſancti dicebãtur omnes Chriſti fideles. quamobrem, & ad impoſitionem manuum apoſtolicarum, quorum pectoribus internè Spiritus ſanctus illabebatur, *Act. 10 & 19.* eorum vis ſenſibiliter effulgebat, vt conſtat ex Actis Apoſtolicis.

Poſtea verò adoleſcente iã eccleſia Dei, inter patres tantum & proceres hoc durauit. Ita enim Baſilius, Chryſoſtomus, Hyeronymus, & horum ſimiles, mutuò ſe nomine, & honore ſanctitatis honeſtabant.

Adulta verò ac ſeneſcente Chriſtiana religione, diuinós duntaxat, hoc titulo cenſemus, vt quos firmitas ſempiternæ ſanctitatis, ſecuros iam, tutoq; poſsidet. Eſt tamen in terris vnũ Eccleſiæ caput, videlicet, Papa, quem Sanctitatis nomine meritò veneramur, tum quidem vt agnoſcamus quanto ſit honore à nobis Chriſti vicarius ſuſpiciendus, tum etiam vt de ſuo ipſe epitheto, vicíſsim admonitus intelligat, quo debeat gradu reliquo corpori antecellere, qui vniuerſorũ iudex, & cenſor, in ſpecula Chriſtianæ reipublicæ, publicitus ſedet.

Obſerua etiam, quod Paulus, dum ait omnibus, ſalutat omnes credentes, quos æqualiter vt ait Hieronymus diligit *Hiero.* Deus, ſine acceptione perſonæ, Iudæi, & Græci, vt vel hac ratione, factionum fimbrias, reſcindere incipiat.

23. *Gratia vobis, & pax, à Deo Patre noſtro, & Domino IESV CHRISTO.*) Pulchra ſalutatio, quaſi dicat, Opto vobis gratiam, & pacem, non quidem eam, quam mundus hic vulgato more ſolet præcari, ſed veram, nouãq; pacem, quæ proficiſcitur à Patre, & Domino noſtro Ieſu Chriſto. Congruebat ſatis hæc ſalutatio Romanis ſeditioſis, & de legis primatu, tumultuantibus. Eſt enim pax habitus ſedati animi, atque à cupiditatibus, ac deſideriorum fluctibus pacati: & eſt optimus gratiæ fructus: nam gratia via eſt ad pacem, & radix meritorum prima. Exordium ſiquidem ſalutis noſtræ, à dilectione Dei ſumitur, non qua nos ipſum, ſed qua ipſe nos prius diligit, per quam errata noſtra gratis cõdonat, atque exinde charitatem qua ipſum redamemus infundit, ad quam ſequitur gaudium, & ad hoc pax: lignum itaque Paradyſi, plantatum in anima noſtra, eſt gratia Spiritus ſancti, fructus autẽ eius ſunt, charitas, gaudium, pax: nam ha- *Galat. 5.* bens charitatem, habet in ſe dilectum Deum, iuxta illud, Qui manet in chari- *1. Ioan. 4.* tate, in Deo manet, & Deus in eo: idcirco quaſi optato bono potitus, gaudio perfunditur, ac protinus fruitur pace: non mundi quidem, vt iam diximus, nã hæc fallax eſt, & vana, ſed Chriſti mediatoris, & Domini noſtri Ieſu Chriſti, quã ipſe nobis dedit, & reliquit, tanquam vnam pretioſam margaritam. Hac enim ſuo vnuſquiſque iure continetur, alienum ne violet, intus rationi animus, vt par eſt, obſequitur, exigua hæc anguſtaq; mun-

mundi bona, in communi poſsideri neſcia, lege Dei circumſcepta, per partes poſsidentur. Hæc eſt pax vera militiæ Chriſtianæ. Eſt antem alia ſublimior pax quæ exuperat omnem ſenſum, qualis eſt illa cœleſtium beatorum, de qua
Pſal. regius Vates, Qui poſuit, inquit, fines
Eſa.32 tuos pacem. & per Eſaiam, Dominus, Sedebit, inquit, populus meus in pulchritudine pacis. Vbi immenſum illud pelagus infinitorum bonorũ, quod nullis terminis intercluditur, depoſito mortalitatis noſtræ onere poſsidetur. Vbi cũ fruentium ſocietas fuerit numeroſiſsima, ita erit voluptas ſingulorum (propter ardentem omnium charitatem) maxima, pax cunctis firmiſsima, quietiſsima poſſeſsio, atque adeò fœliciſsima: hãc pacem nos Chriſtiani habemus nũc in ſpe, poſtea Deo adiuuante, habituri in re.

24. *PRIMVM quidem gratias ago DEO meo per IESVM CHRISTVM pro omnibus vobis, quia fides veſtra annunciatũ in vniuerſo mundo. Teſtis enim mihi eſt Deus cui ſeruio in ſpiritu meo, in euãgelio Filij eius, quod ſine intermiſsione memoriam veſtri facio, ſemper in orationibus meis, obſecrans, ſi quomodo tandem aliquando, proſperum iter habeam. in voluntate DEI veniendi ad vos. Deſidero enim videre vos, vt aliquid impertiar vobis gratiæ ſpiritualis, ad confirmandos vos, ideſt, ſimul conſolari in vobis, per eam quæ inuicem eſt, fidem veſtram, atque meã. Nolo autem vos ignorare fratres, quia ſæpe propoſui venire ad vos, ſed prohibitus ſum vſq; adhuc, vt aliquem fructum habeam in vobis, ſicut & in cæteris gentibus. Græcis ac barbaris, ſapientibus & inſipientibus, debitor ſum, ita quod in me promptum eſt, & vobis qui Romæ eſtis euangelizare: non enĩ erubeſco euangelium.*

¶ TOTVM hoc ad Epiſtolæ exordiũ pertinet, in quo prudentiſsimè agit, dũ ſuam erga Romanos beneuolentiam detegit, eosq; ſibi leniter conciliát, quo eorum ſcelera, prauosq; mores, melius poſsit arguere, & increpare: prebens in hoc neceſſarium documẽtum præfectis eccleſiæ, nempè vt quotieſcunque corripiendi ſubditos neceſsitas contingat, ſciant Chriſtiana lenitate, mitigare acerbitatem, à beneuolentia ſemper inchoãtes correptionem: nam cum vtrumque ſit neceſſarium, amari potius appetant quàm timeri: vt dicit beatus Auguſti- *Aug.*
nus.

25. *Primũ quidem gratias ago Deo meo.*) Non fuit Ciceronis, aut alicuius philoſophorũ, talis eloquentia. Si enim fuiſſet, longè aliter illis contingeret. referti enim cum eſſent diuinis beneficijs, non Dominum, ſed ipſos laudabant, ita ſu-
perbè loquentes, Labia noſtra à nobis *Pſal.*
ſunt, quis noſter Dominus eſt? Sed Pauli eloquentia & omnium Sanctorum, à gratiarum actione initium ſumit, à qua omnis oratio debet ſemper proficiſci: non enim eſt dignus beneficia conſequi, qui pro acceptis gratias non agit. Vnde
Sapiens, Ingrati (inquit) ſpes, tanquam *Sap.16.*
hybernalis glacies tabeſcet. & idem Sa-
piens, Ad locũ (inquit) vnde exeunt flu- *Eccl...*
mina reuertuntur, (per gratiarum actionem) vt iterum fluant. ſcil. per iteratam
beneficiorum exhibitionem. Cum igit *D.Th.*
in omnibus quæ petimus vel agimus, diuino beneficio indigeamus, debet ante omnia gratiarum actio præmitti, vt ſuo exemplo nos docuit Saluator, qui à gratiarum actione aſsiduè inchoabat opera ſua.

Demolitur etiam his verbis Paulus, oẽs vanos honores, vnde inanem gloriam aucupantur homines, docens quòd proximi non ſunt laudandi niſi in his quæ ad virtutem, & religionem pertinent, & tum quidem non homines ipſi, ſed precipnè bonorum omnium largitor laudandus eſt. Etenim virtutum opera nõ tã quòd merita noſtra ſint, quàm quòd dona Dei, laudibus ſunt efferenda in præſenti vita. Deus enim eſt qui quatenus ſunt merita, laudabit, remunerabitq; in futura vita.

26. *DEO meo.*) Natura, inquit Hiero- *Hiero.*
nymus, Deus omnium eſt, merito & voluntate, paucorum, vt Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob.

27. *PER IESVM CHRISTVM.*) Eodem ordine, & eadem via gratiarum actiones referendæ ſunt in Deum, quo

gra-

gratiæ ipſę à Deo in nos deriuantur, nimirum (*Per Ieſum Chriſtum*) qui eſt via, mediator, ſacerdos, & Pontifex noſter, culus eſt muneris, & dona nobis à Deo deferre, & noſtras viciſsim ante conſpectum eius, preces & ſacrificia offerre. Vnde Apoſtolus, qui paulò antè gratiã (& apoſtolatum ſe recepiſſe per Ieſum Chriſtum confeſſus eſt, per quem etiam & gratiam & pacẽ Romanis optauerat, per eundem quoque modo gratias Deo refert. hinc Eccleſia in præcationibus ſuis, ſemper ſubiungit, Per Dominum noſtrum, &c.

28. *Pro omnibus vobis.*) Non pro Iudæis ſolis; ſed, *Pro omnibus vobis*, ideſt, veſtro omnium nomine, tum quia propter vinculum charitatis, gratias quaſi ſuas reputabat, tum etiam quia omnibus placere, & omnium ſalutem & pacẽ deſiderabat, ne ſi peculiariter pro quibuſdam tantum gratias ageret, factioſis hominibus, & de honore concertantibus anſam præberet iurgandi. In omnibus, enim ſeu dictis, ſeu factis, vitanda eſt occaſio pacem amittendi.

29. *Quia fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo.*) Non congratulatur eis de terrenis, & caducis, putà, de imperij ditione, & gloria, quæ pro nihilo ſunt habenda Chriſtianis, ſed de fide, quæ eſt Chriſtianæ religionis fundamentum, & huius epiſtolæ argumentum, *Fides ergo veſtra*, inquit, *annunciatur.*) ideſt, celebratur, prædicaturq; toto terrarum orbe. quæ ſanè res, pro meo erga vos amore, non poteſt, non eſſe mihi gratiſsima.

Commendantur in hoc loco Romani, quia fidem de facili ſuſceperant, & in eadem firmiter permanebant. Vnde & vſque hodie apud eos, plurima fidei ſigna oſtenduntur in viſitatione ſanctorum locorum, vt Hieronymus dicit, & *Hiero.* noſtris oculis ipſi conſpeximus. Nondũ tamen perfectam fidem tunc habebant, quia vt ait S. Tho. aliqui eorum præuẽti *Thom.* erant à pſeudoapoſtolis, vt crederent, legis ceremonias euangelio iungendas, de quo eſt eos poſtea reprehẽſurus, quia fidem Chriſti, non pro dignitate æſtimarent, dantes legi ſcriptæ, vel naturali, quod ſoli fidei debetur.

Gaudet autem Paulus, & gratias agit de eorum fide ſuſcepta, non ſolum propter eos, ſed propter vtilitatem inde conſequentem, quia ſcil. eorum exemplo qui erant Domini gentium; aliæ gentes prouocarentur ad fidem; & nomen Chriſti poſſet ampliſsimè diuulgari. quia vt dicit Gloſſa, promptè facit inferior, quod *Gloſſ.* videt fieri à ſuperiori. Qua quidem de cauſa, admonentur prælati, à beato Petro, vt fiant forma gregis ex animo. *1. Pet. vlt.*

30. *IN vniuerſo orbe ſiue mũdo.*) Ditionem & dominatum Romanorum, vocat vniuerſum mundum ſiue orbem. Sic enĩ vocabant ditionem ſuam Romani quò latiſsimè patere ſignificarent: iuxta illud. Exijt edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis.

Obſeruandũ in eo quòd ait, *Quia fides*, vbi, quia, dictum eſt, pro. quod, idque frequens eſt interpreti Scripturæ.

31. *Teſtis enim mihi eſt Deus, cui ſeruio in ſpiritu meo, in euangelio filij eius.*) ex deſiderio viſendi eos, & voluntate benefaciendi, aſsiduiſq; precibus pro eis ad Deum fuſis, oſtendit quàm grata ſibi fuerit ipſorum ad Chriſtum conuerſio: & quoniam oratio, negotium ſecretum eſt, quod abſque teſtibus agitur, iurat Paulus vt Dei teſtimonio probet, ſe pro eis orare, omnia enim quæ fiunt, ſub Dei teſtimonio fiunt, iuxta illud, Ego *Iere. 19.* ſum iudex & teſtis. Hinc apertè poſſumus intelligere, verbum Domini apud Matthæum, videlicet, Ego dico vobis, *Mat. 5.* nolite iurare omnino: & beati etiam Ia- *Iac. vlt.* cobi dicẽtis, Antè omnia autem fratres mei, nolite iurare, non ſignificare, iuramentum eſſe omnino illicitum, quia ſicut Aug. dicit, intellectus ſacræ ſcriptu- *D. Aug.* ræ, ex actibus ſanctorum ſumitur: idẽ enim ſpiritus, quo ſacræ ſcripturæ ſunt editæ, ſanctos etiam viros, ad operandũ inducit: ſed quòd homo pro viribus conari debet, vt iuramento non vtatur, tã quam quodam bono, & per ſe appetibili, tum propter periculum periurij, quod ex linguæ labilitate euenire poteſt, iuxta illud Sapiẽtis, iurationi non aſſueſcat os tuum, multi enim caſus in illa. (Eſt *Eccl. 23.* autem peierare ſacrilegium, per quod Deo impingitur nota aut ignorantiæ,

quaſi

quaſi ipſum lateat, quid homo habeat in corde: aut iniuſtitiæ, quod veritatis conſcius, contrariæ atteſtetur falſitati.) tum etiam propter irreuerentiam maieſtatis Dei euitandam, dum eum de rebus parui momenti teſtem inducimus. At verò ſi ex neceſsitate fiat iuramentum, ſuoſq; habeat comites, vt ait Hie-
Hiero. ronymus, nempè veritatem, iudicium &
Iere.4. iuſtitiam, tum quidem, non ſolùm non eſt illicitum tale iuramentum, verumetiam honeſtum religionis officium, ad Dei cultum pertinens. Nam ipſum iurantes, confitemur infallibilem omnium veritatem, & proſpicientiam habere, omniaq́; nuda & aperta eſſe oculis eius, etiam cordium cogitationes. quòd verò iuramentum debeat habere tres comites ad hoc vt ſit licitum & honeſtum, non ſolùm eſt doctrina Hieronymi, verumetiam eſt præceptum Dei, dicentis
Iere.4. per Hierem. Iurabis viuit Dominus in veritate, in iudicio, & iuſtitia. Quod
Hiero. exponens Hierony. Animaduertendum (inquit) eſt, quòd iuſiurandum, hos habet comites, ſcil. veritatem, iudicium, & iuſtitiam. probatur ratione, quoniam per iuramentum, Deus qui ſumma veritas, ſummaq́; iuſtitia eſt, in teſtem adducitur, neceſſarium ad eius reuerentiã eſt, vt id quod iuratur primum ſit verũ, mox iuſtum, & æquum, ſed tertio præterea, circunſpectio iurandi, vt non leuiter, ſed maturo iudicio & diſcretione fiat. Non enim ſumitur iudiciũ in hoc loco, pro executione iuſtitiæ, ſed pro diſcretione & prudentia.

Eſt autem duplex iurandi modus, vnus quidem per ſimplicem atteſtationem, ſicut cum dicitur, per Deum, vel teſtis eſt mihi Deus, & hoc modo iurat apoſtolus in hoc loco. Alius autem eſt iurandi modus, per execrationem, quando ſcil. aliquis, implorat diuinum teſtimonium, ſecundum pœnam ſibi infligendam ſi
Pſal. mentitur, iuxta illud Pſal. Si reddidi retribuentibus mihi mala, &c. & hoc etiã modo Apoſtolus iuuat in ſecunda quã ſcripſit ad Corinthios, vbi dixit, Teſtem
2.Cor.1 Deum inuoco in animam meam.

Quod autem habetur in Euangelio, Sit
Mat.5 ſermo veſter eſt, eſt, non, non, quod amplius eſt, ſcil. quàm ſimplex verbum, à malo eſt: non eſt intelligendum à malo eius qui iurat, ſed eius qui exigit iuramentum, non quidem à malo culpæ, niſi in caſu quando exiſtimat quis, eum à quo exigit iuramentum, eſſe falſum iuraturum, tum enim eſſet graue peccatũ, vt inquit Auguſt. ſed intelligit eſſe à ma *Aug.*
lo pœnæ, ſcil. ignorantiæ, qua neſcimus an ſit verum quod nobis dicitur. Nam poſt peccatum Adæ tale ingenium eſt mortalibus, vt non facilè de rebus occultis fidem adhibeant, citra teſtes & iuramentum: & ſunt nonnulli adeò increduli, vt nec iuramento velint credere veritatem, cum deberet eſſe omnis contro *Heb.*
uerſiæ finis.

Supereſt nunc videre, an iuſiurandum Pauli, ſit omnibus ſuis circunſtantijs veſtitum, & decoratum. Continet quidem in primis, infallibilem veritatem: cum enim ſpiritu ſancto afflatus loqueretur, mentiri non potuit. Deinde fuit iuſtũ, tum propter euangelij doctrinam, tum etiam propter ipſius ergà eos charitatem, perſuadendam. Denique fuit diſcretum, quia de re occulta, nempè de oratione, quam in ſecreto abſque teſtibus agebat, & factum in ſcripto, vbi cõſultius & maturius conſueuerunt homines loqui. Quò autem melius iurantis reuerentiam perciperemus, addit iuramento dilectionẽ qua erat affectus ergà Deum, dicens, (*Cui ſeruio*) ideſt, quem colo, non vanis gentiũ ritibus, nec craſſis & corporalibus Iudæorum cæremonijs, nec ſolum exterè (*ſed in ſpiritu meo*) ideſt, in toto corde meo, & in ſpiritualibus obſeruantijs (*in euangelio filij eius.*) ideſt, in negocio euãgelij filij eius: quod ideò dicitur filij eius, quia eſt de ipſo, & quia ab ipſo eſt prædicatum ex proprio officio, & ab ipſo apoſtolis iniũctũ vt prædicaretur cunctis gentibus. Fuit igitur iuramentũ Pauli non excuſandũ modò, ſed omnino laudandum.

32. *Quod ſine intermiſsione memoriam veſtri facio, ſemper in orationibus meis.*) Sic eſt litera continuanda, gratias ago pro vobis, quia bona veſtra reputo quaſi mea, quod patet ex hoc, quod pro vobis oro, ſicut pro me ipſo: & non ait ſimpli-

citer, (*ſine intermiſſione*) quia & dormie
bat, & faciebat alia pro ipſius neceſsita
te: ſed (*ſine intermiſſione*) idem eſt, quòd
in omnibus ſuis orationibus, ſcil. quo-
tieſcunque ſtatis horis orabat. Eſt eni
prælatorum munus, non ſolum verbum
Dei, in animis populi prædicando ſemi
nare, ſed præcationum item aſsiduitate,
agricolarum exemplo, apud Deũ agere,
vt humore, caloreq; ſufficienti, ſemen-
tem ad fructum vſque perducat: nam
ego, inquit alibi, plantaui, Apolo riga-
uit, Deus autem incrementum dedit.
In hoc igitur loco Paulus, oſtendit ſe
omnia ex dilectione dicturum, quo li-
bentius audiatur: præbetq; ſe omnibus
exemplum ſine intermiſsione orandi,
maximè aũt prælatis.

33. *Obſecrans ſi quomodo tandem, aliquã
do proſperum iter habeam, in voluntate
Dei, veniendi ad vos.*) Inter alias depre-
cationes, hoc maximè poſtulabat Pau-
lus, vt ſibi aliquando liceret venire Ro-
mam. Erat enim tum temporis cum ſo-
cio ſuo Barnaba impeditus in Macedo-
nia, & alijs regionibus, vbi hanc ſcrip-
ſit epiſtolam, ad quas deſtinati fuerant,
tum prædicationis gratia, tum etiam vt
eleemoſinas pauperibus qui erant Hie-
roſolymis, colligerent, & ideò ante trã-
ſactam negotium, non inde poterant
proficiſci: imò neque abſque voluntate
Dei, ex qua omnia ipſe gerebat. Hanc
ſolam facere optabat Paulus, non timẽs
aëris inclementiam, mariſq; pericula,
nec diſtantiam locorum.

Aduerbiorum autem hæc augmentatio,
& inculcatio, otioſa non eſt, ſed habet
neſcio quid energiæ: nam aduerbium
tandem cum reliquis, vehementiam pre
ſeferunt deſiderij, ideò eſt ſenſus, teſtor
Deum, quòd citra intermiſsionem, mẽ-
tionem veſtri facio (*obſecrans*) ideſt, præ
cibus meis deprecans illum, (*ſi quomo-
do*,) ideſt, ſi quà fieri poſsit, vt quod
iamdiù deſidero. (*tandem aliquando*) cõ
tingat; & (*Proſperum iter habeam, in vo-
luntate Dei veniendi ad nos.*) ideſt, ita vo
lente Deo, vt proſpero itinere, fœliciter
veniam ad vos: nam ſine voluntate Dei,
nihil poteſt eſſe proſperum.

34. *Deſidero enim videre vos, vt aliquid
impertiar vobis gratiæ ſpiritualis, ad confir
mandos vos. ideſt, ſimul conſolari in vobis,
per eam quæ inuicem eſt, fidem veſtram,
atque meam.*) Magno tenebatur Paulus
deſiderio, videndi Romanos non quidẽ
ſui compendij gratia, ſed vt muneris ali-
quid illis impartiret, non Moſi craſſum,
ſed Chriſti ſpirituale, quo magis etiam
confirmarentur in eo quod inſtituerãt:
ideſt, vt ipſe modeſtiæ gratia dicit, vt mu
tua eſſet vtriſq; eorum, cõſolatio, dum
& ipſe illis de eorum fide, & illi, Paulo,
viciſsim de ſua gratularentur, atque ita
fieret, vt mutua exhortatio, vtrorumq;
fidem corroboraret, fulciresq;.

Obſerua, quod gratia, in hoc loco, non
ſumitur pro iuſtificante, quam ſolus
Deus confert per ſacramenta, ſed pro
gratis data, qualis eſſet, docere, prædi-
care, & huiuſmodi. Addit autem (*ſpiri-
tualis.*) vt ſemper eos à terrenis, ad cœ-
leſtia manuducat. Dicit (*impartire*) vt
bona quæ promittit, non propria, ſed
à Deo accepta inſinuet. (*Ad confirman-
dos vos*) in ea ſcil. gratia, quam ſuſcepi-
ſtis. (*ideſt ſimul conſolari &c.*) humani-
tatis & modeſtiæ gratia poſitum eſt, vt
parem ſe illis, & comitem faceret in om-
nibus.

35. *Nolo autem vos ignorare fratres, quòd
ſæpe propoſui venire ad vos.*) Non erat
vanum nec nudum deſiderium Pauli:
nam frequenter fuit illi in animo Ro-
manos inuiſere, & hoc eſt quod vult eos
non latere, vt agnoſcentes affectum ip-
ſius, deuotiùs eius verba ſuſciperent.

36. *Sed prohibitus ſum vſque adhuc.*)
Prohibitus hĩc occupatus accipitur, vt
ait Hierony. dum alijs prouincijs præ- *Hiero.*
dicauerit, ſicut ipſe exponit in fine hu-
ius Epiſtolæ dicens, *Propter quod & im* *Rom. vl.*
pediebar plurimum venire ad vos.) Oſten
dit igitur ſe occupatum neceſsitate E-
uangelij prædicandi, Romam adhuc ire
non potuiſſe: ac ſi ita diceret, quòd vos
hactenus non inuiſerim, per me non ſte-
tit; quoniam ad hunc vſque diem non
licuit, per impedimenta quæ inciderũt.

37 *Vt aliquem fructum habeam in vobis,
ſicut & in cæteris gentibus.* Nõ erat inu-
tile Pauli deſiderium, & quod anteà
dixe-

dixerat, ſcil. *Vt aliquid impertiar vobis gratiæ ſpiritualis*, hoc eſt quod explicatius modo ait, *Vt aliquem fructum habeam in vobis*, (ſeu apud vos) alludens ad
Ioa. 15. illud Saluatoris, Poſui vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat. Modeſtiæ autem gratia, & humilitatis, non dixit, faciam, ſed *habeam*.) Poteſt etiam ſumi fructus pro mercede, vt ſit ſenſus, Cupio videre, & docere vos, vt aliquem fructum etiam habeam apud vos pro mercede laboris mei. Multarum
Orig. diuitiarum cupidus, vt ait Origi. ex multis poſſeſsionibus congregare prouentus deſiderabat Paulus. ſed prior ſenſus menti literæ videtur magis conſentaneus. Nam qui Deo plenus, apoſtolico munere fungebatur, non tam ad ſuorum meritorum acceſsionem,
Soto. quam ad amplificandam, ſtabiliendâq; fidem in cordibus hominum, intendebat animum, ſciens inde charitatem copioſius ditari, quòd non quærit quæ ſua ſunt: atque hîc ſanè ſenſus, ex adiunctis continuo verbis eruitur, vbi ait, ſe debitorem eſſe cunctis nationibus.

38. *Græcis, ac barbaris, Sapientibus, & inſipientibus, debitor ſum.*) Mirabilis eſt Deus noſter in Sanctis ſuis, maximè in Paulo ſeruo ſuo, qui cum Iudæus eſſet, ex gente nimirum, vniuerſo ferè orbi prorſus inuiſa, humilis tentoriorũ ſutor, debitorem ſe Græcis, Romanisq; erudiendis audet prædicare. ita proculdubio, iuxta ſuum altiſsimum conſilium, viſum eſt omnipotenti Deo, perdere ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobare: nam quod infirmũ eſt Dei, fortius eſt hominibus.
Tho. Notandum ex D. Tho. quod Barbarus, dupliciter dicitur, vno modo, ſecundũ quid, qui ſcil. eſt extraneus quoad ali-
1. Cor. 14 quem, iuxta illud Pauli, Si ego neſciero virtutẽ vocis, ero cui loquar Barbarus. Vnde Anacharſidis extat dictum, in Solonem vrbanè reiectum: is enim cum ex Scithia Athenas veniſſet, à Soloneq; Barbarus eſſet ſalutatus, reſpondit, Eſt per Iouem, & Solon Anacharſidi, ita vt Anacharſis Soloni Barbarus. Hinc vſu venit Latinis, vt ignaros ſuæ linguæ, barbaros apellent. Altero modo ſumitur barbarus, ſimpliciter, qui ſcil. eſt extraneus à communitate hominum, in quantum ratione non regitur: iuxta id quod in libris Machabæorum habetur, vbi di- *2. Mac. 15.* citur, Ne ita ferociter, ac barbarè feceris, ideſt, inhumanè. & quia Græci, vt ait D. Thom. fuerunt primi legum inuẽ- *Tho.* tores, omnes Gentiles, qui humanis legibus reguntur, nominat Græcos. Et hinc forſan, quoniam Pythagoras Græcus, philoſophiam in italiam attulit, magna pars Italiæ, quæ vulgariter dicitur, La Romania, dicebatur olim, vt ait Hiero. magna Græcia. Quod quidem *Hiero.* non eſt parua coniectura, quòd Græcorum vocabulo, intelligantur etiam Romani. De Iudæis autem qui diuinis legibus regebantur, mentionem non facit, quia non erat inſtitutus iudæorum Apoſtolus, ſed Gentium.
Hinc etiam poteſt colligi, omnibus quibuſcunque nationibus, quantumvis remotiſsimis, & abditiſsimis, ingenijsq; barbaris atque belluinis affectis, deberi euangelica prædicatio, & huius contrarium dicere, eſſet error dánatiſsimus. Alioquin neque vellet Deus omnes homines ſaluos fieri. nec fuiſſet Chriſtus, vti vniuerſalis Redemptor, pro toto humano genere paſſus. Senſus igitur Pauli eſt, hanc euangelij prædicandi operam à Deo mihi mandatam, non huic aut illi genti propriè debeo, ſed vt ille Deus eſt ex æquo omnium, & Redemptor omnium, ita eius euangeliũ, æque ad omnes pertinet. Itaque non Græcis modò, verumetiam barbaris, non ſapiẽtibus, & eruditis tantum, ſed rudibus quoque, & illiteratis operam hanc debeo, quiſque fuerit ille qui non reijciat, & auerſetur.

39. *Ita quòd in me promptum eſt, & vobis qui Romæ eſtis Euangelizare.*) Ex dictis concludit promptitudinem animi ſui dicens, (*ita*) ideſt, proinde, (*quòd in me*) ideſt, quantum ad me attinet, dummodo aliunde non impediar, (*prõptum eſt*) ideſt, geſtit animus, (*& vobis qui Romæ agitis*) ideſt, qui in gloria ſũma, & in faſtigio mundi eſtis, quiq; leges orbi præſcribitis, & eloquentiæ nu-

meros cum omni philoſophiæ genere cõ inugitis, (*Euangelizare*) ideſt, Euangelium prædicare.

40. *Non enim erubeſco Euangeliũ.*) Excludit impedimentum promptitudinis, ſcil. erubeſcentiam, propter quam multi ea prætermittunt, quæ alias facerent promptè, ſi non erubeſcerent. ideò inquit, (*Non erubeſco, &c.*) ac ſi diceret, Non me deterret imperij Romani Maieſtas, neque pudendum mihi duco functionem ſi prędicem Euangeliũ Chriſti. Huius verò rationem reddit cum ait,

41. *Virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti.*) Res credita & prædicata, dicitur in hoc loco Euangelium, & ſic eſt
Hiero. virtus Dei: quia vt ait Hierony. nulla maior virtus eſt, quàm quæ deuicta morte, homini perdito reddit vitam. (*Omni credenti*, inquit, Nam incredulis, infirmitas quædam videtur Euangelium Chriſti. At verò quamuis illis res friuola, ridiculaq; videatur, ſi quis tamen rectè crediderit, huic virtus Dei eſt efficax ad conferendam ſalutem, quam nec Iudæorum leges, nec gentium philoſophia, opesvè conferre potuerunt.
Hiero. Beatus Hierony. rectè, inquit, dicit Paulus, non ſe erubeſcere prædicationem crucis, quæ credentibus, Dei virtus eſt in ſalutem. Item, hoc ad taxationẽ ſubtiliter pertinet paganorum, qui cum non erubeſcant credere, Deum ſuum Iouem, propter innanem libidinem in animalia irrationabilia, & inſenſibilia eſſe mutatum, nobis erubeſcendum putant, Dominũ, propter ſalutem perditi hominis credere crucifixum, cum in altero, horrendum ſit dedecus, in altero, admiranda pietas, atque virtus. Simul & illos hæreticos tangit, qui hæc tanquam indigna Deo refugiunt, vt hominem induerit, quem pro ſalute humani generis paſsioni traderet, non intelligẽtes, nihil dignius creatori, quàm creaturæ ſuæ curare ſalutẽ, maximè cum ipſe, per hoc, naturæ detrimẽtum, quaſi impaſsibilis ſentire non poſsit. Hæc ſapiẽ-
Hiero. tiſsimus Hiero.

42. *Iudæo primum, & Græco*) Cum Euangelij vis æque valeat omnibus, tamẽ primum in Iudæos & Græcos propagata eſt, vel (*primum*) refertur Iudæo, vt ſcil. dicat tempus, non dignitatem, iuxta illud, Vobis oportebat primum loqui regnum Dei, &c. *Act.*

Soto. Hic Pauli locus iam expoſitus, eſt primus vnde Lutherani ab ortodoxa Patrũ expoſitione diſcordant. Hinc ſuorum argumentorum turba. Hinc bellum cõtra Catholicos de iuſtificatione adoriũtur. Si enim, inquiunt, ſalus, apoſtolico teſtimonio, omni in vniuerſum credenti patet, quid aliud ad iuſtificationem deſiderare oportet, aut exigere, quàm vnicam fidem? Fatentur autem Catholici, per fidem, vt hîc ait Paulus, iuſtificari credentes, ſed tamen per eam fidẽ
Gal. 5. quæ per charitatem operatur. Nam alias, & ſi tanta eſſet fides, quæ tranferẽ-
1. Cor. 13 dis montibus ſufficeret, nihil ad iuſtitiam coram Deo valeret, pro eo quòd vt ait Iacobus, otioſa eſſet, quin etiam mortua. At neque illi negant, fidem qua iuſtificamur, eam eſſe, quæ per charitatem operatur, ſed tamen id verbo tenus ſuſtinent. Cõcedimus enim omnes, fide per charitatem operante, apprehendi iuſtitiam Dei. Attamen apprehendere, idem illis, quod credere, putà intellectus aſſenſione, accipere verbum promiſsionis diuinæ, quod ſolùm, vt aiunt, neceſſarium eſt ad ſalutem: iuſtitiam autem & gratiã, ſola ſic fide apprehenſam, ſubſequitur, ſecundum illos, charitas, & reliquæ virtutes, quæ ideò nullatenus concurrunt ad primam iuſtitiam ſed ſequũtur iuſtificatum. Vbi facilimum eſt perſpectu, quemadmodum iuxta eorum dogma, non iuſtificamur fide per charitatem operante: ſed ſola fide, ideſt, intellectus aſſenſione, antequàm ꝑ charitatem operemur.

Veritas autem catholica eſt, fidem eſſe omnino neceſſariam ad ſalutẽ, per quã quidem apprehendimus, hoc eſt, cognoſcimus, vnde pendeat, & in quo conſiſtat iuſtitia & ſalus noſtra. Veruntamẽ hanc Deus ſalutem in adultis, per actus fidei & charitatis operatur, qui ante gratiam, informes ſunt, poſt verò formati. Deus enim ita nobis, per fidem Chriſti, pollicetur ſalutem, ſi fecerimus quæ fides

des inbet. Non ſolùm ait, Qui crediderit, ſed, Qui crediderit, & baptizatus fuerit. & Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimul peribitis. Et, Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum eius, non recordabor. &, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Non ergo ſatis eſt credere ad iuſtitiam, ſine actione pœnitentiæ. idcirco fides, non ſolùm operatur per charitatem formatam in eo qui iam iuſtus eſt, ſed per actus etiam quodammodo charitatis diſponit ad iuſtitiam, dum peccator numine afflatus, diuinoq; attractus digito, aſſenſum præbet Deo, liberè nos mouenti, atque diuinæ motioni cooperatur, per ſpem ſalutis, & peccatorum deteſtationem. Hic igitur eſt huius loci ſenſus beati Pauli.

43. *Iuſtitia enim DEI, in eo reuelatur, ex fide in fidem.*) Explanat quonammodo euangelium ſit virtus Dei in ſalutem omni credenti. Pro quo notandum eſt, quòd iuſtitia Dei, eſt noſtra ſalus. Tunc enim veram ſalutem habemus, cùm iuſti ſumus apud Deum: & non ſumitur iuſtitia hic, pro ſpeciali virtute quæ diſtinguitur in commutatiuam, & diſtributiuã, ſed pro toto virtutis genere, quod vniuerſam probitatem comprehendit, ſicuti illud, Sic enim decet nos implere omnem iuſtitiam. &, Niſi abundauerit
Mat. 3 & 5. iuſtitia veſtra pluſquam ſcribarum & phariſæorum.

Dicit autem iuſtitiam Dei, ad differentiam iuſtitiæ hominum, quæ reſpicit bonum honeſtum, & generali affluentia Dei, poteſt homo, talem exequi iuſtitiã. Poteſt quippe nonnulla opera, moraliter bona agere, quæ licet non ſint æternæ vitæ meritoria, atque adeò nec ſimpliciter bona, ſunt tamen vtcunque bona, ideſt, iuſta apud homines. Iuſtitia autem Dei, habet finem ſupra naturalẽ, nempe, videre amatum Deum, atque adeò in vita gratiæ cõſiſtit, eaq; præſtare officia, quæ Deo ſint grata & accepta, ad æternam vitam. Hæc ergo iuſtitia Dei, ideſt, quæ à Deo eſt, ſeu inter hominem & Deum, ſeu coram Deo, eſt noſtra ſalus. Et hoc quidem, mundum ſemper latuit, atque adeò procul abfuit mundus à ſalute, dum nec morbum ſuũ intelligeret, & vnde petendum eſſet remedium ignoraret. Cum enim ante aduentum Chriſti, alijs in rebus alij, ſitam eſſe iuſtitiam exiſtimarent, poſtquam autem venit, (*in eo,*) ideſt, in euangelio ipſius, (*reuelatur*) ideſt, palàm fit omnibus (*iuſtitia*) non Moſi, ſed ipſius (*Dei*) quæ non ſita ſit in ſuperſtitioſo cultu ſimulachorum, aut legalibus Iudæorum ceremonijs, ſed (*ex fide*) eſt vera iuſtitia Dei, quæ cunctis proponitur (*in fidem*) hoc eſt, vt credant euangelio homines, & ex fide quærant deinceps iuſtificari. Vel (*iuſtitia Dei*) qua nos Deus iuſtificat, & ſanat, eſt, & conſtat (*ex fide in fidem,*) hoc eſt, fide promouente, ac ſubinde augeſcẽte, qualis eſt ille Hebraiſmus, ibunt de virtute in virtutem, Pſ. 83.
ideſt, in augmentum virtutis. Vel (*ex fide*) veteris teſtamenti (*in fidem*) noui in vtroq; enim continetur Chriſtus Dei virtus & ſapientia. Vel (*ex fide*) inchoante, (*in fidem*) perſeuerantem. Non enim ſaluabitur qui in finem non crediderit. Vel (*ex fide*) præteritorum, (*in fidem*) futurorum, quòd non ſat ſit credere Chriſtum pro nobis natum, paſſũ, reſurrexiſſe, niſi & nos in illo credamus reſurrecturos, & æternam vitam conſecuturos. Vel (*iuſtitia Dei*) ideſt Chrũs, (*reuelatur in euangelio ex fide*) veteris inſtrumenti, (*in fidem, & per fidem*) noui. Qui enim in lege adumbrabatur, manifeſtatus eſt in euangelio. Nam qui in lege non intelligebat illud Eſai. Ecce Eſai.
virgo concipiet, dum in euangelio legit, Ecce concipies, & paries filium. qui nõ capiebat illud Micheæ, Egreſſus eius à Mich.
diebus æternitatis, dum audit Ioannem tonantem, ac dicentem, In principio erat verbum. illi reuelatur iuſtitia Dei Chriſtus, qui enigmaticè tantum præferebatur in lege.

44. *Sicut ſcriptum eſt, Iuſtus autem ex fide viuit.*) Ab authoritate Scripturæ oſtendit quod fides ſit radix, ſalutis, Abac. 2.
iuſtitiæ, & vitæ noſtræ, quam operatur euangelium, quod dixit eſſe virtutem Dei. Et poteſt ita exponi, *Iuſtus ex fide,* hic punctus, deinde, *viuit,* ac ſi dicat,

Iuſtum ex fide Dei iuſtificari atque vitam animæ habere,& qui fidem non habet, non eſt iuſtus nec viuens. Vel ſic *iuſtus, ex fide viuit)* ideſt victurus eſt,
Hiero. quod ideò dixit, Secundũ Hiero. Quia ſine fide, ideſt, ſine ſpe retributionis bonorum operum, perficere virtutes ne-
Heb.12 mo poterit, ſicut & ipſe ad Hebr. Teſtimonium perhibens docet, inquiens, Sine fide impoſsibile eſt placere Deo,credere enim opportet accedentẽ ad Deũ. Conſtat igitur quod per fidẽ operatur euangelium ſalutem,iuſtitiam, & vitam in nobis.
Tho. Pro cuius maiore intelligentia, notandum ex D.Thom. quod fides importat aſſenſum quendam cum certitudine, ad id quod non videtur, ex voluntate. quia
Aug. nullus credit niſi volẽs, vt Augu. dicit. Et hoc modo differt credens à dubitãte, qui in neutram partem aſſentit. Differt, etiam ab opinante, qui aſſentit in vnam partem non cum certitudine, ſed cum formidine alterius. Differt à ſciente, qui per certitudinem aſſentit ex neceſsitate rationis: & ſecundũ hoc, fides eſt media inter ſcientiam & opinionem. Deinde notandum quod ſi accipiatur fides pro re credita, iuxta illud, Fides autem catholica hæc eſt, vt vnum
Atha. Deum, in trinitate &c. Tunc quidem fides non eſt virtus. Si autem accipiatur pro habitu quo credimus, ſic,quandoq; eſt virtus, quandoq; non. Eſt enĩ virtus, principium actus perfecti, actus autem ex duobus principijs dependens, non poteſt eſſe perfectus ſi alteri principiorum, deſit ſua pfectio: ſicut equitatio non poteſt eſſe perfecta, ſi vel equus bene non vadat, vel ſeſſor equum ducere neſciat. actus autem fidei, qui eſt credere,dependet ex intellectu,& voluntate mouente intellectum ad aſſenſum. Vnde actus fidei erit perfectus ſi voluntas perficiatur per habitum charitatis, & intellectus per habitum fidei, non autem ſi habitus charitatis deſit: & ideò fides formata charitate eſt virtus, non autem fides informis.

Tertiò notandum, quod idem numero eſt habitus fidei, qui ſine charitate erat informis, adueniente charitate, fit virtus: quia cum charitas ſit extra eſſentiam fidei, per eius aduentum,vel receſſum, non mutatur ſubſtantia eius.

Quartò notandum, quòd ſicut corpus viuit per animam naturali vita, ita anima viuit per Deum vita gratiæ. primo autem Deus animam inhabitat per fidem,nec tunc eſt perfecta habitatio, niſi fides ſit formata charitate, quæ per vinculum perfectionis, nos vnit Deo. Cum ergo dicitur per Prophet. quòd iuſtus ex fide viuit, intelligendum eſt, Abac. 2. de fide viua. quæ per charitatem operatur.

Quintò notandum, quòd hic ſecundus eſt locus, quem Lutherani pro ſe adferunt,volentes quòd fides per ſe,ſit vita iuſti, reliqua verò opera nihil ad iuſtitiam, coram Deo conferre: Cum tamen non ille ſit ſenſus,quod fides ſit vita ipſa & forma qua homo eſt iuſtus,ſed quod fides ſit quæ iuſtum tum in finẽ dirigat, tum, alliciat ad virtutem. Excitat enim Deus per illa verba Prophetæ, deſides homines ac ſenſuales,qui nõ niſi præſentibus commouentur,quibus ait, Ecce qui incredulus eſt non erit recta anima eius in ſemetipſo. *Iuſtus autem in fide ſua viuet.)* ideſt, ſpe per fidem reuelata durabit, perſeuerabitq; in opere. Viuit ergo iuſtus ex fide, dum propter Deum, quem fide cognoſcit,& propter præmium cuius ſpem habet, ex fide, facit opera charitatis. quibus verbis, ſtatus, & conditio, peregrinantium à Deo deſcribitur. Nam illi triũphatores cœlicolæ ex viſione amantes viuunt: nos verò ex fide operantes. Atque hic eſt etiam germanus ſenſus illius ſententiæ, euangeliũ eſt virtus Dei in ſalutem omni credenti: videlicet,corde, ore, & opere: vt ſcilicet. Credamus corde reuelata à Deo,confiteamur ore, & operemur, quæ Deus mandat. & ita fides eſt radix, ſalutis, iuſtitiæ, & vitæ noſtræ.

45. *Reuelatur enim ira DEI de cœlo ſuper omnem impietatem, & iniuſtitiam, hominum eorum, qui veritatem DEI in iniuſtitia detinent.)* Quemadmodum iuſtitia Dei, quæ eſt omne bonum, pertinet ad verè credentes, ſic ira Dei, quæ eſt

eſt omne malum, pertinet ad incredulos: hi poſſunt dici omnes impij, & iniuſti, qui fuerunt ab initio mundi. nam quamuis eſſent Gentiles, & fides cum ſit donum Dei non cadat ſub merito, tamen ſi feciſſent quod in ſe erat viuendo ſecundum rationem, Deus nunquã illis deeſſet, qui ſtat ad oſtium & pulſat, *Apoc.* paratus omnibus auxiliari, & dediſſet illis fidem, vt dedit beato Iob, Cornelio, Centurioni, Chananeæ, & huiuſmodi. At verò non ſolum ſecundum rationẽ, non vixerunt, ſed aduerſum omnem rationem egerunt: idcirco meritò ira Dei venit ſuper illos, dum quaſi cæcos dimiſit illos in foueam omnium malorũ cadere: & iterum veniet ſuper eoſdem in die iræ, extremi iudicij DEI, cum Chriſtus ſummus index, deſcendet de cœlo, vt ponat rationem cum vniuerſis, reddatq; vnicuique mercedem pro merito ſuo. Hoc quidem declaratum eſt in Euangelio, per Chriſtum IESVM, qui de cœlo venit, vt doceret mundum, & illuminaret his qui in tenebris, & in vmbra mortis agebant, ad dirigendos pedes eorum in viam pacis. Hæc via pacis, eſt fides Chriſti, qui tenuerit eam, erit filius pacis, qui verò hanc viam negauerit, erit filius iræ, perditionis, mortis, & inferni.

Inquit nunc ergo beatus Paulus, dicò quòd Euãgelium eſt virtus Dei efficax, ad conferendam ſalutem, omnibus rectè credentibus. nam ſicut in ipſo Euangelio declaratur, quòd fides ſit radix omnis boni, ita infidelitas omnis mali. (*Reuelatur enim*) id eſt, declaratur, ſcil. in Euangelio, (*Ira DEI*) id eſt, vindicta, (*de cœlo*) quia per Chriſtum qui deſcendit de cœlo, in vterum Virginis, vbi noſtram naturam induit, declaratur. (*Super omnem impietatem*) id eſt, aduerſus omnes homines impios, qui contra Deum, (*& iniuſtitiam*) id eſt, omnes homines iniuſtos, qui contra proximos, peccauerunt: homines infideles & maligni, (*qui veritatem DEI, in iniuſtitia detinent.*) id eſt, qui veritatem cognitam de Deo, non accommodarunt ad piè, ſanctèq; viuendum, ſed eam iniuſtè occupant maleuiuendo.

Veritatem, inquit, *DEI,*) id eſt, veram de DEO cognitionem, (*in iniuſtitia detinent,*) id eſt, detinent iniuſtè quaſi captiuam. Veritas enim ex ſe tendit in eum à quo procedit, illuminat mentẽ, docet intellectum, ad colendum Deum: qui autem habet veritatem, & non colit Deum, ſed creaturam, vim infert veritati, volenti Deum colere, perinde ac ſi impediret cœlum à motu, aut Solem ab illuminatione. De hoc ergo impij, iniuſtiq; (Pauli iudicio) cenſentur Gẽtiles, quòd cum Dei notitiam, tali lege, & fide recepiſſent, vt eam in eius cultũ, & gloriam, impenderent, nequiter eam tamen, ac perditiſsimis moribus polluerunt, ac ſimulachrorum cultura vitiarunt: quemadmodum vt ait Chryſoſt. *Chryſ.* ſi cui rex, theſaurum ſuum crederet, vt in ſuum ipſius Regis honorem, & ſplendorem diſpenſaret, in prædones ille tamen, & in meretrices, perfidè effunderet: is ſanè grauiter in Regem peccaſſet, & dignus eſſet ira Regis: ſic impij infideles, & iniqui homines, qui contra veritatem agnitam fecerunt, digni ſunt ira Dei, illa ſcil. quæ declaratur in Euãgelio, nimirum, peccatum pro peccato, vt qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc: & vt cæci ſint cæcorum duces. pœna itẽ æterna pro culpa mortali, iuxta illud, Ite maledicti in ignem æternum. &, Amen dico vobis, neſcio vos. Quam verò nefandè, veritatem Dei, impietate ſua, & iniquitate, Ethnici, compreſſerint, ac violauerint, ad explicandum progreditur.

46. *Quia quod notum eſt DEI, manifeſtum eſt in illis.*) Ecce quomodo veritatem cognitam, iniuſtè detinuerunt Gẽtiles, (*quia*) ſcil. (*quod notum eſt Dei.*) id eſt, quod naturaliter de Deo noſci poteſt, (*manifeſtum eſt in illis*) id eſt manifeſtum eſt illis, ex eo ſcil. quod in illis eſt, id eſt, ex lumine intrinſeco. nam aliquid circa Deum eſt omnino ignotum homini in hac vita, nempè quòd ſit trinus Deus: vnde Paulus inuenit Athenis aram inſcriptam, (*ignoto Deo*) & hoc ideò quia cognitio hominis, incipit ab his quæ ſunt ei connaturalia, ſcil. à ſenſibilibus creaturis, quæ nõ ſunt pro-

por-

portionatæ ad repreſentandam diuinam eſſentiam, quantum ad trinitatem perſonarum: poteſt tamen homo ex huiuſmodi creaturis, de Deo cognoſcere an ſit, ideò dicit, *(quod notum eſt DEI &c.)* Quaſi dicat, Totus quidem vt eſt Deus, humano ingenio cognoſci ipſe nequaquam poteſt, cæterum quod in humanam cadit cognitionem, id Ethnici ſunt aſſecuti, quanquam & hoc ipſum Deo illi debent. Vnde ſubdit.

46. *DEVS enim illi manifeſtauit.)* Hoc dicit, ne mundi huius ſapientes inſolentia intumeſcerent, cogitantes eiuſmodi cognitionem DEI, ſuopte ingenio, atq; induſtria, comparaſſe. & vocat hîc manifeſtationem Dei, lumen illud naturale, de quo ait Propheta, ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine. *Pſal.* Nam & ſi lumen hoc, debitum ſit conditioni, & naturæ hominis, ſicuti ſua ſingulis naturis, debita congenitaq; ſunt accidentia, tamen quia Deus eſt naturæ parens, qui res ex nihilo condidit, opera ipſa naturalia quæ fiunt per formas, ab ipſo rebus inditas, perq; generale auxilium, munera ſunt eius. ad confutandũ ergo philoſophorum opinionem, qui ignorantes mundi creationem, non ita pro dignitate, Deo aſcribebat beneficia naturæ, ait Paulus, *(DEVS illis manifeſtauit.)* Neque enim aſſecuti fuiſſent, niſi Deus hoc illis aperuiſſet. aperuit autem ſi non Prophetarũ libris, quibus, Iudæis modò locutus videbatur, certè totius huius fabricæ mũdanæ miraculo, in qua, ſicut in quodam libro aperto, ſenſibus & ratione inueſtigatrice, legerunt virtutem, & mirabilem magnitudinem, & ſapientiam conditoris, tot, tãtarumq; rerum. ideò ſubdit.

48. *Inuiſibilia enim ipſius, à creatura mũdi, per ea quæ facta ſunt intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas.)* Pro intelligentia huius ſententiæ, notandum, quod ſicut effectus Solis, quos experimur, non eum ſecundum totam naturam repræſentant, ſed quatenus eorum eſt cauſa, vtputà, quod ſit calidus, ſicus, lucidus: ita neque per creaturas innoteſcit nobis Deus, ſecundum naturam & eſſentiam ſuam, ſed ſecundum potentiam, qua eſt rerum effector: ac proinde, effectus eius, non ſunt cum eo ſimilis ſubſtãtiæ, ſicut ſunt arbor ex arbore, animalia ex animalibus genita: ſed ſunt naturæ, & ſubſtantiæ diſsimilis, veluti plantæ, & animalia, opera ſunt Solis, à quo progignuntur. Agit aũt Deus extra ſe, quatenus vnus, (nam opera Trinitatis, indiuiſa ſunt extra) non autem qua ratione eſt trinus. *Soto.* Fit ergo, vt quemadmodum qui nunquã vidiſſet Solem, neutiquam ex rebus genitis cognouiſſet, cuius quantitatis aut figuræ eſſet, (quod munus eſt Aſtrologiæ,) cuiusvè eſſet eſſentiæ (quod pertinet ad Metaphiſicam.) ita neque per creaturas, altius à nobis conſpicitur Deus, quàm vt intelligatur eſſe vnus, primaq; omnium rerum cauſa, incorporeus, infinitus, &c. Ea verò quæ ad Deũ pertinent tanquam trinum, ſuperioris ſunt cognitionis, putà fidei in ænigmate, viſionis autem, in propria ſpecie: vnde Sapiens, Altiora, inquit, te, (ideſt, ea *Eccl. 3.* quæ intellectum tuum naturalem excellunt) ne quæſieris, (ideſt, ne explores naturali tua virtute) plurima ſupra ſenſum hominis, oſtenſa ſunt tibi. ac proinde ad rationis trutinam, nõ debes ea perpendere, ſed ad fidem, per cuius lumen, talia cognoſcuntur.

49. *Inuiſibilia enim ipſius.)* Qualia ſunt bonitas & ſapientia, & ſimilia, quæ velut in ſpeculo relucent in hoc mundo, tam mirificè condito, ac tam mirificè adminiſtrato: & cũ ipſe mundus ſit corporeus, viſibilis & anguſtus, Deus incorporeus, inuiſibilis, infinitus, & immenſus: mundus ſenſibilis, Deus inſenſibilis: mundus compoſitus, Deus ſimplex & purus: & quæ in creaturis ſunt accidentia, in Deo ſunt per ſe ſubſiſtentia. hæc & multa alia attribuuntur Deo per viam negationis. eminentiori enim modo ſunt in Deo, quàm in creaturis. & quanuis pro noſtro modo cognoſcendi, pluraliter dicantur inuiſibilia, in Deo tamen ſunt vna ſimplexq; ſubſtantia, quam ſignificant. & quoniã hæc à nobis non videntur, ideò dicuntur inuiſibilia.

Sem-

30. *Sempiterna quoque eius virtus.)* Per viam efficientiæ, cognoſcitur virtus Dei in creaturis. cum enim in cauſis, non ſit progreſſus in infinitum, nam aliâs, nulla eſſet prima cauſa, nulla autem extante prima, quæ cæteras mouere incipiat, nullus eſſet motus, deueniendum eſt ad vnam primam cauſam immobilem: nam aliâs moueretur & ipſa aliundè. Hæc eſt virtus ſuprema, omnium mutationũ principium effectiuum: hæc, non plures, ſed vnus eſt Deus. Nomine enim Dei, potentia quædam, ſummaq; virtus, ac per ſe ſufficientiſsima, enunciatur. Si enim, duo eſſent dij, aut vnus alterius ope egeret, & tunc non eſſet omnipotens: aut per ſe omnia poſſet, & tunc, alter eſſet ſuperuacaneus: aut vnus valeret alteri reſiſtere, & tunc, alter non eſſet conſũmatæ virtutis: aut reſiſtere non poſſet, & tunc, eſſet hic imbecillus.

Quinimo, & ex mirabili huius mundi compoſitione, ex membris tam diſparibus, tanta concordia & vnitate confederatis; compacti, facilè colligitur, vnius Dei eſſe figmentum.

AD hæc, cum virtus hæc ſumma, immobilis ſit, ac proinde non habeat, vnde gigni, aut corrumpi poſsit: ſempiterna vtique eſt. Patet etiam hoc, ex ipſa generationum perpetua conſtantia. nam materia perpetua eſt, quæ ſemper manet ex corrupto, ſubſequentiq; generationi, ſubſternitur. Cœlum itidem perpetuum eſt, vnde generationes perpetuantur: multò ergo maiori ratione primum omnium principium, ſempiternũ erit.

31. *ET Diuinitas.)* Per eandem viam efficientiæ, ſpeculari poteſt Diuinitas DEI, quæ quidem aliter, quàm deitas, eſſentiam Dei ſignificat. nam deitas naturam Dei abſolutè exprimit: diuinitas verò, non niſi ea ratione, qua rebus extra diffuſa, participatur, finisq; omnium eſt. nam diuinũ dicitur, quod Deitatis eſt particeps, quod eſt, iuxta (Tho.) D. Thom. bonum commune, quod ab omnibus participatur: & diuinitas idẽ pollet, quod participata ſeu participans ſe deitas: quapropter Deus, non dicitur diuinus, licet attributa eius, dicantur diuina, quia ſignificantur modo intelligendi humano, veluti accidentia.

Cognouerunt itaq; Philoſophi, Deum, quodammodo ſe rebus communicare, atque adeò cũcta propter ſemetipſum, ceu ſupremum finem, mouere. Non enim Deus acquirendæ vllius rei, qua caret, deſiderio operatur, ſed potius amore ſuæ effundendæ bonitatis. Indagatur autem hæc ratio vltimi finis, per eoſdem creaturarum motus, in hũc modum. omnia quæ ſunt, manifeſtè conſtat, quòd agunt ſe, vel aguntur propter finem, (Ariſt. 2 phyſ.) homo quidem, mouet ſe ad finem tanquam dominus ſuorum actuum, per liberum arbitrium, quod eſt facultas voluntatis, & rationis: illa verò quæ ratione carent, mouentur in finem à ſuo primo ſapienti motore, ſicut ſagittæ quæ ab aliquo, in ſcopum mittuntur: (nam tota irrationalis natura, comparatur ad Deum, ſicut quodam inſtrumentum ad agens principale) bruta quidem animalia, in finem apprehenſum: ea verò quæ omni cognitione carent, in finem non apprehenſum: finis autem vnus, in alium refertur. non eſt tamen in finibus aſcenſus in infinitum, cum ad ſummum ſit tandem perueniendum, vt ipſe qui primus eſt motor, ſupremus quoque ſit finis, propter quem cuncta fabricauit. Demus huius rei exemplum huiuſmodi, vapor quidem ordinatur ad pluuiam, pluuia verò ad fruges, fruges ad animalia, & totus denique mundus, vt dixit Plato, ad ho- (Plato.) minem, homo verò ad Deũ, & ſic Deus, eſt finis vltimus omnis creaturæ: tum quidem quia perpetuò in ſeipſo permanet immotus, tum etiam quia iugi perpetuaque prouidentia, abinitio cuncta gubernat: vt ait Sapiens: (Sap. 14) & ipſemet Saluator, etiam inquit, (Ioa. 5.) Pater meus vſq; modo operatur, & ego operor.

Ex his quæ dicta ſunt, diuinæ eſſentiæ attributa nobis innoteſcunt: nempè, omnipotentia, qua cuncta creat: bonitas, ob quam operatur: ſapientia, qua gubernat vniuerſa: atque id genus alia, quæ hîc Paulus vocat inuiſibilia DEI,

vtpote

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

vtpote quæ ſignificant Dei ſubſtãtiam, quæ in ſe vna & ſimpliciſsima eſt, mortaliumq; oculis, omnino inuiſibilis, innoteſcit tamẽ nobis, per has perfectiones, quæ in nobis multæ ſunt, & diuerſæ. Hæc de via efficientiæ.

Per viam autem excellentiæ, tribuenda ſunt Deo ea, quæ perfectionem ſignificant in nobis: & quamuis in nobis imperfecto ſint modo, in Deo tamen ſunt perfectiſsimè. Eſſe enim, & viuere,& ſapere, & id genus alia, in nobis quidem, imperfecto, limitatoq; ſunt modo: in Deo tamen perfectiſsimè conuenit ei per ſe eſſe, per ſe viuere,ſapere, & intelligere, &c. De hac triplici via, ſcil. negationis, efficientiæ, & excellẽtiæ. Agit Dionyſius, in lib. de Diuinis nominibus. *Diony. de diui. nomi.*

52. *Per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur.*) idest, ex ipſius effectis intellecta, vt iam explanatum eſt, conſpiciũtur.

53. *à creatura mundi.*) ideſt, à conditione mundi, ſcil. ex quo mundus eſt conditus: vel (*à creatura mundi.*) ideſt, ab homine qui præcipuus eſt creaturarum omnium, intellecta conſpiciuntur. *Hugo de S.Victo. in ſuo didaſc.li.7.*

54. *Ita vt ſint inexcuſabiles, quia cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt.*) Poſtquã docuit Apoſtolus, gentes habuiſſe notitiam Dei per creaturas, hic incipit enarrare, quam cõmiſerint culpam impietatis,& iniuſtitiæ: colligens ex dictis, nullam habere excuſationẽ, qua ſe poſſint defendere de peccato ſuo. nam iuxta Augu. ſi de ſummo Deo, iſta ſenſerunt Philoſophi, quòd & rerum creatarum eſſet effector, & lumen cognoſcendarum, & bonum agendarum, quodq; ab illo nobis ſit, & principium naturæ, & veritas doctrinæ, & fœlicitas vitæ, nihil erat, quo ſuæ valerent culpæ obtendere. Et D. Chryſoſt. Nunquid, ait, non audiſtis vocem cœlorum, qui enarrant gloriã Dei, per oculos nobis immiſſam, concentumq; rerum omnium pulcherrimum, vndiq; tuba clarius intonãtem? &c. quæ quidem omnia ad naturalem pertinent cognitionem gentium, quæ proinde, nullam poterũt impietatis ſuæ excuſationem habere. *Aug. 8. de ciu. c. 9.11.* *Chryſ.*

Pro maiori intelligentia, notandum ex Augu. quod peccatum niſi eſſet voluntarium, non eſſet peccatum: atque adeò omnis illa cauſa, quæ prauis hominum operationibus aliquid auferret libertatis, tantum de ratione culpæ, ait Philoſophus, remitteret: tria autem aſsignat ipſe, quæ plenæ libertati aduerſantur: hæc ſunt, ignorantia, vis, metus: hæc quidem ſi præcedant, velut cauſa operis, excuſari poteſt illis vnusquiſque, ſed non aliter: qualis fuit Pauli ignorantia, eccleſiam Dei perſequentis, cuius proinde culpæ, miſericordiam & veniam aſſecutus eſt, quia ignorans fecit. at verò Gentiles, non ob ignorantiam veritatis, idololatræ effecti ſunt, ſed de ſua potius ſapientia, ſtultè exultantes, ac ſuperbiẽtes, Deum verum, ſtudio contempſerũt, à quo proinde, iuſto ſuo iudicio ſunt excæcati, ac traditi in reprobum ſenſum. non ergo fuerunt excuſabiles per ignorantiam, vt ſatis, particula, (*ita*) præſefert. nam poſita cognitione Dei, quam per creaturas, lumine naturali rationis, obtinuerunt philoſophi, ſequitur colligens, (*ita vt ſint inexcuſabiles,*) ideſt, non habentes, quo prætexerent impietatem ſuam. Nam vt ait beatus Iacobus Apoſtolus, Scienti bonum, & non faciẽti, peccatum eſt illi. *Aug.* *3. Eth.*

Bifariam autem Deum cognouerunt Gentiles, vno modo, ſicut omnibus ſupereminentem: & ſic debebant ei gloriam, quæ ſuperexcellentibus debetur: atque adeò inexcuſabiles dicuntur, quia cum Deum cognoſcerent, haud tamen vt Deo, honorem habuerunt, tanquam omnium principi, vel quia ei debitum cultum non impenderunt, vel quia virtuti eius & ſcientiæ terminum impoſuerunt, aliqua potentiæ, & ſcientiæ Dei ſubtrahentes, cum ſit ipſe, infinitæ ſapientiæ, & virtutis. Vnde ſapiens, Glorificantes, inquit, Dominum, magnificate eum quantumcũque poteritis, maior eſt enim omni laude. *Eccl.*

Deinde cognouerunt Deũ Philoſophi, ſicut omnium bonorum cauſam, vnde ei, in omnibus gratiarum actio debebatur:

tur: Hanc tamen ipſi non impende-
bant, ſed potius ſuo ingenio, & vitturi
ſuæ, bona ſua aſcribebant: ideò dicit,
(*Aut gratias egerunt,*) velut omnium
bonorum autori, cui proinde, & hoc
ipſum ſcientiæ, acceptum ferri oppor-
tuit, quo ipſi tumebant.

EX dictis manifeſtè conſtat, ſumma
pietas, & miſericordia ſummi noſtri Dei,
erga vniuerſum mortalium genus, qui-
bus hunc mundum creauit, non ſolùm
in vſus humanæ vitæ neceſſarios, ſed
Aug. 1. potiſsimum, vt ait Augu. in vehiculum,
de dor. quo per rerum cõtemplationem, Deum
Chr. ſpeculantes, ac proinde colentes, ab hu-
ius loco noſtræ peregrinationis, aſſu-
meremur in cœleſtem patriam, quod
vtique negocium philoſophiæ commi
ſit naturali, vt per ſapientes, vulgus ad
Dei cultum inſtitueretur. Nam licet
fides Chriſti viua & quæ per charitatem
operatur tanquam per formam, ſuffi-
ciat & requiritur ad ſalutem: nam iu-
ſtus ex fide viuit, quod iam ſuprà ex-
planantum eſt, & eſt valde memoriæ
commendandum, tamen ſi iuxta cogni-
tionem naturalem, oſtendentem Philo-
ſophis vnam Deum, in cuius gloriam
tenebantur omnia referre, ius, præce-
ptaq; naturæ ſeruaſſent, Deus infunde-
ret illis lumen fidei, per quam altior
Dei notitia habetur: ad quam vtique
fidem habendam, non ſatis erat lumen
naturale; cum per ipſam captiuemus
intellectum noſtrum in obſequiũ Chri-
ſti, & ſine ipſa, non ſumus ſufficientes,
cogitare aliquid eorum quæ per gratiã
Eſai. Chriſti reuelata ſunt, dicente Eſaia,
quòd niſi credideritis, non intelligetis.
Hæc ſemper fuit, eritq; vna. non enim
alia quàm ea quæ nunc eſt fides, ab ini-
tio mundi vſque ad finem, ſalui facti,
Aug. li. faciendiq; ſunt homines, vt ait Aug. &
3. hypo. cùm hæc ſit ſupernaturalis, fit vt ſem-
per talis fuerit: quæ licet publicè, non
eſſet per legem diuinitus promulgata,
infundebatur tamen latenter, ſeruanti-
bus ius naturæ.

SI igitur Gentiles non habent vnde
prætexant impietatem & iniuſtitiam
ſuam, propter cognitionem veri DEI,
quem illis Deus, per creaturas, & intel-
lectum manifeſtauit: quid erit de Chri-
ſtianis, qui tot tantisq; cœli fauoribus
referti, præmunitiq; ſunt, ad obſerua-
tionem mandatorum Chriſti, mores au-
tem eorum ſunt praui, vitaq; deſidioſa?
Certè durius punientur quàm illi: nam
iuxta Seruatorem, Seruus ſciens volun-
tatem Domini, & non faciens, dignè *Luc.*
plagis vapulabit multis.

55. *SED euanuerunt in cogitationibus
ſuis, et obſcuratum eſt inſipiens cor eorum.
dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti
ſunt.*) Non anteceſsit gentium impie-
tatem ignorantia, qua eam ipſi poſſent
prætexere, ſed inanis aura gloriæ, qua
turgidi, vaniq; facti, fruſtrati ſunt
cogitationibus ſuis, & arrogantiæ ne-
bula obtenebratum eſt inſipiens cor
eorum: atque hoc ipſo ſtulti, indoctiq;
ſunt facti, quòd ſe iactarent eſſe ſapien-
tes, & eruditos.

Notandum ex D. Tho, vanum id dici, *Tho.*
quod non habet firmitatem ſeu ſtabi-
litatem, quales ſunt omnes huius mũ-
di creaturæ: ſolus autem Deus, de ſe
eſt immutabilis, iuxta illud, Ego Deus, *Mal. 3.*
& non mutor. Tunc ergo ſolum, mens
humana eſt à vanitate libera, cum Deo
innititur: Cum autẽ, Deo prætermiſſo,
innititur cuicunq; creaturæ, incurrit va-
nitatem, iuxta illud, Vani ſunt ſenſus *Sap. 13.*
hominis, in quibus non ſubeſt ſcientia
Dei. (*In cogitationibus ſuis,* inquit, *eua-
nuerunt,*) in quantum in ſeipſis, & non
in Deo, fiduciam habebant: vel (*cogi-
tationibus ſuis,*) ideſt, ratiocinationibus i-
dum notionem, non vni Deo tribuerũt,
ſed ſuis argutijs & ſyllogiſmis ad eam
ſe perueniſſe gloriati ſunt, ſibiq; & nõ
Deo bona ſua, & ſapientiam ſuam aſcri
bentes, aiebant, Labia noſtra à nobis
ſunt, quis noſter Dominus eſt. *Pſal.*

56. *ET obſcuratum eſt inſipiens cor eo-
rum.*) Non prius inſipiens, quàm obſ-
curatum, ſed per inſipientiam, quæ eſt
lucis priuatio, (*Obſcuratum eſt cor,*
ideſt animus, *eorum.*) nõ quòd ſe Deus,
oculis eorum ſubduxerit, ſed quòd ipſi
à Deo ſe auerterunt. ſicut enim qui
oculos corporales à Sole materiali auer-
tit,

tit, obſcuritatem corporalem incurrit,
ita qui à Deo auertitur, de ſeipſo præſu
mens & non de Deo, ſpiritualiter obſcu
Pro. 11. ratur. Vnde in Prouerb. dicitur, Vbi hu
militas, per quam ſcil. homo ſe DEO
ſubijcit, ibi ſapientia: vbi ſuperbia (per
quam homo, à Deo ſe auertit) ibi con
Mat. 11. tumelia. Et Saluator apud Matth. Abſ-
condiſti, inquit, hæc à ſapiẽtibus, ideſt,
ab his, qui ſuis oculis ſapientes videbã-
tur, & reuelaſti ea paruulis, ideſt, humi-
libus. & Apoſtolus quoque, alibi, Gen-
Eph. 4. tes, inquit, ambulant in vanitate ſenſus
ſui, tenebris obſcuratum habentes intel
lectum.

57. *Dicentes enim ſe eſſe ſapientes.)* Ec-
ce gentium vanitatem qui ſapientiam
ſuam, non Deo, ſed ſibi aſcribebant.
Vnde in diuerſas ſectas diuiſi, quiſque
nomen ſuum, celebrare conabatur, vt
alij, Sthoici: alij, Achademici: alij, Pe-
ripathetici: alij, Pythagorici: & huiuſ-
modi vocarentur. Mox dogmata quiſq;
ſua, profiteri inſtituit: nec tam lucem
intellectus ſectari, quàm alios oppug-
nare, propriaq; tueri placita. Hæc fuit
Philoſophorum vanitas: cuius effectus
fuit qui ſubditur.

58. *Stulti facti ſunt.)* Stultitia eſt va-
nitatis effectus, & quas ſupra dixerat
mentis tenebras, eaſdem nunc ſtultitiã
appellat: (*Stulti*, inquit, *facti ſunt.*) quaſi
contra diuinam ſapientiam agentes, ta-
les ſunt omnes qui de ſeipſis præſu-
Hiere. munt, iuxta illud, Stultus factus eſt om-
10. nis homo ſcientia ſua, de qua ſcil. præ-
ſumebat.

Gentium autem ſtultitia, ferè omnibus
eſt manifeſta, quia tam de naturalibus
rerum principijs, & cauſis, quàm de ra-
tione morum, vſque adeò varia, diuer-
ſaq; commenta & monſtra confinxerũt,
vt qui pleroſq; eorum legerit, nihil a-
liud quàm ab irato dæmone, dementa-
tos exiſtimet. Aduerſum hos eſt illud
Eſai. 5. Eſaiæ, Væ qui ſapientes eſtis in oculis
Pſal. veſtris. Væ illis, qui abeuntes poſt vani-
tatem, vani & ſtulti facti ſunt. Væ illis,
Pſal. quia ſine DEO, in hoc mundo. & ſine
Deo internum, comparati ſunt iumen-
tis inſipientibus, & ſimiles facti ſunt
illis. In ſtabulo clauduntur iumenta:
væ illis, quia tanquam iumenta claudũ-
tur, in ſtubulo infernorum: & inde non Pſal.
exibunt: mors depaſcet eos: & non mo
rientur, ſed cruciabuntur in æternum.

59. *ET mutauerunt gloriam incorrupti-
bilis DEI, in ſimilitudinem imaginis cor-
ruptibilis hominis, & volucrum, & qua-
drupedum, & ſerpentum.)* Vide quo cæ-
citatis, quoq; ſtultitiæ deuentum eſt.
adulterauerunt Maieſtatem immortalis
Dei, adumbrata imagine mortalis ho-
minis: nec hominis modò, verumetiam
volucrum, quadrupedum, & Serpentũ.
Summo Deo neglecto, hominem pri-
mùm, par ſibi animal, mox volucres ſu-
pra volantes, deinde ſubiectum ſibi bru
tum pecus, ac demùm abiectiſſimos
Serpentes adorauerũt: quibus ſi faber,
aut figulus, tribuiſſet cor, authorem
ipſum ſuum adoraſſent, vt ait Auguſt. Aug. in
Vide ergo quanta fuit idololatrarum a- li. de ver.
mentia, nam cũ ſolum hominẽ Deus vo Dñi.
luntate & mente donaſſet, vt pro omni
creatura Deo gratias ageret, illi in ſaxa
vertebant gloriam Dei, quæ non ſolùm
ſine numine, ſed etiam ſine ſenſu erant,
reclamantia, non ipſa nos, ſed Deus fe-
cit nos.

Obſeruandum in hoc loco, quòd occa-
ſionem idololatriæ, primi dederunt ty-
ranni, qui ſuis imaginibus, templa, a-
raſque erexerunt, vt de Belo, Babylo- Sotoi
niorum Rege, memoriæ proditum eſt.
Deinde propter aliqua facinora (vt pro-
pter vrbem cõditam, Romulo:) ſeu pro-
pter egregias victorias, (vt Herculi, a-
lijsq; compluribus) ſtatuæ poſitæ ſunt,
quæ quidem tunc, non habebantur vt
dij, ſed extabant in eorum memoriam,
atque vt homines, ad virtutis ſtudium
excitarẽt. Nam idôlum, idem eſt, quod
ſimulachrum. Poſt verò cum ſenſuales
homines, imagines ſenſibus obiectas,
tanta veneratione ſuſpicerent, data in-
de occaſione, dæmonia illuc ingreſſa,
reſponſa dare cœperunt, atque homines
deludere, qui crederent, ſubſidia, præſi-
diaq; inde ſibi à ſtatuis, ac delubris ob-
uenire. Animalium verò cæterorũ ado-
rationem, Ægyptus, Aſtrologiæ ſuper-
ſtitio-

ſtitionibus imbuta, edidit: vt apud Stra-
Strab. li.7. bonem copioſè inuenies. Cunctas namq; animalium effigies, in Zodiaco compertas, vt Arietem, Taurum, Scorpium, & alia pro dijs habebant. Vnde & Dominus filios Iſrael, in Ægypto nutritos, ab huiuſmodi cultu, remouet,
Deu.4. dicens: Ne fortè oculis eleuatis in cœlum, videas Solem, & Lunam, & omnia aſtra cœli, & errore deceptus, adores ea, & colas. Et non ſolùm animalibus, vt idem author ait, verum & cæpis, & porris, quibus veſcebantur, deferebant diuinos honores: quin & Crocodilus, ferociſsima bellua, Arſinoe vrbe Ægypti, à ſacerdotibus manſuefacta, colebatur. Hæc, ſub nomine ſerpentum videtur includi, ſicut ſub nomine volucrum, Aquilæ, vel Anſeres Romanorum, qui ob cuſtodiam Capitolij, ſacri habebantur.

Tempus autem quo in Italia conſueuerunt imagines hominum coli, putà, Iouis, Iunonis, Bachi, Veneris, Plutonis, aliorumq́ue id genus, (qui hominum potiùs portenta, monſtrorumq; prodi-
Gloſſ. gia, habendi fuiſſent,) inquit Gloſſ. &
Tho. D. Tho. fuit ab aduentu Æneæ, in eam: ſed tempore Cæſaris Auguſti deuicta Ægypto, eorũ cultum, Romani aſſumpſerunt, qui vt dictum eſt, imagines animalium colebant, propter figuras, quæ notantur in cœlo, quibus tanquam
Euſebij. Aſtrologiæ dediti, cultum diuinitatis
Lactan. impendebant. ſed de his, Euſebius &
Aug.8. Lactantius latiſsimè, & D. Auguſt. qui
de ci.dei. Hermetem Trimegiſtum, Ægyptiorum celebratiſsimum, inducit dicentem, quòd ſicut Deus, ſummus omnium pater, effector eſt cœleſtium deorum, ita & homines, terreſtres ſibi deos effingere. Circa quod obiter notari poteſt, dignitas pariter & vanitas mortalium hominum, dignitas quidem bonorum qui per obedientiam, & humilitatem, aſcendunt vſque ad cœlos, & dicuntur & ſunt dij, per, participationem. Vanitas verò malorum, qui per ſuperbiam, deſcendunt vſque ad inferos, ſub tyrannidem Sathanæ, qui eos ludibrio, habeat, in cunctis adinuentionibus ſuis.

HINC error fuit tam antiquorum, quàm modernorum hæreticorum, circa cultum imaginum, quas in templis habemus: quorum fuit Seruius Marſilienſis Epiſcopus, Leo quartus imperator, & alij quamplures, qui increpabant Catholicos, quòd idolatrarum more imagines colerent: contra illam Deuteronomij legis prohibitionem,
Non facies tibi ſculptibile, neque omnem ſimilitudinem quæ eſt in cœlo *Deu.5.*
deſuper, & quæ eſt in terra deorſum, & eorum quæ ſunt in aquis ſub terra: non adorabis ea, neque coles. Qui error damnatus eſt ſub Grego.3. in Con- *Concil.*
cilio Romano. & Franconiæ, ſub Adria *Rom.*
no. 1. & in Concil. Niceno. 2. & poſtre- *Adri.1.*
mò in ſexta Synodo Conſtantinopoli- *Conc.Ni*
tana. & refertur in Decretis: Non enim *ce.2.*
aliæ erant antiquis imagines interdi- *Conc.Cõ*
ctæ, quàm Aſtrorũm, animalium, & pi- *ſtantino.*
ſcium, quæ ſubnotantur nominibus il- *6.*
lis, cœli, & terræ, & aquarum. quibus *De cõſe.*
adorandis, eum, totus penè mũdus erat *d.3.c.Ve*
infectus, tum maximè populus ille ſuo- *nera.*
pte ingenio deditus. ſed ab hoc periculo, procul quidem abſunt modò Chriſtiani. nullus eſt enim adeò rudis, ac barbarus, qui crucifixi, ſanctorumq́ue imagines, tanquam idòla veneretur. Sed quemadmodum olim Deus inſsit, in propitiatorio collocari duo cherubin, vt de eorum medio loquens, humanis etiam ſenſibus Maieſtatem ſuam oſtenderet, ita & nunc, præſertim poſtquam Deus, viſibilis homo factus, ſanctiſsimè inſtitutum eſt, quòd ſuperna illa trium- *Soto.*
phantium Eccleſia, vbi Deus, inter tot beatorum coronas, medius regnat, in hac interim militanti, ob oculos nobis obijceretur, tum vt per viſibilia, ad fœlicitatem contemplandam duceremur, tum etiam, vt per Sanctorum exempla, ad eorum imitationem accenderemur. Neque enim eſt quiſpiam Chriſtianus, qui non intelligat, Sanctos, aduocatos noſtros eſſe, non principales authores noſtrorum bonorum: omne enim bonũ de ſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum, Sancti verò eius, ſunt intereeſſores noſtri.

60. Propter quod, tradidit illos DEUS in de-

in deſideria cordis eorum, in immunditiam, vt contumelijs afficiant corpora ſua, in ſemetipſis.) Ob iam dictum prodigioſum Dei cultum, paſſus eſt Deus, idololatras ire præcipites, vt animi ſui cupiditatibus obſequentes, eò prolaberentur turpitudinis, ac ſpurcitiæ, vt ipſi inter ſeſe dedecorarẽt corpora ſua, probriſq; afficerent. nam cum homo medium locum obtineat, inter Deum, & animalia bruta, & cum vtroque extremorum cõmunicet, cum Deo quidem, in intellectu, cum animalibus verò brutis in ſenſu: Sicut igitur homo id quod eſt Dei, ſcil. gloriam & cultum, tranſtulit ad beſtias, ita Deus, id quod eſt diuinum in homine, nempè rationem, ſubiecit ei quod eſt brutale in ipſo, ſcil. deſiderio ſenſualitatis: iuxta illud Pſal. Homo cũ
Pſal. in honore eſſet, (ſcil. diuinæ imaginis propter rationem) comparatus eſt iumentis inſipientibus. Et hoc eſt quod dicit. (*Propter quod*) iuſto iudicio. (*tradidit illos Deus.*) ideſt, permiſit tradi, non Leonibus, non Vrſis, aut Tigribus, (*Sed in deſiderijs cordium ſuorum*) quæ omnibus beſtijs ſeuiora, atrocioraque ſunt. Traditi ſunt ergo vt tanquam dominis crudelibus, proprijs ſeruirent cupiditatibus, quod eſt contra naturalem ordinem hominis, ſecundum quòd ratio, appetitui ſenſibili dominatur: iux-
Gen. 4. ta illud, Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.

61. *IN immunditiam.*) Seruitutem turpem & ignominioſam deſignat. pertinet enim immunditia ad peccata carnalia, quorum delectationes, manifeſtè ſunt nobis communes cum brutis animalibus, & ideò magis exprobrabiles, quaſi magis brutales, vt dicit Philoſo-
Eth. 3. phus. Dicitur autem immundus, homo carnalis, quia per libidinem carnis, trahitur ad id quod eſt infra ſeipſum. Vnumquodq; enim dicitur immũdum, ſiue impurum, ex coniunctione vilioris, ſicut argentum ex coniunctione plumbi. Vnde, quaſi declarans hoc, addit dicens. (*Vt contumelijs.*) ſcil. inauditis, ideſt turpibus, & immundis actibus, (*afficiant*) ideſt, inficiant, (*Corpora ſua in ſemetipſis.*) ideſt, inter ſeſe, in ſuam ipſorum ignominiam.

Notandum, quòd li, vt, in hoc loco, euentum rei, non cauſam dicit, ideſt, propter quam Dei deſertionem cõtigit, vt derelicti ab illo, corpora ſua contumelijs afficerent, ac dedecorarent.

Hic eſt locus, quem Lutherani, diabo- *Luth.*
li inſtinctu, eò detorquent, vt audeant Deum infamare dicentes, eum, non modò cauſam eſſe peccati, verùm ita efficacem, vt ad malum cogat. quinimo ita *Soto.*
ſit cauſa, vt ſolus ipſe ſit cauſa. Aduerſum quos, in ſancta Synodo Tridentina, *Conc. tri.*
ita decretum eſt: Si quis dixerit, non *Seſs. 6.*
eſſe in poteſtate hominis vias ſuas ma- *can. 6.*
las facere, ſed quòd mala opera, ita vt bona Deus operatur, non permiſsiuè ſolum, ſed etiam propriè, & per ſe, adeò vt ſit eius proprium opus, non minus proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli, anathema ſit. Deus enim, vt inquit Fulgẽ- *Fulg.*
tius, non eſt author eius, cuius eſt vltor. & D. Tho. Deus, inquit, non neceſsitate, *Th. 1. 2.*
ſed ratione & iudicio, permittit noſtram *q. 79.*
nos ſequi inclinationem. quæ quidem permiſsio, nunc traditio, nunc excæcatio, obduratio, vel agrauatio nuncupatur. Indurat autem Deus, vt ait Orig. *Orig. li.*
patienter tolerando, ſchemate illo ſer- *3. de pri.*
monis quo clementiſsimus herus in ſer- *ca. delib.*
uum ait, Ego te talem ſerue feci, patien *arbit.*
tia mea, tuæ extitit inſolentiæ cauſa. Igitur Deus, vt ait D. Tho. non dicitur *Tho.*
tradere homines in immunditiam, directè inclinando affectum hominis ad malum, cum iuxta Prouerb. Vniuerſa pro- *Pro. 16.*
pter ſe operatus eſt Deus, & ad ſe ordinat illa. Peccatum autem, eſt contra diuinam ordinationem, prorſuſq; auertit à Deo. indirectè tamen tradit homines in peccatum, in quantum non confert gratiam, per quam ipſi continebantur ne peccarent: quemadmodum ſi aliquis alicuius ſubſtentaculum tolleret, diceretur facere caſum eius. Et ad hunc quidem modum, vt ait D. Tho. primum *Tho.*
peccatum, eſt cauſa ſequentis peccati, ſequens verò eſt pœna prioris. per primum enim peccatum, amittimus gratiam, qua amiſſa, homo ruit in aliud peccatum, & ſic primũ, eſt cauſa ſecũdi,

indi-

indirectè ſeu per accidens, tanquam remouens prohibens. Non quòd pius, ac miſericors Dominus, prorſus deſtituerit hominem, (quantũuis peccatorem) auxilio ſuo, ſtatueritq́; quaſi firma ſententia nunquam ſuccurrere illi, ſicut facit cum his qui cruciantur in inferno, quibus iam, non eſt locus pœnitentiæ. Non enim durante tempore, vult clementiſsimus Dominus, mortem peccatoris, ſed vt magis conuertatur, & viuat: ideò ſtat ad oſtium, & pulſat. Vocat ad pœnitentiam, & ait, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Vocat ad
Ioa. ſalutem, & ad quietem, Venite ad me qui ſum ſalus & ſaluator, & inuenietis requiem animabus veſtris. Vocat ad ſa-
Pſal. pientiam, Venite filij, audire, & docebo vos timorem Domini, qui eſt initium ſapientiæ. Itaque miſerabilis homo, per peccatum amittit gratiam Dei, & cum ea omne bonum. Sed piiſsimus Dominus, pro ſua benignitate ſemper inuitat ad illam. Homo reſiſtit Deo per ſuperbiam, ſed Deus præcatûr hominem, per ſuam pietatem.

Tho. Poteſt & alio modo, vnum peccatum, eſſe cauſa alterius, ſcil. directè: primo quidem ex cauſa finali, ſicut qui ex auaritia, inducitur ad homicidium. Fur enĩ occidit vt furetur. Deinde ex cauſa materiali: ſicut gula, miniſtrando materiam, incitat ad libidinem. Tertiò ex cauſa mouenti, ſicut ex multis actibus, generatur habitus, ad ſimile peccatum inducens.

Diximus paulò ſuperius, vnum peccatum, in pœnam alterius peccati, frequẽter euenire. circa quod eſt valde notan-
Aug. dum, quòd peccatum, in quantum peccatum, cum ſit voluntarium, non poteſt eſſe pœna: nam pœnam contra volun-
Tho. tatem patimur. At verò propter aliqua quæ ſociantur peccatis, & fiunt contra voluntatem peccantis, peccatum vnum contingit in pœnam, & eſt pœna præcedentis peccati. amiſsio quidem gratiæ, non parua iactura eſt, hæc præcedit peccatum. cum amiſsione autem gratiæ, amittitur quoque Deus, ſine quo, paſsim corruit homo. ſine DEO animus manet vacuus & miſerabilis, atque adeò turbatur valde, & agitatur ſicut arundo quæ à vento mouetur. ſi- *Pſal.*
ne Deo inordinatur: & quid peius, & quid moleſtius, quàm animus inordinatus? iuſsiſti Domine, & ſic eſt, ait Auguſt. vt pœna ſibi ſit omnis inordina- *Aug. 8. conf.*
tus animus. Habent prætereà peccata, quàm plures labores alios ſibi adiunctos, ac difficultates, vt quilibet peccator, fatebitur ſi velit. At verò in inferno poſiti, velint, nolint, fatebuntur hoc omnes impij & peccatores, dicentes, Ambulauimus vias difficiles. Demùm, re- *Sap. 5.*
morſus conſcientiæ, infamia, & ſimilia quæ peccatum ſequuntur, & magnam animo conferunt moleſtiam, faciunt illud, quamuis voluntarium, eſſe pœnam peccantis.

62. *QVIA commutauerunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & ſeruierunt creaturæ, potiùs quàm Creatori, qui eſt benedictus in ſecula, Amen. Propterea tradidit illos Deus in paſsiones ignominiæ.)* Explicat quod dixerat, de culpa & pœna idololatriæ, quomodo in tã multa vitiorum portenta, prolapſi ſunt Gentiles, qui Deum cognitum tam portentuoſè coluerunt, vt pro DEO vero, mendacem, & arte confictam ſtatuam adorarent. ac præpoſterè res conditas venerati ſunt, colueruntq́; ſupra eum, qui condidit omnia. Contumelioſi in Deum, qui ſolus laude ferendus eſt, & hoc honoris apud homines meretur, in omne æuum, amen. Quas ob cauſas offenſus Deus, paſſus eſt eos prolabi, in cupiditates fœdas ac probroſas.

63. *Mutauerunt veritatem DEI.)* ideſt naturam diuinam quæ ſolùm Deo vero competit, mutauerunt in mendacium, ideſt, in idôla, quæ ſunt deorum portentuoſa mendacia. eſt enim mendacium, quidquid non eſt id quod re- *Pſ. 4.*
præſentat.

64. *ET coluerunt, & ſeruierunt creaturæ, potiùs quàm Creatori.)* Non ſolùm in Deum ingrati fuerunt, ei gratias nõ agendo, eumque non glorificando ob veritatem illius cognitam: verumetiam

vt perfidi ſacrilegi, aras, thura, ſacrificia, & cæteros honoris titulos, ſoli Deo vero debitos, in creaturas tranſtulerunt: contempto, prætermiſſoq; Deo vero, ſolis ipſius creaturis, diuina obſequia præſtiterunt. [Hilar. 12. de tr.]

65. *Qui eſt benedictus in ſecula.*) Non potuerunt idôlolatræ, lædere diuinam Maieſtatem, non valuerunt ei aliquid auferre, qui à creaturis nullatenus pendet, & per ſe (*eſt benedictus in ſecula.*) ideſt, benedictione ſempiterna, atqueadeò omni laude digniſsimus. Hunc benedictum dimiſerunt gentes excæcati, (videte amentiam deteſtabilem) & adorauerunt deos manuum ſuarum.

66. *Amen.*) Vox Hebræa, quæ omnimodam deſignat certitudinem, & eſt idem, quod verum, vel fiat.

67. *Propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ.*) Tradidit illos, non impellendo, ſed deſerendo. (*Tradidit.*) ideſt, abire permiſit, ſubtrahendo id, quod demeriti erant auxilium. Tradidit inquam, (*in paſsiones ignominiæ*) i. in libidines ignominioſas, puta in peccatum contra naturam. Quod quidem, [Tho.] paſſio ignominiæ, meritò dicitur. nam paſsio propriè dicitur, quando aliquid trahitur extra ordinem ſuæ naturæ, putà cum aqua calefit, aut cum homo infirmatur: aqua enim per calorem, homo verò per morbum euincitur, & deturbatur de ſua natura. Vnde quia per huiuſmodi peccata, homo recedit ab ordine naturali, conuenienter dicuntur paſsiones. Dicuntur autem paſsiones ignominiæ, quia non ſunt nomine dignæ. Nam ignominia, componitur ex nomen per negationem: eſt enim nomen hominis, idem quod honor eius, [Prou.] & celebritas, iuxta illud, Melius eſt nomen bonum, quàm diuitiæ multæ. Et ſic ignominia, contraponitur honori, ſicut ignobilitas, nobilitati. Peccatum ergo contra naturam, non eſt nomine dignum. Nam ſi peccata carnis, communiter exprobrabilia ſunt, quia per ea homo, deducitur ad id, quod eſt beſtiale in homine, multò magis peccatum contra naturam, per quod etiam à natura beſtiali decidit homo.

NON erit abs re, obiter hic notare diſcrimen inter peccata carnalia & ſpiritualia, [Th. 1. 2. q. 73.] nam licet carnalia ſint turpiora, ſpiritualia tamen, vt infidelitas, ſuperbia, iniuſtitia, & huiuſmodi, peiora genere ſuo ſunt, peccatis carnalibus, quantum ad grauitatem culpæ: tum ratione ſubiecti, nempe ſpiritus, qui dignior eſt corpore, & per quem fieri debet in Deum conuerſio. nam corporis natura, eſt conuerti ad ſenſibilia Tum ratione obiecti, quia per peccata ſpiritualia vel Deum immediatè offendimus, vel proximos, quos plus tenemur diligere, quàm propriũ corpus. In quod (vt ait Paulus) qui fornicatur peccat, atque adeò minus infert iniuriæ. tum denique ratione motiui, quia delectabilia tactus, vehementius mouent quàm ſpiritualia, propterea magis excuſant. Igitur quoad grauitatem culpæ ſpectat, peiora ſunt ſpiritualia carnalibus. At verò, ſi infamiam conſideres, antecellũt carnalia ſpiritualibus. Vnde Gregor. [Greg.] Carnalia, inquit, ſunt minoris culpæ, & maioris infamiæ. Cuius ratio eſt, quia actiones ſpirituales, non ſunt nobis cõmunes cum brutis, ſicut carnales: qua de cauſa carnales, vt iam dictum eſt, dicuntur immunditiæ. Inter quas ſunt aliquæ maioris infamiæ, vt peccata contra naturam: quæ propterea ab Apoſtolo, nunc contumeliæ, nunc paſsiones ignominiæ vocantur.

68. *NAM fœminæ eorum, immutauerunt naturalem vſum, in eum vſum qui eſt contra naturam. Similiter autem & maſculi, relicto naturali vſu fœminæ, exarſerunt in deſideriis ſuis, inuicem, maſculi in maſculos turpitudinem operantes, & mercedem quam oportuit erroris ſui, in ſemetipſis recipientes.*) Hîc clariſsimè cõſtat, quid ſit mortalis homo ſine fide Chriſti agens. Eſt ſanè miſer & miſerabilis, deteriorq; cunctis brutis animalibus. ſine fide enim nec legem naturalem cuſtodit, nam ſi cuſtodiſſet, Deus illi non deeſſet, nec negaret fidem ad ſalutem neceſ-

neceſſariam. quid ſunt precor nunc iſti Mahometani infideles, niſi quædam naturæ monſtra, quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum? quid olim infideles, niſi peſsimi, & fœdiſsimi amentes, qui à cognitione veri Dei, ad idôla peruerſi, in horrendum protinus ſubmerſi ſunt flagitiorum barathrum? nec ipſi ſolum, verum etiam fœminæ illorum oblitæ ſexus ſui, naturalem fœminei corporis vſum, mutauerunt in eum qui contra naturam eſt: nimirùm exemplo maſculorum qui relicto naturali vſu fœminarum, mutuis cupiditatibus inter ſeipſos deflagrarũt, adeò vt mas in marem abominandam turpitudinem patraret: atque his modis contumelia in Deum admiſſa, in ſeipſos recidit, dignum amentiæ præmiũ.

69. *Nam fœminæ eorum.*) à fœminis incipit, vt defectum pudoris illorum temporum intelligas, nam ſi illis pudor deſit, omnia erunt impudica.

70. *Mutauerunt naturalem vſum.*) Na-
Gloſſ. turalis vſus eſt, vt dicitur in gloſſ. quod
Tho. vir & mulier in vno concubitu coëant:
Aug. 14. quamuis ſi hoc fiat extra matrimoniũ,
de ci. ſit peccatum, & contra naturam ratio-
Diony. 4 nis, cuius eſt agere ſecundum virtutem,
c. de diu. & legem Dei.
no.

71. *IN eum vſum qui eſt contra naturam.*) Vſus contra naturam eſt, vt maſculus maſculum polluat, mulier mulierem. Contingit enim etiam ipſis, amplexari ſe iniquè: & eadem ratio eſt, vt ait D. Tho. de omni actu coitus, ex
Tho. quo generatio ſequi non poteſt. Nam ſecundum naturæ intentionem, cômixtio ſexuum in animalibus, ordinatur ad actum generationis: ideò omnis commixtionis modus, ex quo generatio ſequi non poteſt, eſt contra naturam hominis, in quantum eſt animal. Hunc ordinem peruerterunt idololatræ. omnia
Hiero. enim, ait Hiero. peruerterunt, in Deum peruerſi: neque enim ordinem naturæ ſeruarunt, qui naturæ dereliquerunt authorem, infandorum enim idolorum cultura, oĩs mali cauſa eſt, initiũ, & finis.

72. *Similiter maſculi relicto naturali vſu fœminæ.*) ideſt, qui ſecundum naturam eſt, (exarſerunt.) ideſt, extra terminos naturæ arſerunt, (in deſiderijs ſuis.) ſcil. carnalibus, (inuicem maſculi in maſculos turpidinem operantes) ideſt, turpiſsima fœditate ſe inuicem polluentes. nam, vt inquit Hiero. effrenata li- Hiero.
bido, modum ſeruare non nouit.

73. *ET mercedem quam opportuit erroris ſui in ſemetipſis recipientes.*) Quamuis merces, propriè ſumitur in bonam partem, hîc tamen ſumitur communiter, pro quacunque retributione in malis. ordo igitur inter idololatras ſic currit. Vt qui Dei obliti erant, nec ſeipſos agnoſcerent. & qui Deum verum falſis dijs infamauerant, à ſemetipſis quoque infamarentur.
Obſeruat hic D. Th peccatum nefan- Tho.
dum, quod eſt grauiſsimum inter peccata carnalia, coniunctum eſſe cum idololatria, quaſi peculiarem eius vltionẽ. Nam ſub eodem ferè tempore, ambo exorta fuiſſe videntur, cum paulò ante tempus Abrahæ, Bellus ille Babylonicus idolatrare cœperit, quando & Sodomorum vrbes, de execranda turpitudine exuſtæ, dederũt pœnas. tametſi & ante diluuium, quando omnis caro corruperat viam ſuam, dicũt aliqui, hoc eodem vitio laboraſſe mundum, contaminatumq́ue fuiſſe genus humanum. Nam propter quid aliud, tam extimeſcenda illa punitio æquior fuiſſet? Poſteà verò, idololatria creſcente, huiuſmodi vitia creuerunt, nam vt legitur in libris
Machab. Iaſſon auſus eſt, ſub ipſa arce, 2. Mac.
optimos quoſque Ephœborum, in lu- 4.
panaribus ponere. Erat autem hoc, non initium, ſed incrementum quodam, & profectus gentilis, & alienigenæ conuer
ſationis, vt ait D. Tho. Fuerunt quidẽ Tho.
illa tempora infœlicia, in quibus DEI cognitio, ab humanis mentibus, prorſus iam deleta videbatur. Nuſquam enĩ viguit, genus hoc ſtupri nefandiſsimũ, quo homo, ad imaginem Dei factus, in vſus pecuinis peiores, proſtituitur, niſi vbi notitia Dei, ſẽpiternæq; alterius vitæ, aut nulla eſt, aut eſt perquã exigua.

74. *ET ſicut non probauerunt, Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant ea quæ non conueniunt.)* Qui ambulat in tenebris, ait Saluator, odit lucem. & qui diſcedit à DEO, ſtultus eſt valde. ſicut ergo idololatræ, (*non probauerunt.*) ideſt, non approbauerunt, (*Deum habere in notitia.*) ideſt, non placuit eis, Deum cognitum agnoſcere, præq; oculis habere, ita, ſcil. viciſsim, (*Tradidit illos DEVS in reprobum ſenſum.*) ideſt, paſſus eſt eos Deus, ſuis tenebris excæcatos, abire in mentem reprobam, idque eouſque, (*Vt faciant ea quæ non conueniunt.*) ideſt, quæ ſunt viris indigna, qualia ſunt flagitia iam dicta.

Dicitur autem reprobus ſenſus, quo aliquis reprobandum iudicium habet de agendis. Fuit igitur rationi conſentaneum, vt qui Deum à ſe ipſis proiecerunt: in peruerſitatem ſenſus, & ipſi traderentur.

75. *Repletos omni iniquitate.*) Non ſolùm impij in Deū, impudici in ſeipſos, verumetiam in ſe inuicem iniqui, inurbaniq; fuerunt idololatræ, omni genere ſcelerum oppleti, videlicet.

76. *Iniquitate.*) Iniquitas, generale nomen eſt, ad omne vitium: ſicut iuſtitia, generaliter ſumpta, ad omnem virtutem pertinet. Dicit autem repletos omni iniquitate, ex eo quòd eorum voluntas nullam haberet lineam præſcriptam ad peccandum. Ille enim videtur repletus iniquitate, cuius affectus eſt
Tho. totaliter diſpoſitus ad peccandum. Vertit autem interpres repletos per accuſatiuum, vt referatur ad verbum tradidit illos: quod quidem ſemper eſt accipiendum permiſsiuè, vt ſuprà dictū eſt.

77. *Malitia.*) Hæc opponitur bonitati, quæ idem pollet quod virtus, vſurpatur autem pro illa peruerſitate qua quis, ſciens & prudens, data opera, ma-
4.Tuſc. lè agit. Vnde Cicero, Virtutis, inquit, contraria eſt vitioſitas: nam malitia, cuiuſdam vitij nomen eſt.

78. *Fornicatione.*) Hinc vſque ad verbum, *Superbos*, incipiunt peccata commiſsionis, quæ ſunt tranſgreſsiones prohibitionum negatiuarum. Fornicatio autem propriè ſumpta, ſignificat concubitum cum meretricibus, quæ iuxta fornices, ideſt, arcus triumphales publicè ſe proſtituebant. Tamen hîc latius extendi videtur, ad omnem ſcil. illegitimam rem veneream intra naturales limites contentam, vt ſunt, adulterium, inceſtus, & huiuſmodi.

79. *Auaritia.*) Hac offenditur proximus, ſicut fornicatione propriū corpus, ideò congruè ſequitur illam. Significatur autem per auaritiam, quæuis iniuſtitia, quoties quis aliquid, præter ius ſuum, vſurpat: Vt ſunt furtum, rapina, & quæuis fraudulenta ſurreptio. Eſt enim auaritia, inordinatus habēdi appetitus.

80. *Nequitia.*) Hæc opponitur frugalitati, quæ ſignificat animorum fœcunditatem, & ideò nequitia, ſignificat ſterilitatem virtutum, earum maximè quæ ſunt circa beneficia proximis conferenda. vel dicitur à nequeo. dum ſcil. aliquis attentat aliquid, quod nequit adimplere: & hoc maximè contingit circa nocumenta proximorum, quibus nō poteſt aliquis aliquando pro voto nocere.

81. *Plenos inuidia.*) à nimium videndo dicitur, eo quòd inuidus, animum ſuum ſemper habeat intentum, in aliorum fortunas. Vnde inuidia idem eſt, quod dolor de alieno bono. Licet aliquando, de odio prædicetur. Et quemadmodum inuidia diaboli, mors introiuit in orbem terrarū, ita hoc ferè mor- *Sap.2.*
bo, tabeſcit mortalium charitas, quæ mutua inter omnes deberet eſſe.

82. *Homicidia.*) Primum mundi homicidium, inuidia patratum eſt, qua frater æſtuauit in fratrem, ſcili. Cain in Abel. Hoc eſt præcipuum nocumētum proximorum: & eſt duplex, operis & voluntatis. Vnde beatus Ioannes, Qui *1.Io.3.*
odit, inquit, fratrem, homicida eſt: qui ſ. odit ad occidēdū, vt exponit S.Th. *Tho.*

83.

83. *Contentione.*) Hæc ſignificat iurgia, & pugnas vel honorum ambitiones, quando .ſ. plures contendunt ſuper eadem re. vel eſt impugnatio veritatis, cum confidentia clamoris: & vt
Hiero. ait Hiero. vbi non ratione aliquid, ſed animi pertinatia defenditur. & vbi iam non veritas quæritur, ſed proximus fatigatur.

84. *Dolo.*) Ex contentione oriuntur doli: quando ſcil. aliud ſimulatur, & aliud agitur, & frater decipit fratrem. ſagitta vulnerans, ait Propheta, lingua eorum, dolum locuta eſt in ore ſuo, pacem cum amico ſuo loquitur, & occul-
Hiere.9. tè ei ponit inſidias.

85. *Malignitate.*) Hæc opponitur benignitati, & ſignificat malum ignem, ideſt, malum affectum in corde, vel ma-
Hiero. litiæ votum, vt ait Hiero. quod eſt radix malorum operum.

86. *Suſurrones.*) Hi ſunt murmuratores, non in faciem, ſed in aurem loquentes, ad ſeminandum inter fratres diſcordias: in quos eſt illud Eccleſiaſti-
Eccl.18. ci, Suſurro & bilinguis, maledictus in populo, multos enim turbauit pacem habentes.

87. *Detractores.*) Hi ſunt qui etiam occultè arrodunt, & detrahunt honorem, & famam alicuius: eo ignorante, dicunt mala de illo: de huiuſmodi ait Sapiens, ſi mordeat ſerpens in ſilentio, nihil eo minus habet, qui occultè detrahit.

88. *DEO odibiles.*) Hoc non pertinet ad nouum crimen, ſed ne putarent crimina proximè nominata, non eſſe vſque adeò grauia, quæ poſsint dirimere amicitiam Dei, quia ſolo ore committũtur, addit hoc, ſcil. (*Deo odibiles*) ideſt, huiuſmodi homines à Deo odio habeti: maximè qui ſuſurris ſuis, ſeminant inter fratres diſcordias. Vnde Sapiẽs, Sex,
Pro.6. inquit, ſunt quæ odit Deus, & ſeptimũ deteſtatur anima eius, nimirum, qui ſeminat inter fratres diſcordias. Offendunt enim in hoc, id quod Deus in hominibus maximè amat. ſ. mutuum amorem. Hoc, inquit Dominus, eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos. Et in hoc cognoſcent quòd *Ioa.15.*
Diſcipuli mei eſtis, ſi diligatis inuicem. Qui autem charitatem proximi offendit, conſequens fit, vt & diuinam etiam violet, vt colligit Beatus Ioannes dicẽs: qui non diligit fratrem ſuum quem videt, Deum quem non videt, quomodo *1.Ioa.4.*
poteſt diligere?

89. *Contumelioſos.*) Hi ſunt, qui alios manibus, aut lingua publicè dehoneſtant, vt maior ſit contemptus in contumelia, quàm in ſuſurratione, aut detractione. Nam qui detrahit, aut ſuſurrar, uereri videtur eum, aut timere, quem clamculum roddet: vnde & contumelia, vt ait Seneca, à contemptu dicitur, quæ *Seneca.*
idcirco honorem lædit.
Conueniunt autem hæc tria vitia, in materia, nam illis maledicitur proximus: differunt verò in fine, nam ſ. ſuſurro, diſcordiam: detractor, infamiam: cõtumelioſus intendit iniuriam. & hæc differt à cæteris, quòd te, & cõuitio fit.

90. *Superbos.*) Superbire, eſt ſuperius quàm iuſtum eſt ire, per inordinatum appetitum excellentiæ. Volunt enim ſuperbi præeſſe, & non ſubeſſe alienæ regulæ. ideò præcepta omittunt, eſtque ſuperbia radix delictorum, quæ ſunt præceptorum omiſsiones. Sapiens de *Eccl.10.*
ipſa, inquit, quòd eſt initium omnis peccati. Sed hoc quidem verum eſt quantũ ad auerſionem à Deo, dum peccans, à diuina obedientia eximitur, non autem quantum ad conuerſionem ad bonum cõmutabile, quod fit per cupiditatem: nam iuxta Apoſtolum, Cupiditas eſt radix omnium malorum.

91. *Elatos.*) Elatio eſt, qua ſuperbus homo, ſe effert ſuper alios, vt Phariſæus ille qui dicebat, Non ſum ſicut cæteri *Luc.18.*
hominum. & eſt filia ſuperbię, quæ quidem eſt habitus appetendi præter ius & æquum excellentiam, vt nullius quis ſuſcipere velit leges, ſed omnibus alijs imponere, quæ malorum complurium ſentina eſt.

92. *Inuentores malorum.*) Ex elatione inſurgit ſcelerum inuentio, quò ſuperbi egregij habeantur. Nam cum bona iam à Deo & hominibus ſint inſtituta, conſequens eſt vt & ipſi de nouo adinueniant mala; & forſitan idem eſt nūc Paulo, inuentores malorum, quod inuentores nouorum: quod enim recenter inuentum eſt, ſuſpitione non caret, & hac potiſsimum ætate, vitium eſt peſtilentiſsimum. quapropter, coticola dogmatibus examinandis omnium fidiſsima, eſt authoritas vetuſtatis, in his vel maximè quæ ad Chriſtianam pertinent religionem.

93. *Parentibus non obedientes.*) Maiores omnes intelligit, magiſtroſq́ue, & magiſtratus. quibus non obtemperare, iniquum eſt valde. obſequia enim & fides, honoreſq; debentur illis.

94. *Inſipientes.*) Ex ſuperbia, præcipitari in inſipientiam, neceſſarium eſt. itaque inſipientes, id eſt, quod con- *Tho.* tra diuinam reuerentiam agentes. Ecce, *Job. 18.* inquit beatus Iob, timor Domini, ipſa eſt ſapientia, & recedere à malo intelligentia.

95. *Incompoſitos.*) Hi dicuntur, qui non ſunt morum decentia, & venuſtate, externè appoſiti, ſed cachinis, & reliquis *Hiero.* geſtibus diſſoluti. Nam iuxta Hiero. qui à fonte ſapientiæ receſſerunt, neceſ- *Aug.* ſe eſt vt inordinatè ferantur. & Aug. impudicus, inquit, oculus, impudici cor- *Eccl. 19.* dis eſt nuntius. & Salomon, Amictus corporis, ait, & riſus dentium, & greſſus hominis, enuntiant de illo. Apud Eſaiā *Eſai. 3.* tamen, inculpātur quidam de hoc quòd compoſito gradu incedebant: quia illa compoſitio excedebat modum communem hominum, inter quos agebant.

96. *Sine affectione.*) Differunt affectio, & affectus, quòd hic ad omnes animi motus tam bonos, quàm malos extenditur: affectio autem eſt amicitiæ: & maximè parentum erga filios, ac contrà. & ſic à Paulo ſumitur in hoc loco, pro ſtudioſo, ſcil erga propinquos amore, quem natura mortalibus ad ſocietatem indidit. Animalia bruta nos docēt, quæ naturaliter mutuò ſe amant, vt ſaltem quæ vnius ſunt ſpeciei, concilientur inter ſeſe. Diligit enim omne animal ſi- *Eccl. 13.* bi ſimile. quapropter, quia vbi abundat delictum, refrigeſcit charitas, poſitis alijs ſceleribus, continuò addit, (*Sine affectione.*) id eſt, humanitatis expertes, & charitatis. Affectio enim inter propinquos eſſe non poteſt, vbi defuerit charitas Dei, & fides Ieſu Chriſti. Vt meritò dicatur in Prouerbio, Viſcera impiorum, crudelia. quorum experimētum quotidie ſumitur inter paganos, qui regnandi cauſa, filij non parcunt parentibus, & è conuerſo, nec fratres fratribus.

97. *Abſque fœdere.*) Non quòd fœdus non inirent, ſed quòd fœdera, & pacta, ſeruare non curabant, nec hodiè curant, vt videmus in nequiſsimis Mahometanis, quos cum iſtis idololatris, fœdifragos, meritò vocare poſſumus.

98. *Sine miſericordia.*) Nec ſibi, nec alijs voluerunt compati. Debemus igitur, miſeris omnibus exhibere miſericordiam, vt & nos iram extremi iudicij Dei caueamus. Nam iudicium ſine miſericordia, illi qui non fecerit miſericordiá. &, Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Sed, vt inquit Hie- *Hiero.* ro. de iſtis impijs, quomodo alijs poterant miſereri. qui in ſe miſericordes eſſe noluerunt? Hæc omnia per ordinem digeſta peccata, de illis dicuntur, qui derelinquentes Deū, ab ipſo viciſsim ſunt derelicti. Caueamus ergo & nos, nequid malum ex his habentes, ſimiliter relinquamur.

99. *Qui cum iuſtitia DEI cognouiſſent, non intellexerunt, quoniam qui talia agūt digni ſunt morte.*) Quaſi dicat, prædicti impij, cum Deum eſſe ſcirent, eundemq; ſummè iuſtum eſſe ſcirent, (*Non intellexerunt.*) id eſt, non cognouerunt, vel non crediderunt, Deum, punitorem eſſe malorum, iuxta illud Prophetæ, Dicunt in *Soph. 1.* corde ſuo, non faciet Dominus malè. Vel (*Non intellexerunt,*) id eſt, noluerūt inteligere, nec cordi illud imprimere;

pec-

peccatis mentem obſcurantibus, & voluntatem à recto deuiantibus: (*Quoniam*) id eſt, quòd, (*qui talia*) ſcil. flagitia (*agunt,*) id eſt, patrant, (*digni ſunt morte.*) & vterque ſenſus conuenit cum illo quod ſuperius dixit, nempè, & ſicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt ſcil. non credant, non credentes, non intelligant ea quæ pertinent ad æternitatem futuræ vitæ: nam
Eſai. iuxta Prophetam, Niſi credideritis, non intelligetis. Non intelligentes autem, faciant ea quæ non conueniunt: & ſic de primo ad vltimum, contemptus Dei cogniti, fuit cauſa eorum cæcitatis, & totius prauitatis.

100. *Digni ſunt morte.*) Verè digni ſunt morte: nam anima quæ deſerit Deum propter amorem temporalem, dignum eſt vt deſeratur & ipſa à corpore per mortem corporalem, & à DEO per mortem ſpiritualem, & æternam. Hæc eſt mors ſecunda, de qua fit men-
Apoc. 2. tio in Apocalypſi. & quam Regius Va-
Pſal. 33. tes in quodam Pſalmo, dicit eſſe peſſimam.

101. *Non ſolum qui ea faciunt, ſed & qui conſentiunt facientibus.*) Non ſolum prædicta mortis pœna, digni ſunt qui huiuſmodi committunt flagitia, verumetiam qui committentibus aſſentiuntur, licet ipſi per ſe non cõmiſerint: quoniam illis peccandi fiunt veluti autores, tum quidem, aut directè laudando peccatum, dicendo bonum malum, malum bonum, præbendo conſilium, & fauorem: tum etiam aut indirectè, quando ſcil. aliquis non repræhendit, vel impedit malum, quocũque modo poteſt, maximè, ſi ex officio pertineat ad illum: ſicut peccata filiorum, imputantur Heli patri ſuo, eo quòd non reprehenderit eos. Hæc autem dicta ſunt ab Apoſtolo, propter quoſdam Gentilium ſapientas, qui & ſi idôla non colebant, tamẽ colentibus non cohibebant: præſertim propter Romanos qui orbi tunc ius dicebant. Nam cum totus decalogus, ſit de iure naturæ, quem propterea nouiſſe & ſanxiſſe debuiſſent, multa nihilominus contra eum patrabantur flagitia, quorum nulla in eorum legibus cautio ſcripta erat. Simplex fornicatio, quam liberam venerem appellabant, non ha- *Soto.*
bebatur apud eos pro illicita: nec in nefandam immunditiam, legimus ſcriptum ab illis capitale ſuplicium, vti par erat. Ad hæc, præter paucos Romanos, & Græcos, reliqui gentium, ſub nullis ferè legibus viuebant: neque vetabant Romani idololatriam prouinciatum, quæ in ſuam ditionem venerant. etiam ſi non omnẽ probarent, illam ſcil. quæ cum atroci iniuria erat coniuncta. Non igitur, gentilium principes & ſapientes, immunes ſunt à peccato, qui cognoſcẽtes veritatem Dei, populum in idololatria, & in multis probroſis criminibus irreprehenſum dimiſerunt; quem ad veritatem inſtruere debuiſſent: atq; ita agentes & conſentientes, nullam habent excuſationem: omnes ſubiacent iræ Dei, quæ in Euangelio, manifeſtata eſt, de cœlo ventura, ſuper omnes impios & iniquos.

NON eſt prætermittendum. vt obſeruant hîc viri ſapientes, quòd non quæ- *Soto.*
cunque negligentia prælati erga vnum ſubditum, etiam ſi peccatum mortale eſſet, grauior cenſenda eſt, quàm ſi ipſe idem committeret: tametſi aliquando contingat, nequiorem eſſe eum, per quẽ alteri peccare licet, illo qui impunitate ipſa, licentiaque abutitur. Quemadmodum in principe, ad quem pertinet, leges tum condere, tum etiam deffendere, idq; maxime in eccleſiaſtico rectore: grauius inquam peccaret, ſcelera publica, impunè permittere, quàm ſi aliquando tale peccatum committeret: præſertim ſi ſciens, lege decerneret, malum, bonum: aut bonum, malum: aut ſiquis peccata laudaret; vt ait *Chry.*
Chryſoſt.
(:?:?:)

CAR-

¶ ARGVMENTVM, CAPVT. II.

CONFVſis Gentilibus in primo capite: in hoc ſecũdo Iudæos quoque humiliat: oſtẽdens, eodem peccati morbo, eos laboraſſe, quo & Gentiles, ab ipſis tanquam peccatores, contemptos: docetq́; non temerè de proximo iudicandum, neque irritandum Dei longanimitatem: ſed bonis operibus inſudandum, quæ ſine perſonarũ acceptione, præmiaturus eſt Deus. Deinde, nec Gentiles impunes futuros oſtendit, quibus vice legis eſt conſciencia: nec Iudæos hypocritas, quibus neque carnalis Abrahæ proſapia, nec externa circũciſio eſt profutura.

☞ CAPVT. II.

PROPTER quod inexcuſabilis ò homo omnis qui iudicas, in quo enim alterum iudicas, teipſum condẽnas: eadem enim agis, quæ iudicas. ſcimus enim, quoniam iudicium Dei eſt ſecundum veritatem, in eos qui talia agunt. Exiſtimas autem hoc, ò homo qui iudicas eos qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium DEI?

¶ EXPLANATIO.

1. *PROPTER quòd inexcuſabilis ò homo omnis qui iudicas. in quo enim alterum iudicas, te ipſum condemnas, eadem enim agis quæ iudicas.)* Non mirum eſt quòd inter Iudæos & Gẽtiles eſſet olim mutua diſcordia, cum inter ipſoſmet Chriſti diſcipulos, facta quoque ſit contentio, quiſnam eorum eſſet maior. Iactabant ergo ſe Iudæi de lege Dei accepta, & obijciebant Gentibus idololatriam, & multa alia crimina. è contra gentes de lege naturæ, & obſeruatione iuſtitiæ ſe efferentes, Iudæis exprobrabant, legis acceptæ violationem, eandem etiam idololatriam, vt ex ſacra pagina manifeſtè conſtat. quocirca Apoſtolus, ex ſuperioribus Gentilium ſceleribus concludit, dicens, quòd neutri eorum habent quo ſe excuſent, dum ſe inuicem mordent, ex eo quòd vtrique populo reuelata fuit iuſtitia Dei: Iudæis quidem per fidem, Gentibus autẽ per ea viſibilia quæ facta ſunt: & tamẽ neque illi ſcriptam, neque hi naturalem cuſtodierunt. Eſt igitur ſenſus literæ, (*Propter quòd,*) ideſt, propter flagitia iam recenſita, (*ò homo,*) ideſt, quiſquis es hominum, ſiue Iudæus, ſiuè Gentilis, qui tibi placens, (*Alterum iudicas inexcuſabilis es.*) ideſt, non habes quo te excuſare valeas, ſcil. ignorantiam aut quidquam aliud. (*In quo enim alterum iudicas, te ipſum condemnas, eadem enim agis.*) ideſt, committis, (*quæ iudicas,*) ideſt, quorum nomine damnas alium. Cumque ſimili culpæ ſis obnoxius, in teipſum pronuntias ſententiam, dum in alterum pronuntias. Quandoquidem legem quam tu Iudæus ſcripto recepiſſe gloriaris, nihilo fidelius ſeruaſti quàm illi naturalem: & omnes denique peccatis obuoluti eſtis: idcirco non eſt cur alter alterius contubernium dedignetur. nam vt conqueritur Deus per Eſaiã, Si mutauit gens Deos ſuos, & cer- *Eſai.2.*
tè ipſi non ſunt dij, populus autem meus mutauit gloriam ſuam in idôlum.

¶ Notandum eſt in hoc loco, quòd ſecũdum D. Tho. cum aliquis aliquem iu- *Tho.*
dicat de peccato, quod ipſe committit, non per hoc ipſum, ſemper ſibi damnationem acquirit, quia non ſemper mortaliter peccat ſic iudicando, ſemper tñ

ſuam

ſuam damnationem manifeſtat. Si enī publicè ſit in peccato, de quo alium iudicat, videtur ſcandalizare iudicando, niſi forte humiliter, ſe ſimul cum illo reprehendat, pro ſuo peccato ingemiſcens. ſi verò ſit in eodem peccato occultè, non peccat iudicando alium de peccato eodem, maximè cum humilitate, & cōnatu ad reſurgendum. Vnde Au-
Aug. de ſer. dñi. guſti. Cogitemus, inquit, primùm, cum aliquem reprehendere, neceſsitas nos cogit, vtrum tale ſit vitium, quod nunquam habuimus: & tūc cogitemus nos etiam habere potuiſſe: vel tale quod habuimus & iam non habemus, & tunc tangat memoriam fragilitas cōmunis: vt illam correctionem non odium, ſed miſericordia præcedat. Si autem inuenimus nos in eodem vitio eſſe non obiurguemus, ſed congemiſcamus, & ad pariter condolēdum inuitemus. & hæc eſt via rectè iudicandi, & reprehendendi, ad ſeruandum, non ad perdendum proximum.

Porrò, iudicium iniquum, & temerarium, maxime cauendum eſt: vtrumq; enim cauſa damnationis eſt. iniquum quidem eſt, quod fit contra regulam iuſtitiæ. Temerarium verò dupliceт cōmittitur: vnomodo, quādo aliquis procedit circa id quod eſt ſibi commiſſum iudicium, abſque debita veritatis cognitione, fallacibusq; indicijs, audet ſentētiam ferre. alio modo, quando aliquis vſurpat ſibi iudicium de occultis, de quibus Deus ſolus iudicare habet, vt ſunt cordium cogitationes, & futura contingentia. De hoc quidem iudicio temerario, fit mentio in multis ſacræ ſcripturæ locis. in Eccleſiaſtico dicitur,
Eccl. 5. Ne temerè quid loquaris. & in Euangelio, Nolite iudicare, & non iudicabimini. Sed potius ſumite exēplū beati Iob, qui cauſam quam ignorabat, diligentiſsimè vt ipſe dicit inueſtigabat, in his ſcil. iudicijs, quæ ad eum pertinebant.

2. *Scimus enim quoniam iudicium DEI eſt, ſecundum veritatem in eos qui talia agunt.)* Cuncta quæ fiunt, vt dicitur in
Eccl. vlt. lib. Sapientiæ, adducet Deus in iudicio.
Iob. 19. & beatus Iob, Vltor, inquit, iniquitatis eſt gladius, & ſcitote eſſe iudicium. Si enim peccatorem ſibi ſimilem iudicat, quanto magis Deus iudex iuſtus, iudicabit hominem iniuſtum & peccatorē, ne illi mala placere, & diſplicere bona forſitan videantur. Erit ergo iudicium Dei, de cunctis quæ in tempore aguntur. Illud autem erit ſecundum veritatem, iuxta illud Pſalm. Iudicabit orbem *Pſal.*
terræ in æquitate. Hominis iudicium, etiam ſi iuſtè iudicet, non ſemper eſt ſecundum veritatem negotij, ſed ſecundum dicta teſtium, quæ quandoq; diſſonant à veritate: nec poteſt homo iudicare de ſecretis cordium vti Deus, qui ſolus ſcrutatur renes & corda. Poteſt item multis alijs modis humanum iudicium violari, dum non ſecundum cauſæ merita fit, ſed ſecundum perſonarum acceptionem. Amore enim aut odio: timore, aut auaritia, iudicij integritas violatur, & contra iuſtitiæ regulam interdum voluntas inclinatur. At verò in iudicio diuino non eſt ſic: quia, vt ipſe per Hiere. dicit, Eſt iudex & teſtis, non *Hie. 29.*
poteſt falli, falſis allegationibus: nec, vt ait Iob, parcet peccatori, quaſi verbis potentibus, & ad deprecandum compoſitis. ſine perſonarum acceptione eſt iudicium eius, nec amicis ſuis, nec Angelis, legimus pepercisse peccantibus.

3. *Exiſtimas autem ô homo, qui iudicas eos qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium DEI.)* Hominibus quidem imponi poteſt: & horum iudicium, fortaſsis effugiet homo, qui coniecturas ac ſpeciem veri ſequentes, pronuntiant: cæterum arcana mentis non perſpiciūt. At Deus cuius oculis conſpicua ſunt omnia, non iuxta ſpeciem, ſed iuxta veritatem ſententiam feret, aduerſus eos qui patrant eiuſmodi flagitia, quæ modo recenſuit Paulus: ac proinde iudicium Dei nemo poterit effugere. quāuis autem hæc verba Pauli, ad omnes iudicatores pertineant, maxime tamen, ad principes & ſuperiores, qui cum non habeant iudicem ſuper terram, obliti iudiciorum Dei, abſque vllo timore perpetrant mala, quæ in alijs damnant: nec eſt qui eos audeat arguere, nec dicere,

ma-

malè agitis. ſed audiant iſti Sapientē, cum eis, & contra eos ſic loquentem: Horrendè & cito, apparebit vobis Dominus, quoniam iudicium duriſsimum,
Sap. 6. in his qui præſunt, fiet: exiguo enim conceditur miſericordia, potentes autē potenter tormenta patientur. audiant quoque & Paulum, zelo Dei affectum, hæc proferentem: *(Exiſtimas autem ô homo,)* ideſt vſque adeò tibi blandiris ô homo, (ſiue magnus ſis, ſiue paruus, ſiue potens, ſiue humilis, quiſquis ſibi conſcius eſt, hunc appello) vſque adeò, inquam, tibi blandiris, dum iudicas eiuſmodi vitijs obnoxios, vt exiſtimes effugere te poſſe iudicium DEI, cum ipſe committas eadem? cum tibi pœnas det homo homini, te non daturum pœnas Deo? & elaberis ab illius iudicio, cum tuum iudicium homines effugere non poſsint? ſi hæc exiſtimas, falſa eſt tua exiſtimatio: quò enim abibis à ſpiritu Dei? aut quò à facie eius fugies? ſi aſcendero in cœlum (inquit ille magnus & Rex & Vates) tu illic es: ſi de-
Psal. ſcendero in infernum, ades: ſi ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Vtinam hæc verba iſtius magni Regis, frequentius legerent, & intelligerēt Principes Chriſtiani, forſitan timor iudiciorum Dei, faceret eos, longè alios eſſe quàm ſunt.

4. *AN diuitias bonitatis eius, & patientiæ, et longanimitatis, contemnis?)* Oſtēdit cauſam falſæ exiſtimationis Ethnicorum, & omnium iniquorum, eſſe clementiam iudicis. perſuadent enim ſibi impunitatem, propterea quòd clementiſsimus Dominus, nolens mortem peccatoris, expectat, & vindictam differt iræ ſuæ, vt per pœnitentiam peccator effugiat iudicium eius. Tangit autem in hoc loco Paulus, triplicem gradum ingratitudinis, ſecundum triplex nomē hîc poſitum: nimirùm, bonitatem, patientiam, & longanimitatem. bonitas, eſt benignitas, qua ſuis copiosè nos afficit beneficijs. patientia, qua tolerat noſtra ſcelera, quibus fœdifragi in eum, impij, & ſacrilegi exiſtimus. longanimitas, qua non ſemel, & bis, ſed longiſſimis vitæ ſpatijs, nos perfert. ingratitudinis crimen ille committit, qui contra gratiam alicuius delinquit: gratia verò eſt, beneficium citrà debitum collatum: bonitate autem ſua nos DEVS gratis, tum condidit, tum cunctis beneficijs, tam naturalibus, quàm ſupranaturalibus, ad regnum cœlorum ſpectātibus, cumulauit. Cum primùm ergo, quis in Deū peccat, ingratus eſt in eius bonitatem: ſed qui ad primum crimen addit aliud, ingratus eſt in eius patientiam, ac proinde culpabilior. Cumulatior namque gratia, eſt peccatorē ferre, (vtpotè cui non ſolùm, nihil debeat Deus boni, ſed iuſtiſsimè etiam rependere poſſet malum) quàm mundum ex Soto.
nihilo creare: quando etſi nemo fuerat benè de Deo, non tamen vllus fuerat malè meritus. At verò cum quis non ſolùm à Deo auerſus, ſed etiam ſuā mentem relinquens, laxatis habenis in abyſſum vitiorum, à ſua ſe ſinit cupiditate præcipitari, non ſolùm bonitate, & patientia, ſed etiam immenſa Dei longanimitate, ingratiſsimus abutitur. qui ad hunc vſque ingratitudinis gradum perueniunt, in profundo malorum videntur eſſe: qui non ingrati tantum, ſed Dei oſores, & contemptores, potiùs dicendi ſunt. iuxta illud, Impius cum in profundum malorum venerit, contem- Pro. 18.
nit.

Diuitias bonitatis, &c.) ideſt, exuberātem illam bonitatem, patientiam, & lōganimitatem, qua pœnam differens, multa tollerat, contemnit ille, qui in peccatis ſuis, non dubitat perſeuerare.

5. *Ignoras quoniam benignitas DEI, ad pœnitentiam te adducit?)* Benignitas in hoc loco, pro ſumma Dei liberalitate, & magnificentia accipitur. verbum aūt ignoras, ironicè dicitur: quaſi dicat, non eſt cur ignorare debeas, diuinam in te lenitatem, ac ſummam largitatem, haud quidem impunitatem polliceri nocentibus, ſed blandè inuitare ad pœnitentiam, vt beneficijs illius obrutus, incipias tandē tibi diſplicere. Vbi apertè

mon-

monſtratur, cur permiſerit Deus, iſtos tradi in deſideria cordis eorum, in paſſiones ignominiæ, & in reprobum ſenſum. nam cum poſſet inferre vindictã, occidere, &c, maluit tamen eos conuerti ad penitentiam. ideò enim obſtinationem noſtram, diutiſsimè expectat, nolens mortem peccatoris, ſed vt conuerſus glorificet eius maieſtatem. Atvero contemptus tantæ benignitatis eſt in cauſa, cur non conſideremus, quo fine nos expectet Deus. ô mira, & ineffabilis, erga homines, Dei benignitas & paciencia, cuius non fuerunt Angeli capaces: tum quidẽ quia ſuaptè natura intellectuales, abſque diſcurſu (non vt homines) omnia ſimul nouerant, nullam habuerunt cauſam excuſationis: tum etiam quia poſt electionẽ, ſunt voluntate inflexibiles, nec pœnitere valentes. Aprehendunt enim perſpicuè, & immobiliter, ea quæ natura ſua cognoſcunt, ſicuti nos prima principia, à quibus nulla nos ratio dimouere valet, vt quod totum ſit maius ſua parte. tum præterea, quia natura ſua immortalibus, nullum potuit certum indici tempus pœnitendi, quemadmodum hominibus deſtinata eſt tota hæc præſens vita. vnde, ſicut ait Damaſcenus, quod nobis eſt mors, illis fuit caſus per primum peccatum. tum denique cœlorum puritas, ferre non poterat peccatorum ſordes, quin vel peccatores euomeret, vel ipſi dirumperentur: ideò angeli peccantes, eodem momento, & à Deo auerſi ſunt, & nullo expectato redemptore, nulloq; conceſſo ſpatio pœnitendi, de faſtigio cœlorum, præcipitati, & in tartarorum abyſſum obtruſi. *Damaſ.*

Nec tamen tota eorum multitudo corruit, vel in vno homine totum humanum genus: quod ideò, niſi fuiſſet redemptum, nullus potiretur illa fœlicitate, ad quam ab æterno deſtinatus fuerat. Meritò ergo increpandi ſunt contemptores homines tantæ benignitatis, & patientiæ, & longanimitatis, qua nunquam Angelos Deus, ſed nos ad pœnitentiam inuitat. Quid dico longanimitatem? dicam potiùs infinitatem, qua tot, tantaq; ſcelerũ genera, tanta æquanimitate, & ſilentio, per tot annorum curricula, tolerat. quàm multa perfert, procraſtinando vindictam? qua diſsimulatione & lenitate, & quo ſilentio, tegit inimicorum ſuorum crimina? tanquam fidiſsimus zelator & cuſtos honoris ipſorum tegit illa Deus, dum Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos. omnes illuminat, omnibus inſpirat, ad omnium pulſat oſtium, per eximia allicit beneficia tam gratiæ, quàm naturæ. pollicetur præcioſiſsima gloriæ dona, terribilia comminatur, vocat per lectiones, per prædicationes, per exempla ſanctorum, per punitionem iniquorum, per ægritudines proximorum & deformitates, per longam vitam, per mortem repentinam, nihil denique omittit, quo ſitim ſuam inextinguibilem ſalutis noſtræ ſignificare valeat. his modis & multis alijs vocat nos Deus, tacensq; ac tegens noſtra delicta, vocat ad eorum pœnitentiam, cuius infinitæ & admirandæ clementiæ, ex parte quidem noſtra nihil aliud contingit reſpondere, niſi belluinus quidam ſenſus, quo ex tot prætioſiſsimis beneficijs & fauoribus, infauſtum nobis, acerbumq; furoris theſaurum, conflamus in diem Domini, quando manifeſtè veniet, & non ſilebit, & cognoſcetur ipſe iudicia faciens. *Pſal.*

Iure ergo optimo maius eſt gaudium in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta iuſtis qui non indigent pœnitentia. Non ſolùm propter difficultatem pœnitendi, in quam delabitur peccator obdurati cordis, & propter periculum vnde pœnitens eripitur, verum ob eximiam gratiam, nunquam Angelis impenſam, vt, Nonaginta nouem ouibus iuſtis in deſerto relictis, quæſitum Deus veniret hominem errantem, factus homo. quãobrem effulgentior eſt ratio gratiæ pœnitentium, quàm innocentium, pro eo quod in peccatoribus, non ſolùm nulla eſt ratio debiti, verum etiam vltionis maxima. *Luc. 15.*

Valet ſententia hæc Pauli, aduerſus eos qui libertatem arbitrij, ſtultè, & impudenter, auferunt, neminem enim

cogit Deus nec ad bonum nec ad ma-
lum, ſed benignitate nos ad pœniten-
tiam inuitat, & nimia pacientia, & lon-
ganimitate, expectat aſſenſum noſtræ
conuerſionis, ad quam, vt dictum eſt,
nos excitat quotidie quaſi infinitis mo-
dis.

6. *Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram, in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei.)*
Qui DEI voluntati reſiſtit qua vult
omnes homines ſaluos fieri, aut tardat
conuerti ad Dominum, durior fit, &
ineptior, ad pœnitendum: non ſolùm
hoc, verùm & Dei manſuetudinem, in
ſe ipſe ſibi vertit in cumulum damna-
tionis ſuæ. Dum enim obſtinata men-
te, quæ nullis rationibus ad pœniten-
tiam queat emoliri, Deum ad meliora
prouocantem aſpernatur, ac repellit,
recondit & accumulat ſibi theſaurum
iræ diuinæ: quæ etſi in præſentia ſeſe
nondum proferat, tamen aliquando
ſentietur, nimirùm (*in die iræ:*) ideſt, in
tremendo illo iudicij die, cum iam con-
ſumpta lenitate, hoc ſeuerius afficien-
tur impij ſupplicijs, quo contumacius
reiecerunt, ad meliora prouocantē Dei
māſuetudinem.

Secundum duritiam tuam.) ideſt, pro-
priam. Deus enim intentione ſua, ne-
minem indurat, ſed omnia ordinat in
bonum noſtrum: nos ſumus qui ſuper-
bia noſtra induramus nos metipſos, iux-
Iob. ta illud beati Iob, Dedit illi Deus locū
pœnitentiæ, & ille abutitur eo in ſuper-
bia. Dicitur autem cor induratum, ex
eo quòd non cedit tangenti Deo: nimi-
rum, quod nec tolerantis benignitate
emolitur, neque territantis metu, com-
minantiſq; flectitur iracundia: quem-
Orig. li. admodum, vt ait Origi. eadem pluuia,
3. de pri. terra bona, herbas profert bonas, mala
verò malas: atque eodem Solis calore,
liquefit cæra, indureſcit lutum: ita ea-
dem patientia Dei, cor alijs emolitur,
Aug. alijs verò induratur. Vnde Augu. quaſi
inuitus, inquit, vindicat Dominus, qui
in vitam, non in mortem, à principio cō-
ſtituit homines. ipſe enim infert ſibi
interitum, qui medentis contempſit cō-
ſilium Domini. & beatus Chryſoſt. Ille,
inquit, tibi omnia præſtitit, ad pœnitē- *Chry.*
tiam te euocans, tu te autem inflexus
manens, colligis tibi iram.

7. *ET cor impœnitens.)* ideſt pœniten-
tiæ neſcium. Dupliciter autem alicuius
cor, fieri poteſt impœnitens: aut per
obſtinationem, aut per deſperationem,
per illam, nimium confidentes peruer-
tunt in iram, bonitatem Dei: per hanc,
deſperantes auferunt eandem bonita-
tem: & vtroque modo eſt blaſphemia
in Spiritum ſanctum, quæ non remitte-
tur in hoc ſeculo, nec in futuro. per ſpi- *Ioa. 20.*
ritum enim ſanctum remittentur pec-
cata pœnitentium, minimè verò impœ-
nitentium. Hinc manifeſtè conſtat, vox
illa iudicis tremebunda, Ite maledicti
in ignem æternum, quod paratum eſt
Diabolo & angelis eius, quanto maiori
improperio, erit hominibus impœni-
tentibus, qui pœnitere noluerūt, quàm
angelis qui non potuerunt? His namq;
deſtinatus eſt ignis ille, quibus non eſt
conceſſum pœnitentiæ tempus: homi-
nibus verò non tam vleiſcendi animo,
quàm ad terrorem, facta eſt notitia loci
illius, vt iuſtitiæ timor, diuitias gratiæ,
& miſericordiæ cuſtodiret illis.

8. *Theſaurizas tibi iram.)* Recondita *Orig.*
Dei iudicia ſignificat. De triplici autē
theſaurizandi modò, fit mentio in ſa-
cra pagina. Eſt enim theſaurus in terra,
in qua prohibet Dominus theſaurizare.
& eſt theſaurus in cœlo, in quo iubētur
fideles ſuas opes recondere: eſt tertius
iræ Dei, hîc, ab Apoſtolo reprobatus.
Primus quidem theſaurizator, animalis
eſt & ſtultus: de quo in Euangelio, ſtul-
te hac nocte repetent abs te animam
tuam, quæ congregaſti cuius erunt? Se-
cundus verò, ſpiritualis eſt & Sapiens.
ſed tertius carnalis & ſaxeus: de quo hîc
dicitur, ſecundum duritiam tuam. Nā
qui perditè nunc obſtinati, tam DEI,
quàm ſui ipſorum obliti, neque de ma-
ximis flagitijs exiſtimabant ſe redditu-
ros eſſe rationem, tum quidem de mini-
mo quoque verbo ocioſo reſpondebūt,
omnia perſoluentes, vſque ad minimum
quadrantem.

9. *IN die iræ.)* Extremi iudicij dies, & cuiuſcunque hominis particularis, dies Domini, & dies iræ dicitur. dies Domini, quia in illo die faciet Dominus ſuam voluntatem, vt nunc faciunt homines ſuam. reddet enim tunc vnicuique iuxta opera ſua, & oſtendet ſe vniuerſorum dominum cum terrore *Ioel. 2.* magno, & tremore: iuxta illud Prophetæ, Magnus dies Domini, terribilis valde, & quis ſuſtinebit eum? dicitur etiã dies Domini, quia de die illo nemo ſcit, *Ez. 14.* niſi Chriſtus, vt innuitur in Ezechiele, & erit dies vna, quæ nota eſt Domino. dies autem iræ dicitur, quia in ipſa, ira ſummi Dei, ſummo cum rigore, manifeſtè incipiet crimina iniquorum vindicare. & competenter quidem, diei benignitatis, & clementiæ, opponit diem iræ, miſericordiam quodammodo terminantis, qua illuc vſque ſuſtentata eſt impœnitentium obſtinatio. Nam & ſi Dei miſericordia, in ſe infinita ſit, confert tamen illam nobis Deus, ſicut & pleraque alia, in numero, pondere, & *Orig.* menſura. Aceruus enim noſtrorum criminum, & adamantina durities cordiũ, fines illi præſcribit. Vnde eſt illud, Nõ-*Gen. 15.* dum cõpleta ſunt peccata Amorrhæorum vſque nunc. Et quamuis per Pro-*Ez. 18.* phetam pollicitus ſit Deus quòd in quacũque die reſipuerit peccator, ſuarum amplius iniquitatum non recordabitur, & longanimitatem hîc Paulus expectãtis enunciet. nuſquam tamen longam *Soto.* vitam promiſit nobis ſcriptura: imò verò admonuit, vt diem poſtremum, vel uti furem noctù, vigilantiſsimè opperiremur. Documento nobis eſt, tum generalis illa orbis innundatio, quando Deum pœnituit feciſſe hominem, tum Sodomorum conflagratio, quemadmodum, vt cumulatiſsima præceſſerit miſericordia, ira in maximam iracundiam Dei, transformetur. Vnde in Pſal. Exiſti-*Pſal.* maſti iniquè, quòd ero tui ſimilis? hoc eſt, quod ſimili, qua tu cauſa delinquis, ego te perfero? hoc eſt, quòd ceu tuis oblectatus delictis conniueo? Haud ita falſus exiſtimes. Redarguam enim te, & ſtatuam contra faciem tuam, vt tua te ipſius crimina reuincant.

10. *ET reuelationis.)* Dies reuelationis, dicitur iudicij dies, quia in conſpectu omnium, apperietur iuſtum DEI iudicium, quod nunc videtur eſſe occultum: & quia omnia opera, cuiuſcunq; meriti ſint atque valoris, ex omnibus ſuis cauſis, ac circunſtantijs, & accidentibus, erunt tunc etiam compertiſsima, atque adeò æqualitas iuſtitiæ, prorſus ſeruabitur in omnibus. Hæc autem reuelatio iuſtitiæ, reſpondet reuelationi iræ Dei ſuperius dictæ, quæ quidem in Euangelio reuelatur nunc per fidem, ſed tunc reuelabitur apperte, & manifeſte omnium oculis.

11. *Iuſti iudicii DEI.)* Per hoc verbũ *iuſti*, moderatur verbũ iræ, vt non morbum animi inteligamus perturbantem iuſtitiam: ſed (*iuſti*) inquit, quia non hominum more iudicabit, aut errans, aut fauens, ſed vt incorruptiſsimus, & omnium conſcius iudex.

12. *QUI reddet vnicuique ſecundum opera eius.)* Quemadmodum DEVS eſt ſummè verax, benignus, & inuitabilis: ira eſt ſumma æquitate præditus: atque adeò, vnicuique ſiue probo, ſiue reprobo, pro ſuis factis, præmium reponet. Quod quidem de habentibus vſum rationis tantum inteligitur. Nam prima gratia quæ ante rationis lumen, vel ex priuilegio in vtero, vel ex lege communi per Sacramentum quibuſdam confertur, ac perinde quæ illi reſpondet gloria, non rependitur pro operum præmio, imò eſt per ſe præmium ſolius paſſionis Chriſti, quæ quidem poſt gratia, in cauſa eſt meritorum. Pari quoque ratione, neque paruuli cum ſola decedentes originis labe, arcentur ingreſſu regni cœlorum ob opus proprium, ſed ob peccatum Adæ.

13. *Secundum opera eius.)* Sicut gratis iuſtificamur, ita & iuſtè præmiamur: quia ante gratiam, nullum eſt meritũ, per gratiam verò meremur, per quam iuſti efficimur apud Deum. Hinc Paulus, cum de gratia reconciliationis ſermonem facit, opera quidem excludit

D 2 quaſi

Ro.4. quaſi merita, nam ſi gratia, inquit, eſſet ex operibus, non eſſet gratia, ſed merces. At verò, vbi ſermo fit de retributione gloriæ, aut ſupplicij, id iuxta operum merita, conſtituit emetiendum nobis à Deo, vt in hoc loco. Nam & ſi opera noſtra ſecundum eorum ſubſtantiam conſiderata, non ſint digna vitæ æternæ, tamen quatenus a gratia proficiſcuntur, quantumuis leuia, & parua, & momentanea videantur, ęternum gloriæ pondus, ſupra modum, in ſublimi- *2.Cor.4.* tate operantur in nobis. Opera igitur *Aug c.7 de gra. et lib. arbi.* noſtra, & dona dicuntur ab Auguſt. & merita noſtra: dona quidem, quia auxilio Dei, nobis illa proueniunt: merita verò, quia per noſtram etiam fiunt liberam voluntatem, per quam noſtrarum ſumus actionum Domini. Similiter vitā æterna, & gratia dicitur, & præmiū: hoc, quia noſtris meritis datur: illud verò, quia ea ipſa merita quibus datur, non à nobis parata ſunt per noſtrā ſufficientiam, ſed in nobis facta per gra- *Aug. de corr. & gra. c. 13* tiam. Miſericordia itaq; Dei, vt ait Auguſt. ſemper adhæret iuſtis, ſiue cum conuertuntur, ſiue cum præliantur, ſiue cum coronantur. Quibus verbis inſinuat triplicem gratiam, ſcil. operantē, a qua præuenimur: cooperantem, per quam meremur: & præmiantem, dum coronamur. & hoc eſt in cauſa, quòd, vt aiunt Theologi, præmium ſemper eſt vltra condignum, quia non per noſtram nos ſufficientiam, ſed per ſuam ipſius gratiam, illud obtinemus. Supplicium verò, ſemper eſt citra condignum. nam quanuis in inferno, ex lege iam poſita, ad iuſtum Deus agat cum reprobis, nihilominus quia meritò potuiſſet acerbiora in illos ſuplicia ſtatuere, dicitur punire citra condignum. Vtrumq; tamen eſt æternum, & præmium, & ſuplicium. Iuſtorum enim officia, opera ſunt, tum filiorum Dei, tum etiam in immenſam ipſius bonitatem, & gloriam relata, ac perpetuo propoſito confirmata, ideò digna profectò ſunt vita æterna. Similiter, iniquorum commiſſa, quibus ab illo infinito bono, perpetua intentione veluti tenebrarum filij, deſciſcunt, digna profectò ſunt perpetuis ſuplicijs. nam vt inquit Auguſt. in retri- *Aug. 21. de ciu.* butione iuſtitiæ, non cōſideratur æqualitas temporis inter culpam & pœnam, cum & in ciuili Repub. pro breuiſsima adulterij culpa, capite plectitur adultera, atqueadeò perpetuò priuatur, viuētium ſocietate. ita etiam non eſt mirū, ſi peccata commiſſa contra charitatem, per quam ſcil. eſt ſocietas inter Deum & homines, æternaliter, diuino iudicio puniantur: atque huius rei iudicium eſſe iuſtiſsimum, patet ex cauſa iam dicta, videlicet, ex voluntate peccantis volentis in peccatis ſemper eſſe, vt auarus, aut fornicator. Deus enim qui inſpector eſt cordis, præcipuè ad voluntatem peccantis attendit.

Aſsignatur autem ſecūdum Theologos, duplex damnatorum pœna, videlicet, damni, & ſenſus, quas ſapienter diſcernunt hoc modo: vt pœna damni, auerſioni à Deo reſpondeat: pœna verò ſenſus, conuerſioni ad creaturas: & ad hāc pœnam, quod in hoc loco ait Paulus ſ. (*ſecundum opera*) referri debet: vt, exempli gratia, eadem ſit proportio inter tormenta Iudæ, & diuitis epulonis, & aliorum, quæ fuerat inter eorum delicta: iuxta illud, Pro menſura delicti, *Pro. 26.* erit & plagarum modus. Pœna autem dāni, quæ eſt carentia diuini cōſpectus, quanuis multi dicant quòd eſt æqualis omnibus dānatis, dici tamen poteſt, quòd habeat ſuos doloris gradus. Acerbius enim per ſe torquebit eos, qui maiori odio Deum habent: veluti idem exilium, eò grauius, moleſtiusq́ue feret quis, quò à maiori, magisq; inuiſo hoſte fuerit impoſitum.

14. *HIS qui ſecundum patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem, quærentibus vitam æternam. ijs autem qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira, & indignatio, tribulatio & anguſtia, in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primum & Græci. Gloria autem, & honor & pax, omni operanti bonum, Iudæo primùm & Græco.* Diſtributio diuinæ iuſtitiæ fiet in hūc mo-

modū. Nimirum, reddet Deus vnicuiq; præmium pro factis ſuis: alteris quidem veram gloriam, honorem & immortalitatem, ſeu incorruptibilitatem, nempè (*ijs qui ſecundum patientiam boni operis*) ideſt, qui perſeuerantes in bonis operibus, (*quærentibus*,) ideſt, qui quærunt, non temporalem, caducam, aut bonam vitam, ſed (*æternam, alteris*,) rurſus, (*Qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati*) ideſt, qui peruerſè contentioſeq; maluerunt iniuſtitiæ, quam veritati obtemperare, digna ſuis factis, merces erit: non irritata, (*ira, indignatioque*) diuina: atque hinc (*tribulatio*,) ideſt, afflictio, (*et anguſtia*,) ideſt, animi anxietas: eaq; pœna, (*in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primum & Græci*.) ideſt prædicta pœna, manet ex æquo mortales omnes, quicunque peccarunt, ſed in primis Iudæum & Græcum, vt primàs teneant in pœnis, quibus primùm oblata eſt Dei benignitas. è diuerſo, (*Gloria, honor, & pax*.) ex æquo rependetur (*omni operanti bonum*,) ideſt omnibus quicunque bene vixerint, ſed in primis (*Iudæo ſimul & Græco*.)

15. *SECVNDVM patientiam boni operis.* Patientia in hoc loco, ſumitur pro perſeuerantia in bono opere: vnde Chry- Chry. ſoſtomus aſſeuerauit, non ſola fide noſtram conſcientiam ſe iudicem, quando ad tribunal Dei, opera etiam ipſa examinabit. & conuenit cum illo ſuperius dicto, iuſtus ex fide viuit. Nam inde opus eſt nobis patientia, quòd operamur ſpe bonorum, quæ non videntur. vnde fit manifeſtum, quod non qualemcunq; inſinuet perſeuerantiam, ſed illam quæ eſt cum tolerantia, & ſuſtinentia moleſtiarum inimicorum animæ. Poteſt enim in re ſuaui, & grata, eſſe perſeuerantia atque patientia. Optimè autem reſpondet patientia hæc, patientiæ Dei ſuperius dictæ. Nam ſi culpas ipſe noſtras, adeo benignè tolerat, vt ab ipſis reſipiſcamus, cur nos moleſtias temporis, propter Deum non ſuſtinebimus, vſque in vitæ finem. quod dico propter Deum? imo & propter nos: quoniam hæc virtus, eſt portus noſtræ ſecuritatis, huic debetur palma. ad hanc pertinet noſtra ſalus, & omnium virtutum perfectio. Nam patientia, inquit Iacobus, opus perfectum habet. & Saluator noſter, in patientia veſtra, poſsidebitis, ideſt, ſeruabitis animas veſtras. & alibi, Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Hæc excitat vniuerſos, ad laborem virtutis. Delicatos ac molles, vt excutiant pigritiam, & timorem: deſides, ac ſocordes, ne langueſcant in via: ſed debiles, ac imbecillos, ne tentationum frangantur vehementia.

Iac. 1.
Luc. 12.
Mat. 10.

16. *Quærentibus vitam æternam.*) Tria ſunt ad meriti perfectionem neceſſaria. primum eſt perſeuerantia, de qua iam dictum eſt. Secundum eſt, bonitas operis: quod quidem tunc dicitur bonum, cum fit ſecundum ordinem ad debitum finem, & ſecundum quod conuenit regulæ debitæ, quæ eſt lex DEI, & ratio humana. Tertium eſt, rectitudo intentionis, quæ exprimitur hîc, cù ait, *quærentibus vitam æternam*, vt ſcilicet in malis quæ homo patitur, vel in bonis quæ agit, non quærat aliquid temporale, ſed æternum, iuxta præceptum Domini dicentis, Quærite primùm, (id eſt, principaliter, & ante omnia,) regnū Dei. Hæc tria pertinent ad meritum, ad præmium autem tangit conſequenter alia tria dicens.

17. *GLORIAM, & HONOREM, & incorruptionem.*) Hic, manifeſtè patet, quod fides Chriſtiana, non damnat naturalem noſtrum appetitum gloriæ, & honoris, aliorumq; bonorum quorum oblectamentis, alliciuntur homines ad virtutem. Sed oſtendit, vnde ſint legitima hæc, veriſsimaq; expetêda. Hac enim de cauſa Chriſtus Dominus, vbertatem & affluentiam æternæ vitæ, nobis per conuiuium patefecit, cum dixit: Et ego diſpono vobis regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam, &c. pari modo Apoſtolus, glorioſis Romanis, ſi caducis ac vanis mundi rebus, contemptis, ſolam æternam

Luc. 8.

vitam conquirerent, gloriam & honorem proponit, non qualia eorum Philoſophi docebant, ſed quæ eſſent cum æternitate coniuncta. Equum enim eſt, qui pro æterno Deo laborauit, illique obtemperauit, & ab eo æternam quæſiuit vitam, vt viuat, glorificetur, & honoretur in æternum.

18. *GLORIAM.*) Significat hæc, claritatem ſanctorum, tam interiorem, quàm exteriorem. Beati enim tam anima quàm corpore, erunt amicti lumine, ſicut veſtimento. *Pſal.* Implebit, inquit Eſaias, ſplendoribus animam tuam. *Eſa.58* Et Apoſtolus, Reformabit, inquit, corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ. *1.Cor.15* Et ipſe Dominus, Fulgebunt, ait, iuſti, ſicut Sol, in regno patris eorum. *Mat.13* Circunſtabunt namque in conſpectu illius infinitæ maieſtatis, veluti aſtra ante faciem Solis, coruſcãtes ſuo quiſque fulgore, quo fuerint ab illa promeritis irradiati.

Amb. ¶ Sumitur etiam gloria, teſte Ambroſio, pro clara notitia cum laude, qua vnuſquiſque beatorum, erit cum ingenti laude notiſsimus, tum Deo, tum etiam alijs. Hinc dignitatum, opulentiæ, generis, & huiuſmodi, amplitudo, gloria nũcupatur: & qui in his ſunt magni & præcelſi, dicuntur clari, & illuſtres. Ite, *Gen.45.* inquit Ioſeph fratribus ſuis, & annũtiate Patri meo, omnem gloriam meam. Hęc igitur ſanctorum gloria, quæ in hac lachrymarum valle, tot calamitatibus & miſerijs eſt opperta, erit in illa die, Chriſto authore, ſpectatiſsima: Videlicet, dum an[...]moru[...] proſpector Deus, pondus meritorum, publicè manifeſtabit, dicens, Eſuriui, & dediſtis mihi mãducare, &c. Nec delictorum ſordes, gloriæ quidquam obnubilabunt illis, quorum fuerit ignominia, per pœnitentiæ fructus, contecta. *Pſ.*

Philoſophi. 19. *ET HONOREM.*) Honor, iuxta Philoſophos, eſt quidquid alicui, in teſtimonium excellentiæ alicuius impẽditur, ac potiſsimum virtutis, cuius honor eſt præmium. Honorat a[...] tam Princeps, ſuo ordine ciues præmiando, quàm ciues contrà, principem reuerendo. Sanctorum igitur honor, eſt eorum dignitas, à Deo illis exhibita: nempè quod amici Dei, Reges, & Sacerdotes, quin, & filij DEI, & dicantur & ſint: *Luc. Apoc.5.* quo nihil maius, dici, aut eſſe poteſt. *Ioa.* Ad hæc, erunt tanquam fideles miniſtri, in conſpectu Domini ſui, vbicũque fuerit ipſe. *Sap.5.* Sedebunt inſuper tanquam victores, (mira profectò dignitas) cum duce ſuo IESV, in throno gloriæ ipſius, ſicut & ipſe vicit, & ſedet cum patre ſuo, in throno eius. *Apoc.3.* Huic præcxcelſæ maieſtati, ſummam vbique & aſsiduè exhibebunt reuerentiam, inſtar ſeniorum illorum, qui procidentes in facies, coronas de capitibus proijciebant in terra, adorantes Dominum. Nam (vt dictũ eſt) honorat tam princeps ſuo ordine ciues præmiando, quàm ciues contrà, principem reuerendo. inde etiam illis, omnis creatura reuerentiã præſtabit, quæ debetur filijs Dei, quam neque filij Sathanæ miſeri, negare poterunt, cum apperta confeſsione, in illo die videntes eos, & expauefacti, publicè dicturi ſint, Ecce quos habuimus in deriſum, quomodo computati ſunt inter filios Dei. *Sap.5.* Mutuis quoque honoribus, ſeipſos decorabunt, vnumquemque pro merito & gradu ſuæ dignitatis: quod vtique erit, citra omnem inuidiam. Nam in poſſeſſione immenſi illius pelagi infinitorũ bonorum, nullus erit inuidiæ locus, vt inferiores exardeant in ſuperiores. ſua enim vnicuique (iuxta Chriſti promiſſum) erit menſura plena, proq; ſua dignitate, conferta, & coagitata, & ſuperefflueus. Igitur cum deſideriũ cuiuſq;, ſit prorſus impletum, non eſt cur in mutuis illic honoribus, decorum ab omnibus non ſeruetur. In hac autem præſenti vita, non eſt ſic. Nam cum ſecundum Philoſophum, honor ſit in honorante, hoc eſt, non ſit in poteſtate illius qui honore dignus eſt, pro ſuo merito honorari, ſed in arbitrio honorantis, fit, vt frequenter, iniuſte diſtribuãtur honores. *Phus.* At verò, in illa cœleſti Hieruſ[...], vbi nulla poteſt eſſe vo[...] c[...]m [...]a ratione coniũcta, nullus eſt, qui vel proprio poſſit frau-

fraudari honore, vel quemquam ſuo velit defraudare. Vnde manifeſtè conſtat, quod ſicut præſentis vitæ, non eſt multi faciendus, ita honor illius beatæ vitæ, eſt plurimi habendus. Nam honor præſentis vitæ, (vt dictum eſt) ab iniquis, & inſipientibus exhibitoribus, contingit negari dignis, & concedi indignis: atque adeò non eſt verus, nec legitimus honor: ſed beatorum honor, eſt legitimus, & verus, qui ab ijs qui prudentia, & probitate præſtant, exhibetur: quarum vtraque virtus, illic ſuprema eſt, vbi Deus, & viſu præſens cognoſcitur, & viſus, amore amplectitur.

20. *ET incorruptionem.)* Hoc dicit, quia prædictus honor & gloria, non erunt tranſitoria, ſicut ea quæ ſunt in hoc mundo, ſed ſolida & vera omnibus qui diuina præſentia perfruuntur. Quod enim corruptioni non ſubditur, ab omni prorſus detrimento, liberum eſt, qualis beatus eſt in patria. Vnde manifeſtè conſtat, quod in hac vita, nulla contingit vera fœlicitas, vt potè quæ, in tanta rerum turbulentia, nequeat eſſe perpetua, & vniformis.

21. *HIS autem qui ſunt ex contentione.)* Hebræorum more loquitur, & ſignificat contentioſos, vt etiam cum dixit, ij qui ſunt ex circũciſione, pro eo quod eſt circumciſi. Eſt autem contentio, impugnatio agnitæ veritatis, & videtur tangere illos, qui per fidem euangelicã, nolent abijci cæremonias legis: item, omnes qui ex proprio vitio, nolent dimittere ſua falſa dogmata. Quemadmodũ ergo, de patientia & perſeuerantia dictum eſt, quod eſt fons, & robur bonorum omnium meritorum, ita & contentio contra fidem radix eſt malorum omniũ, ea parte, qua, teſte Greg. *Greg. 31. Moraliũ* filia eſt ſuperbiæ, quæ, vt ait Sapiens, *Eccle.* initium eſt omni peccati: idcirco Hieronymus *Hiero.* in hunc locum, Audiant, inquit, qui ſæpe victi, animoſitate contendũt, & timeant in conſuetudine peſsima permanere, ne iſta omnia ſuper eos deputentur.

22. *ET qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati.)* Expoſitio eſt præcedentis verbi: nam contentioſi hominis eſt, non credere veritati, ſed obedire potius iniquitati: & ſicut veritas, idem eſt quod æquitas, ita iniquitas, idem eſt quod falſitas. quoniam veritas, regula eſt in intellectu DEI, ſuæ ipſius voluntatis, cuius comparatione, æquitas conſtituitur in opere. Euangelicæ veritati, non credebant Romani, ſed conſentiebant iniquitati, vel falſitati, vt relicto creatore, deſeruirent creaturæ.

23. *Ira, & indignatio, tribulatio, et anguſtia.)* Hæc quatuor pertinent ad theſaurum malorum, quæ ſibi congregauit omnis iniquus: ideò non dicit, reddet, ſicut dixit de gloria, & honore, quæ ſunt ornamenta virtutis, & vitæ æternæ. Bona enim cuncta, ex propoſito Dei nobis obueniunt: mala verò, nobis ipſi paramus, præter Dei intentionem. Diſtinguntur autem hæc quatuor, in hunc modum. Ira, ſignificat executionem iuſtitiæ Dei, vel diſpoſitionem ad puniendum: quæ quidem erit malis, valde horribilis, dum montibus & petris dicturi ſunt, Cadite ſuper nos. Indignatio, ſignificat ſententiam judicis, pro- *Apo. 6.* nuntiantis peccatores omnes indignos eſſe vita æterna, dignos verò vltione iuſtitiæ, prout ipſi conuicti à iudice, & indignati ſibi ipſis, manifeſtè confitebuntur dicentes, Errauimus à via veri- *Sap. 5.* tatis. Tribulatio, dicitur à tribulo, quæ pungit: vnde ad tribulationem poteſt pertinere, omne quod dolorem infert. Tribulantur quidem impij, in tartara coniecti, vbi tormentorum doloribus inuoluentur, qui, ſi mortales eſſent, ſingulis eos momentis, abſumerent. Anguſtia, dicitur ex hoc quòd animus hominis anguſtiatur, non valens inuenire remedium, contra mala quæ timet, vel iam patitur. Anguſtiæ mihi ſunt vndiq;, aiebat Suſanna, & quid eligam ignoto. *Dan. 13.* In talibus anguſtijs erunt damnati, concluſi in inferno, vt neque mors, valeat eos eruere, neq; Deus velit eos amplius exaudiri. Nunquid clamorem illius, ſcil. dam-

damnati, ait beatus Iob, audiet Deus, *Iob.17.* cum venerit ſuper eum anguſtia? quaſi dicat minimè. Quamobrem, miſeri in inferno, tribulatione ſimul & anguſtia, maximè affliguntur.

Orig. Origenes in hoc loco, ſapientiſsimè diſtinxit tribulationem iuſtorum in hac vita, à tribulatione iniquorum: videlicet, quòd priorem illam, nulla ſequatur anguſtia, eo quod ſubſidiū Dei, veluti aſylum ſibi cōnſtituant pij. De qua idcirco tribulatione, ait Paulus, Tribu- *Rom.5.* latio, patientiam operantur. Et rurſus, *2.Cor.4* Tribulationem patimur, ſed non angu- *Pſ.4.* ſtiamur. Et Dauid, In tribulatione dilataſti me. Quia de cauſa Deus de ſanctis ſuis, quos habere nouit, intra cordis ſui domicilium, ſpatia, longè lateq́; diffuſa, dicit, Habitabo in eis, & inambulabo. At verò, iniquorum tribulationem, anguſtia ſubſequitur, quæ cumulum ſupliciorum perficit: in quorum anguſtiſsima corda, diabolus ingreditur, non vt inambulet, ſed vt tanquam ſerpens, lateat in cauerna. hæc ille.

24. *IN omnem animam hominis, operantis malum.*) Sumitur anima pro homine, pars pro toto, vt in Geneſi, Iacob *Gen.46.* cum 70 animabus, id eſt, hominibus, in Ægyptum, fertur ingreſſus. Vel (*in omnem animam.*) id eſt, contra omnem animam, quia ſicut gloria ſanctorum, ab anima ad corpus deriuatur, ita reproborum pœna, primò & principaliter, eſt in anima, & ſecundo in corpore: quod propter deffectum, & culpam animæ, reſurget paſsibile: quin, & antè corporis reſumptionem, anima interim, contorquebitur. Vbi confutantur hæretici, qui, vt ait Hiero dicebant, ſolam *Hiero.* carnem delinquere, & animam negant poſſe peccare.

25. *OPERANTIS malum.*) Perſeuerantiam & continuationem in malis ſignificat. Nam vt corona non datur niſi perſeuerantibus in bono vſque in finem: ita nec ſupplicium æternum, niſi peccantibus vſque ad mortem.

26. *IVDÆI primùm & Græci.* His primum, prædicatum eſt Euangelium DEI, & ideò in tormentis erunt etiam primi, grauiusq́ punientur: tum, propter alia commiſſa crimina, tum etiam, quia magnum fidei donum, reiecerunt. Quo in loco adnotant Theologi, quòd quamuis omnis infidelium pœna ratione infidelitatis, atrocior ſit, quàm illa quæ Chriſtianis infligitur, tamen, ob idem peccatum, quod nobis, illisq́; commune eſt, vt propter adulterium, vel furtum, ad maiora rapientur ſupplicia Chriſtiani, quaſi minorem habentes excuſationem ignorantiæ. Seruus enim ſciens voluntatem Domini, & non faciens, ait ipſemet Dominus, dignè plagis vapulabit multis. *Luc.12.*

27. *Gloria autem, & honor, & pax, omni operanti bonum.*) De gloria & honore, iam ſuprà dictum eſt. Loco autem incorruptionis ſuperius politæ, ponitur nunc pax: quæ quidem plus ſignificat, quàm incorruptio. Hæc enim tantum excludit, rerum contrarietatem, ad corruptionem tendentem. pax verò, vltra hoc includit etiam ſummam animi ac corporis tranquillitatem, ac requiem, ſummam ciuium concordiam ac lætitiam, perpetuis vinculis confirmatam. Hæc eſt illa pax, in die natalis Domini, ab Angelis decantata, quæ exuperat omnem ſenſum. Qua quidem, veluti quodam muro inexpugnabili, & perpetuo, circumſepta eſt illa cœleſtis ciuitas, vnde & nomen ipſa accepit, Hieruſalem. Significat enim viſionem pacis. Eſt autem pax, teſte Auguſt. ordo *Aug.* tranquillus, vel ordinata tranquillitas. Nihil ergo ibi videtur, quod non ſit, ſummo ordine collocatum, nihil deforme, aut imbecillum, aut nociuum. Nullum ibi periculum, amittendi bonum poſſeſſum. Nullus eſt pauper, aut ignorans. Omnes ſunt pleni diuitijs ineffabilibus. Omnes ſapientes, fortes, ſpecioſi, robuſti, ſani, & æterni. Et quamuis ſapientia, virtus, & pulchritudo, iuſtitia, & magnificentia Dei, in conditione, & diſpoſitione rerum naturalium appareat, ibi tamen maximè & manifeſte in magnitudine gloriæ ſanctorū, conſpicitur.

28.

28. *OMNI operanti bonum.)* Videlicet, omnibus diebus vitæ ſuæ: nam *Prou.* iuxta Prouerb. Omni tempore diligit, qui amicus eſt, & bona cœleſtia, dabûtur ſolis amicis Dei.

29. *Iudæo primùm & Græco.)* Quia primi erunt in honore, qui primi fuerunt, in fide & labore.

30. *NON enim eſt, acceptio perſonarum apud DEUM: quicunque enim ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt: & quicunque in lege peccauerunt, per legem, iudicabuntur.)* Equiſsimus eſt iudex erga omnes Deus: reddet vnicuique præmium, pro factis ſuis. Nec enim eſt apud Deum, vllius perſonæ reſpectus, vt Ex perſonæ reſpectu ſine operum examinatione, hunc iudicet, illum ſaluet, quemadmodum apud homines iudices eſſe ſolet: ſed is idem, pariter & æquus eſt omnibus. Proinde, (*Quicunque ſine lege,*) ſcil. ſcripta, peccauerunt Gentiles, (*ſine*) ſcripta etiam (*lege*) propter ſolam naturalis dictaminis tranſgreſsionem, (*peribunt.*) (*Et quicunque in lege*) ideſt contra legem, ſcil. ſcriptam (*peccauerunt*) eam tranſgredientes, (*per legem iudicabuntur,*) ideſt, condemnabuntur.

31. *NON eſt acceptio perſonarũ apud DEUM*) Acceptio perſonarum vitiũ eſt iuſtitiæ diſtributiuæ contrarium: quod tum quidem contingit, quando iudex, qualitatẽ reſpicit perſonæ, nihil ponderis habentem ad cauſam: vt ſi aliquis prælatus, propter conſangninitatem, bona eccleſiaſtica conferat indigno. Non enim conſignitas eſt ratio cõueniens diſtributionis bonorum ſpiritualium. Si verò in bonis diſtribuendis patrimonialibus talem quis habeat reſpectum, non eſt cur cenſeatur perſonarum acceptor: nam conſanguinitas eſt cauſa conueniens ad hoc. Quia igitur Deus, omnia conuenientiſsima ratione facit, non cadit in ipſum, perſonarum acceptio: diſponit enim omnia ſuauiter. Nec valet aduerſum hoc ſi dicas, quòd peccatorum quoſdam, in ſuis peccatis relinquit, quoſdã verò ad ſe vocat: quia vt dictum eſt, perſonarum acceptio, vitium eſt, iuſtitiæ diſtributiuæ cõtrariũ: iuſtitiæ verò nulla eſt ratio, vbi non eſt ratio debiti: Deus autem nõ ex debito, *Tit. 3.*
ſed gratis, ad pœnitentiam vocat. Nullus ergo apud Deum, eſt perſonarum reſpectus. Non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ait Paulus, ſed ſecundum ſuam miſericordiam, ſaluos nos fecit. Similiter in prædeſtinatione ſanctorum, cum longè minor inueniatur ratio debiti, ſed ſumma miſericordia, non datur illic perſonarum acceptio. At verò, in adultis iudicandis, de quibus hîc propriè, agit Paulus, acceptio eſſet perſonarum, niſi pro cuiuſque meritis, illis tribueretur præmium. Nam quamuis per ſe officijs humanis, non valeamus aſſequi futuram gloriam, diuina tamen præeunte gratia & cooperante eadem, tanquam obſequijs filiorum Dei, debentur æternæ vitæ præmia ex ipſius ſtipulatione, qua, ſeruantibus mandata, vitam illam promiſit. Paruuli verò, in omni æuo, ſine proprijs operibus, partim, ob meritum, fidemq; Chriſti, aliquo ſacramento aplicitum, vel in lege naturæ, aliquo ſacrificio, recipiebantur in regnum. Partim verò (vt qui tale ſacrificium, vel ſacramentum non receperunt) ob peccatũ Adæ, inde exulabunt, abſque pœnarum verò ſenſu. Nam ſicut in ipſo, omnes deliquimus, ita in Chriſto, omnes meruimus, quibus eius aplicatur fides. Et vt reprobi, ob parentis noxam, ſententiam exilij, perferunt: ita & prædeſtinati, ob merita Chriſti, ſempiternæ potiuntur hæreditatis. Vnde conſtat, nullam in eis ſubeſſe perſonarum acceptionem, ſicut nec in angelis, quos Deus abſque diſcrimine omnes ante propria merita, ſua dignatus eſt gratia, quemadmodum & noſtros primos parentes. Omnes igitur mortales, ex æquo iudicabuntur ſecundum merita: adulti, ſecundum propria: paruuli verò, ſecundum communia, nẽpè Chriſti, aut primorum parentum. Nihil tibi proderit, ô homo, in cauſa animæ tuæ, ante tribunal Chriſti, quòd fueris Romanus, aut Hebræus, Græcus,

aut

aut barbarus, nobilis aut ignobilis, ad hoc quod rationem vitæ præteritæ, exactè non reddas: quinimo, tanto vtiq; maiorem redditurus es, quanto plus boni, dum adhuc viueres, accepiſti de manu Domini: & pro meritis tuis, erit merces tua, ſiue in bono, ſiue in malo.

32. *Quicunque enim ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt.)* Hunc locum, ſapienter vt omnia, explicat D. Hiero. cuius verba ſunt hæc. ſine lege, inquit, litteræ, in lege naturæ. Hoc loco, peribunt & iudicabuntur, vnum voluit intelligi. quia & qui perit, per Dei iudicium perit, & qui iudicatur, peccator perit, ſicut ſcriptum eſt, quia peccatores peribunt. Nam & ſimiles illos facit, dicendo, non auditores tantum iuſtos eſſe, ſed factores. Et paulò inferius dicit, Gentes in die Domini iudicandas. Quis enim dubitat, tam ſub lege poſitos, quàm ſine lege degentes, niſi Chriſtum crediderint, perituros? Hæc Hiero. Animus verò Apoſtoli, per hæc verba, & quæ immediatè ſequuntur, eſt, oſtendere quòd non ſit perſonarum acceptio apud Deum, eo quòd omnes qui peccant, puniûtur. Iudæos item demittere, qui ex eo quod legem recepiſſent, putabant immunes fore, à reddenda ratione malefactorum ſuorum: vnde ſubditur.

Hiero.

33. *ET quicunque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur.)* Intelligit legẽ ſcriptam, datã Iudæis, per quam vtiq; omnes, illius tranſgreſſores, iudicabuntur.

34. *NON enim auditores legis, iuſti ſunt apud DEVM, ſed factores legis iuſtificabuntur.)* Hoc directè tendit aduerſus gloriationem Iudæorum, iactantium ſe ſuprà gentes, de accepta lege: ideò Apoſtolus rationem reddit, quare non ſint Gentibus meliores. Dixerat enim quicunque lege accepta peccauerunt, per legẽ iudicabuntur, non enim auditores legis, iuſti ſunt, &c. ac ſi diceret, non ſatis eſt audiſſe legem, vt iuſtus habearis apud Deum, ne quid hoc nomine tibi blandiaris ô Iudæe, (*ſed factores legis iuſtificabuntur.*) ideſt, qui factis ac moribus, legem exprimunt, præſtantq;: ij denique, iudice Deo, iuſti habebuntur.

35. *Factores legis iuſtificabuntur.)* Intelligitur de credentibus. Fides enim Chriſti, ſiue implicita, ſiue explicita, ſemper fuit radix & fundamentum iuſtitiæ Dei, iuxta illud ſupra dictum, Iuſtitia Dei, in eo reuelatur ex fide in fidem. Ex fide articulorũ, in fidem præmiorum. ex fide cordis, in fidem operis. Adultus ergo qui vult iuſtus fieri apud Deum, opus eſt in primis, vt credat quæ Deus & eccleſia dicit, deinde vt faciat quæ fides præcipit: videlicet, vt reſipiſcat vitæ præteritæ, vt ſperet præmium promiſſum, vt baptizetur, in nomine Patris &c. hæc ad primam iuſtificationem. Quæ verò deinceps ſequentur opera, deſeruient ad augmentum prioris: & ſic intelligitur illud Iacobi Apoſto. Eſtote factores verbi, & non auditores tantum, ſi quis auditor eſt verbi, & non factor, hic comparabitur viro, &c. & illud Saluatoris, Qui audit verba mea, & non facit ea, ſimilis eſt viro ſtulto, qui autem audit, & facit, ſimilis eſt ſapienti. Abeant ergo ſtulti Lutherani, qui à diabolo ſuaſi, audent aſſerere, ſolam fidem ſatis eſſe ad ſalutem. Diſperdat illos Deus tanquam mendaces, & faciat illos deſcendere in infernos viuentes.

Rom. 1.

Iac. 1.

Mat. 7.

Pſal.

36. *CVM enim gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt: euiſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis, ſcriptum in cordibus ſuis: teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe inuicem cogitationum, accuſantium, aut etiam defendentium, in die, cum iudicabit Deus occulta hominum, ſecundum Euangelium meum, per Ieſum Chriſtum.)* Oſtendit quòd factores legis, etiam ſi non ſint auditores, iuſtificabuntur. Nã Deus amplectitur, aprobatq; benefacta, etiam ſi nulla ſit lex: & magis auerſatur eos qui cum legem habeant, legi non obediunt: quanquam nullis omnino deeſt lex. (*Cum enim gentes,*) ideſt,

na-

nationes, (*quæ legem non habent,*) ſcili. Moſaicam, (*naturaliter,*) ideſt, naturæ ductu, (*quæ legis ſunt,*) ideſt, quæ lege iubentur, (*faciunt,*) ſcili. vltrò. (*Eiuſmodi legem non habentes,*) ideſt, quanuis nullo legis Moſaicæ præſcripto, moneãtur, tamen, (*ipſi ſibi ſunt lex,*) ideſt, legis vice: propterea quod (*oſtendunt opus legis, ſcriptum,*) ideſt, inſculptum, non in tabulis, ſed (*in cordibus*) ideſt, in mentibus ſuis: & quidquid apud eos qui ſub lege viuunt, geri ſolet apud tribunal, hoc in iſtorum pectore geritur: dum pro eis, aut aduerſum eos (*teſtimonium reddit illis conſcientia ipſorum & cogitationum,*) ideſt, cogitationibus, genitiuo pro ablatiuo, more Græcorum, vel conſcientia cogitationum, ideſt, quæ conſtat ex cogitationibus, (*inter ſe inuicem,*) ſcilic. altercantibus, quid faciendum vel non faciendũ. quæ quidem cogitationes, ſecundum doctrinam euangelij Chriſti, erunt accuſantes, aut defendentes nos in die iudicij. propterea inquit, accuſantium, aut etiam defendentium, ideſt, accuſantibus aut defendentibus nos (*in die*) iudicij, (*cum iudicabit Deus occulta hominum.*) Nam quod nunc fit in præcordiorum latebris, tunc, palàm fiet ſub omnium oculis, pronuntiante eo, cui nihil eſt occultum. & ſecundum hæc .ſ. conſciẽciæ teſtimonium, & cogitationes quas olim habuerunt, iudicabit illos Deus, quia bonum, malumvè non ignoraſſe, probantur, ac proinde cogitationes defendent, aut accuſabunt eos in die iudicij. Verùm hoc iudiciũ, aget Deus (*per Chriſtum*) filium, nunc Dominum ac ſeruatorem, olim iudicem futurum totius humani generis. atque hæc quidem erat pars euangelij quod Paulus prædicabat, ne quis fabulam, aut ſomnium eſſe putet: propterea dicit (*ſecundum euangelium meum,*) ſcili. quod ego prædico.

37. *GENTES quæ legem non habent.*) Inteligitur de lege ſcripta, ſolis Iudæis data. Sed ne Iudæi ſuperbirent, quòd præter ſuam, nulla eſſet alia lex, addit, quòd & gentes habebant legem & ſeruabant illam melius illis. In quo viciſſim, honorem Ethnicorum reſarcit, in quos ſuprà, acri accuſatione, inuectus fuerat. Vnde dicit.

38. *Naturaliter ea quæ legis ſunt faciũt.*) Inteligitur hoc, non de præceptis iudicialibus, aut cæremonialibus, quæ ad Iudæos ſolos pertinebant, qui proinde ſoli, ad eorum obſeruationem tenebãtur: ſed de moralibus, quæ ſunt præcepta decalogi, quibus vniuerſum humanum genus, natura ipſa, tum inſtituit, tum etiam obligauit. *Naturaliter,* inquit, *ea quæ legis ſunt faciunt,*) nõ dicit omnia, hoc enim fuit ſolius naturæ integræ, in primis parentibus, qui, parte ſenſitiua per iuſtitiam originalem rationi ſubdita, poterant naturaliter implere omnia præcepta, quoad ſubſtantiam operum. Nos verò in natura lapſa, non omnia, ſed tantum aliqua. *Aug in de ſpũ, et lrã. c. 28.* Vnde Auguſti. neque in malis, inquit, adeò eſt de trita imago Dei, quin in ſua impietate, aliqua legis opera faciant: licet, tam illi, quàm nos, abſque gratia nequimus vllum meritoriè adimplere. ideò non dicit, naturaliter legem complent, ſed quæ legis ſunt faciunt: quæ ſi feciſſent, vel ſi faciebant, Deus tunc ſuccurrebat illis per ſpeciale auxilium, illuſtrando eorum mentes altiori lumine, quo poſſent in Dei amicitiam recipi, & iuſti apud ipſum haberi, ſicut & de beato Iob dicitur, quod *Iob. 1.* erat iuſtus, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo. Et ipſemet hoc ipſum teſtatur, dicens, veſtigia eius, ideſt, præcepta naturalia, ſecutus eſt pes meus, ideſt, vita mea, vias eius cuſtodiui. *Iob. 23.* *Tho.*

39. *IPSI ſibi ſunt lex.*) Philoſophus *Eth. 10.* inquit, quod lex eſt ſermo, coactionem habens, ab aliqua prudentia & intellectu procedens. Eſt autem quadruplex dignitatis gradus in hominibus, vt notat S. Tho. *Tho.* primus & ſupremus eſt eorum qui non ab alijs, ſed à ſeipſis interius inducuntur ad virtutem. Secundus eſt eorum, qui inducuntur ab alio, ſed ſine coactione. Tertius verò eorum, qui coactione indigent ad hoc quod fiant

fiant boni. quartus denique eſt eorum, qui nec coactione, ad bonum dirigi
Hiere.2. poſſunt: de quibus eſt illud Prophetæ, Fruſtrà percuſsi filios veſtros, diſciplinam non receperunt. De primo igitur gradu, intelligitur hic Apoſtolus, quatenus aliqui Ethnicorum, fungebantur
Tho. officio legis ad ſe ipſos, vt ait D.Tho. inſtruendo ſe, & inducendo ad bonum per lumen naturalis rationis,non tamē, ſine aliquo cœli fauore. Et hoc etiam
1.Thi.1. modo intelligitur illud Apoſtoli,ad Thimoth. iuſto non eſt poſita lex: hoc eſt, exterius lege non cogitur: ſed poſita eſt iniuſtis, qui indigent exterius cogi.

40. *QVI oſtendunt opus legis, ſcriptum in cordibus ſuis.)* ideſt, illi qui ſibi ſunt lex, oſtendunt operibus exterioribus, quòd habeant interius in voluntate, ſcripta omnia opera, quæ lex rationis præcipit vt faciant, qualia ſunt, Deum diligere pluſquam ſe,& proximum tanquam ſe, & quæ ex his proficiſcuntur opera.

41. *IN cordibus ſuis.)* Cor noſtrum, eſt quodam membrum, in cuius cellulis ſpiritus vitales, motoresq́; ingenerantur: atque hac ratione, transfertur nomen cordis in ſacris literis, ad ſignificandam voluntatem, quæ omnium eſt potentiarum motrix: quare & tota mēte, & toto corde, iubemur Deum diligere. & quia omnis qui amat, habet id quod amat in corde, ideò illi qui amant viuere ſecundum legem rationis, habent opera legis in cordibus quaſi ſcripta, quæ illis ratio oſtendit, & præcipit vt faciant. & ſic exterius oſtendūt, quid habeant interius,& glorificant patrem verum, qui in cœlis eſt.

42. *Teſtimonium reddente illis conſciētia ipſorum.)* Conſcientia,vt ait D.Tho.
Tho. eſt aplicatio ſcientiæ, ſeu cognitionis habitæ, ad opus particulare, qua iudicatur, rectum ne ſit,an prauum: & quia iudicium ſumitur, collatione facta ad rationem, quæ eſt lex actionum, ſeu norma, fit, vt teſtimonium conſcientiæ, ſit manifeſtum indicium operum legis, quæ ſcripta ſunt in cordibus noſtris. Eſt ergo ſenſus, quòd cum gentes, in lumine naturali, conſcientiā habeāt, vnum eſſe colendum, ſummum rerum opificem, eaq́; à nobis præſtanda alijs officia, quæ nobis metipſis optamus, per id oſtendunt, rem legis inſculptam geſtare in cordibus. ex quo etiam manifeſtum fit, quod viuere ſecundum rationem, eſt homini naturale: peccare verò, eſt contra naturam hominis,quatenus homo eſt.

43. *ET inter ſe inuicem cogitationum.)* Quod dixit, conſcientia ipſorum, exprimit,dum ait, (*& inter ſe inuicem cogitationum:*) ideſt, conſciencia quæ conſtat ex cogitationibus,inter ſe ſe inuicē, ſcil. altercantibus de veritate & iuſtitia: & qualis fuerit cogitatio, talis erit, & conſcientia. tu igitur, cogitas,quòd furtum & homicidiū ſunt fugienda, ſi hæc non fugis, contrà conſcientiam agis. tu cogitas, quòd vnus Deus, eſt ſuper omnia colendus: ſi eum colis, ſecundū conſcientiam agis. ſed ſi animus eſt anceps, cogitationem ſequere,quæ tibi videatur, ſecundum ius eſſe naturæ.

44. *Accuſantium, aut etiam deffendentium, in die, cum iudicabit Deus occulta hominum.)* Cogitationes quæ nunc ſunt Tho.
occultæ, erunt in die iudicij omnibus Aug.2.
manifeſtæ: quarum aliquæ, accuſabūt de ciu.
reprobos, propter eorum praua opera, cogitationibus bonis contraria: aliquæ tuebuntur ignorantes, ignorantia ſcil. inuincibili, dum cogitatio illis bona fide perſuaſit,licitum eſſe quod faciebāt. Vnde ſicut Iudæi iudicabuntur per legem ſcriptam, oſtendentem eis viam veritatis: ita gentes, immò & omnes peccantes in ius naturæ, iudicabuntur per ſuas cogitationes, eandem veritatem proclamantes.& ſic poteſt intelligi, quomodo conſcientia in hoc ſeculo, fiduciam parit: & in futuro,gloriam: dicente beato Euangeliſta Ioanne, Si cor no- 1.Ioa.3.
ſtrum, non reprehendit nos, fiduciam habemus ad Deum. & Apoſtolus,Glo- 2.Cor.1.
ria,inquit, noſtra, hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.

45. *(CVM indicabit DEVS occulta hominum.)* Conſcientia & cogitatio humana, oculis humanis omnino eſt occulta, ac proinde ſolus Deus de illa judicare poteſt, & iudicabit, in illo die cum illuminabit abſcondita tenebrarum, ad confuſionem iniquorum, laudem verò bonorum. illi enim contrà, hi verò, ſecundum ſuam conſcientiam, operati ſunt. Tunc ergo cognoſcentur doloſi, fallaces, duplices corde, hipocrytæ, & traditores, & huiuſmodi: qui omnes magnam Dei ſentient indignationem.

46. *PER IESVM CHRISTVM.)*
Chriſtus Dominus, conſtitutus eſt à
Act.10. Deo, iudex viuorum, & mortuorum.
nam ei, tanquam redemptori compe-
tit vniuerſale iudicium, in quo videbi-
tur ab omnibus, ſiue bonis, ſiue malis.
iuxta illud beati Ioa. in Apocal. Vide-
Apo.1. bit eum omnis oculus, & qui eum pupu
gerunt: ſed à bonis quidem videbitur,
etiam ſecũdum gloriã diuinitatis, dicẽte
Iſa.33. Iſaia, Regem in decore ſuo videbunt. à
malis verò ſecundum naturam humani-
tatis tantùm, quia ſcriptũ eſt, Tollatur
impius, ne videant gloriam Dei.

47. *Secundum Euangelium meum.)* Hoc
quod prædictum eſt de futuro iudicio,
eſt vna pars euangelii, quod Paulus
prædicabat. Et quod ſuprà vocauerat
euangelium Dei, dicit modò euange-
lium ſuum: aliter tamen, & aliter. euan
gelium quidem Dei, tanquam autho-
ris, & reuelatoris ipſius: ſuum autem,
tanquam miniſtri. Et quamuis baptiſ-
mi, eſſet etiam miniſter, non poterat
propriè dicere baptiſmum ſuum: quia
in baptiſmo, nihil operatur induſtria
hominis. Sed in euangelio prædicando,
induſtria hominis operatur: iuxta il-
Eph.3. lud, Prout poteſtis legentes inteligere,
prudentiam meam in miniſterio. Ba-
ptiſmus, & gratiam confert, & eſt pro-
feſsio fidei: ideò tantum dicitur Chri-
ſti, per cuius vnius gratiam, & fidem,
iuſtificamur. Euangelium verò ſanctifi-
cationem etiam operatur, mouendo,
ſcil. audiẽtium animos, quod miniſtris,
ſuo quoque modo conuenit.

48. *SI AVTEM tu Iudaus cognominaris, & requieſcis in lege, & gloriaris in Deo, & noſti voluntatem eius, & probas vtiliora inſtructus per legem, confidis te ipſum eſſe ducem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris ſunt, eruditorem inſipientium, magiſtrum infantium, habentem formam ſcientiæ et veritatis in lege. qui ergo alium doces, teipſum non doces? qui prædicas non furandum, furaris? qui dicis non mœchandum, mœcharis? qui abominaris idola, ſacrilegium facis? qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis, Deũ inhoras? Nomen enim Dei per vos blaſphematur inter gentes, ſicut ſcriptum eſt. Circuncisio quidem prodeſt ſi legem obſerues, ſi autem præuaricator legis ſis, circunciſio tua præputium facta eſt. Si igitur præputium iuſtitias legis cuſtodiat, nonne præputium illius in circunciſionem reputabitur, & iudicabit id quod ex natura eſt præputium, legem conſummans, te qui per literam et circunciſionem præuaricator legis es? Non enĩ qui in manifeſto, Iudeus eſt: neque quæ in manifeſto in carne, eſt circunciſio: ſed qui in abſcondito, Iudeus eſt: & circunciſio, cordis in ſpiritu, non litera: cuius laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt.* Conuertit ſe ad Iudæos, docens: opere, non nomine tantum, debere eſſe Iudæum, eumque eſſe verum, cuius occulta ſunt bona, reſpiciẽs ad illa prima verba huius capitis, inexcuſabilis es omnis qui iudicas. & præterea amplificat quod dixerat, non auditores, ſed factores legis, æſtimari apud Deum, vt potè quòd non ſolum facientes naturaliter legem ſine auditu, iuſti olim habebantur, verùm quòd auditores contra abſque opere, peiores ſint exiſtimandi. Inquit ergo, *(Si autem tu Iudæus,)* quaſi dicat, audi me nunc ô Iudæe, vt comprimatur tua elatio, *(ſi tu Iudæus cognominaris,)* cuius cognomento tibi places, *(& requieſcis in lege)* tibi à DEO prodita, quaſi per eam certificatus in credendis & in agẽdis, *(& gloriaris in Deo,)* tanquam in authore tuæ religionis, per quem legem accepiſti, *(& noſti voluntatem eius, & probas.)* ideſt, potes probare præ gentibus *(vtiliora,)*. Vt non ſolùm ipſe di-

noſcas quæ fugienda, quæ expetenda ſint, verumetiam quæ in bonis præcipua, & hæc quidem dignoſcis (*inſtructus per legem,*) ideſt magiſterio legis edoctus, & ex ſacris literis à Deo profectis, (*confidis*) etiam, (*te*) ſcili. poſſe (*eſſe ducem cæcorum*) vel cæcis, (*Lumen eorum qui in tenebris ſunt.*) quaſi dicat, confidis te prælucere poſſe ijs qui in tenebris verſantur, hoc eſt, (*Eruditorē*) eſſe poſſe. (*inſipientium*) ideſt, parum ſapientium, (*magiſtrum,*) ideſt, doctorem, (*infantium,*) ideſt, ſtultorum, (*habentem formam ſcientiæ & veritatis in lege.*) quaſi dicat, ideò ita confidis, & hæc iactas, quia habeas formam veræ ſcientiæ, & certæ veritatis in lege, ideſt per legem ad quam ſemper reſpiciens errare non potes. Hoc igitur tibi lex præſtitit, vt formam, vitæq́ue præſcriptum, ac veri normam teneas. ſed num ideò Ethnico præferendus es? quaſi dicat, non opinor, imo lex facit, vt deteriorem etiam cauſam ſis habiturus apud tribunal Dei, niſi ſecundum legem de qua gloriaris, vitam inſtitueris: itaq; ſcientia quam iactas, in te retorquebitur. Quid enim mihi te iactas, legis oſtentator? (*Qui ergo alium doces, teipſum non doces?*) ideſt, cur te ipſum non doces? (*qui prædicas non eſſe furandum, furaris?*) ideſt, ipſe furtum committi.? (*qui dicis,*) ideſt, denuncias, (*non mœchandum,*) ideſt, vitandum eſſe adulterium, (*mœcharis?*) ideſt, ipſe committis adulterium? (*qui abominaris idôla*) ideſt, execraris ſimulachrorum cultum (*ſacrilegium facis?*) ideſt, ſacrilegio pollucris? (*Qui in lege*) ideſt, de lege, Deo authore data, (*Gloriaris,*) ideſt, iactas temetipſum apud homines, ac venditas, idem (*per præuaricationem legis*) legem tranſgrediendo, (*DEVM.*) ſcil. legis authorem (*inhonoras?*) ideſt, dedecoras, ac dehoneſtas, & vnde tibi gloriam aucuparis apud alios, hoc illi vertis in probrum, cui ſoli omnis debebetur gloria? Quid enim eſt iſtud aliud quàm dehoneſtare Deum, quod quidem in te eſt, nam ad ipſum, nulla peruenit ignominia. Ecce enim gentes, veſtram malam conuerſationem videntes, vos induxitis in Dei blaſphemiam, de quibus olim queſti ſunt ſacti Vates, nominatim autem, Eſaias, & Ezechiel; (*nomen*) inquiunt (*DEI*) per vos, ideſt, culpa veſtra, (*Blaſphematur*) ideſt, malè audit, ac probris afficitur, & ignominioſum habetur (*inter gentes.*) ſcil. idôlis deditas, dum Dei, legiſq; titulo gloriantes, impiè viuitis. (*Circunciſio quidem prodeſt, ſi legem obſerues,*) ac ſi diceret, non ſatis eſt, Iudæum eſſe natū, aut in Iudæorum religionem cooptatum eſſe, ſed eatenus profuerit tibi circunciſio, ſi id præſtes, cuius gratia data eſt circunciſio, ſiq; vita præſtes, quod cæremoniis profiteris. (*Si autem præuaricator legis ſis,*) ideſt, ſi legem tranſgrederis. (*Circunciſio tua, præputium facta eſt.*) quaſi dicat, nihil confert circunciſum eſſe, cum apud Deum perinde ſit, quaſi præputium habeas incircunciſum. (*Si igitur præputium,*) ideſt, præputiatus homo (*iuſtitias legis, cuſtodiat, nonne præputium illius in circunciſionem reputabitur,*) ideſt, gentilis homo ſeruans legem, reputabitur pro circunciſo. ac ſi apertius diceret, quemadmodum Iudæo, circuncíſio, vertitur in præputium, niſi reliqua item legis edicta præſtet, quæ ad bonos mores faciunt, ita nihil oberit Ethnico præputiū, imò pro circunciſo habebitur ipſi Deo, ſi ignoratis, & neglectis legis cæremonijs, ea præſtet, in quibus ſumma legis finiſq; ſitus eſt, videlicet, integram, puramq; vitam: ſiq; Chriſto, qui legum omnium eſt ſumma, obtemperet. (*Et iudicabit,*) ideſt, ſtabit in iudicium, aduerſum te, (*id quod ex natura eſt præputium,*) ideſt, præputiatus homo (*Legem conſummans,*) ideſt, implens, iudicabit inquam te, (*qui per literam & circunciſionem,*) ideſt, qui literæ inhærens tantùm, & circuncilioni, (*præuaricator,*) ideſt, tranſgreſſor (*legis es*) minima obſeruans, & præcipua omittens, cæremonialia implens, & moralia tranſgrediens: & ita non ſolùm æquabitur in hac parte Ethnicus Iudæo, verum etiam præferetur, vt hoc ipſo Iudæo melior habeatur, quòd circunciſionem neſciat, ideòque Ethnici inno-

cen-

ſentia damnabiliorem oſtendet Iudæi
impietatem: quod is alienus à legis
profeſsione, legis tamẽ finem ac men-
tem, vita exprimat, cum Iudæus verbis,
ac ſyllabis legis innitens, & circuncisio-
nis nota legẽ profeſſus, violet id quod
eſt totius legis caput. (*Non enim qui
in manifeſto,*) ideſt, coram hominibus
(*Iudæus eſt,*) hunc .ſ. Deus, verum Iu-
dæum ſpiritualiter reputabit, (*Nec quæ
in manifeſto, in carne eſt circuncisio*) ideſt,
circuncisionem carnis exteriorẽ, Deus,
veram reputat, (*ſed qui in abſcondito
Iudæus eſt,*) ideſt, iuſtitias legis obſer-
uans, hic inquam coram Deo, Iudæus
eſt, (*& circuncisio cordis,*) ſcil. vera eſt,
quæ (*in ſpiritu,*) ſcilic. fit, (*non litera*)
ideſt, carne: (*Cuius laus non ex homi-
nibus ſed ex DEO eſt.*) qui intuetur
abſcondita cordium, eiuſque calculo
comprobari, ſolida fœlicitas eſt.

49. *SI autem tu.*) Hactenus in tertia
perſona, locutus eſt cũ gentibus, nunc
verò apoſtrophè vtitur in ſecunda, ad
Iudæos, quæ vehementiorem habet in-
ſultandi acrimoniam.

50. *Iudæus.*) Triplex fuit Iudæis, ho-
norificentiæ nomen, vt in hoc loco ad-
Amb. notauit Ambroſius, à tribus patriarchis
deductum. gloriabantur enim ſe fuiſſe
Ioa. 8. filios Abrahæ, ob fidei meritum. nun-
cupabantur & honoris gratia Iſraelitæ
à Iacob, qui propter auctam in ipſo eam-
dem fidem, appellatus eſt Iſrael. tertiò,
Tho. dicti ſunt Iudæi, non à Iuda Macha-
bæo, vt quidam dicunt, fortè propter
hoc, quòd Iudas Machabæus, gentem
illam multis, in locis diſperſam congre-
gauit, & protexit. inuenitur enim no-
men Iudæorum ante Iudam Macha-
Heſt. 8. bæum, iuxta illud Heſter, Iudæis no-
ua lux oriri viſa eſt. ſed à Iuda Patriar-
cha dicuntur Iudæi: tum, propter hi-
ſtoriam diuiſionis tribuum. cum enim
4. Re. 17. tempore Roboam Regis, decem tribus
ab eius regno ſe ſegregarunt, & vitulũ
aureum adorauerunt, ob hoc peccatum,
in tranſmigrationem ſunt ductæ ab Aſ-
ſyrijs, de quorum reuerſione, nulla fit
Tho. mentio in ſcriptura, vt ait S. Tho. ſed
potius terra manſit occupata ab alie-
nigenis, qui poſtmodum Samaritani
ſunt dicti. duæ autem tribus .ſ. Iudæ,
& Beniamin, adhærentes regno Roboã,
perſeuerauerunt in cultu & lege Dei:
& quamuis in captiuitatem Babylonis
fuerunt ductæ, poſtmodum tamẽ per
Cyrum Regem Perſarum, ſunt reducti *1. Eſd. 1.*
in terram ſuam. & quia tribus Iudæ
maior erat, ab ea gens tota illa denomi
nabatur, non ſolum illi qui erant ex tri-
bu Beniamin, ſed etiam de alijs tribu-
bus reuertentibus, qui ſe illis adiunxe-
runt. tum maximè, propter ſignifica-
tionem Chriſti, inde deſcendentis, in
cuius figuram, benedixit ei pater ſuus
dicens, Iuda, te laudabunt fratres tui. *Gen. 49.*
inter gentes autem, maximè inter Græ-
cos, & Romanos, hoc nomine, fuit ce-
lebris populus ille.

51. *Cognominaris.*) Vt contundat eo-
rum arrogãtiam, non concedit illis rem,
ſed nomen tantum, in fine concluſurus,
non eſſe verum Iudæum, qui in mani-
feſto circuncisionem geſtat in carne, ſed
qui in ſpiritu, circuncisus eſt corde. de-
clarans etiam per hoc, quòd non audi-
tores ſed factores legis, habentur iuſti
apud Deum, & quòd Deus non ſit per-
ſonarum acceptor. non enim propte-
rea quod Iudæus quiſpiam ſit, aut cu-
iuſuis illuſtris proſapiæ, meliori loco
eſt apud ipſum.

52. *ET requieſcis in lege.*) Qui dubius
eſt intellectu, non quieſcit, ſed vtrinque
ſolicitatur: qui autem ſapientiæ certi-
tudinem accipit, mente quieſcit. hinc
ſapiens, intrans, inquit, ſcili. ſapientia, *Sap. 8.*
in domum meam, conquieſcam cũ illa.
Iudæus quidem per legem, citrà ne-
gotium philoſophiæ, habebat certam
ac veram cognitionem de credendis, &
agendis, ideò in lege quieſcebat, præter
quam nihil amplius ſibi deeſſe ad ſalu
tem arbitrabatur.

53. *ET gloriaris in DEO.*) ideſt, glo-
riaris te ſolum noſſe Deum, ipſumq;
velut authorem tuæ religionis iactas: *Aug. in*
præpoſterè, vt ait Augu. de Deo gloria- *de ſpũ, et*
lrã.

bantur iſti, non ſcil. eo modo quo poſtulat gratia, quæ non operum meritis, ſed gratuitò donatur. at ita iſti gloriabantur in Deo, velut qui ſoli meruiſſent legem eius accipere, quam ſua iuſtitia arbitrabantur implere.

54. *Et noſti voluntatem eius.*) ſcil. per legem, cuius eſt munus oſtendere animum & voluntatem legiſlatoris.

55. *ET probas vtiiora.*) ideſt, ſcis approbare, eligendo non ſolùm bona à malis, ſed etiam meliora minus bonis, qualia ſunt quæ pertinent ad amorem Dei, & proximi, quod erat maximum
Mat. 22 in lege mandatum.

66. *Inſtructus per legem.*) ideſt. magiſterio legis edoctus, & ex ſacris literis à Deo profectis, ſcili. noſti voluntatem Dei, & dignoſcis quæ fugienda, quæ expetenda ſint, quæq; in bonis præcipua: vt ſuprà. & nota, quòd non dicit, facis voluntatem Dei, aut vtiliora, ſed noſti, & probas: vt per hæc deſcribat qualitatem perſonarum, quas Deus non reſpicit, cum in eis iuſtitia non cõſiſtat, quin potius cum eiuſmodi priuilegia, beneficia potius ſint Dei, quàm ipſorũ merita, magis eos inde pudefacit, redarguitq; vrgentius ingratitudinis.

57. *Confidis teipſum eſſe ducem cæcorum.*) Prima inſcitiæ cauſa eſt, cum quis caret ingenio, ſeu mentis oculis, aut lumine rationis, huiuſmodi tanquam cæcus, nõ poteſt doceri viam, ſed tantum ducis hoc eſt, non poteſt lumen ſcientiæ percipere, vt ipſe per ſe videre poſsit quid ſit agendum, ſed præbet ei homo ducatum vt cæco, mandando quid ſit agendum, quamuis mandatorum rationem non agnoſcat. Hoc muneris arrogabant ſibi turgidi Iudæi, conuerſi ex Iudaiſmo, ideò non dicit, dux es eorum, ſed confidis, vt eorum notaret iactantiam: & reſpondet hoc primæ dignitati, qua dixerat, Iudæus cognominaris, quaſi
Pſ. inde poſſet tanquam videns, (quoniam notus in Iudæa Deus) cæcos Gentiles ducere.

58. *Lumen eorum qui in tenebris ſunt.*) Hi ſunt qui defectu præceptoris verſantur in tenebris ignorantiæ, cum aliàs ſint apti ad diſcendum, ſi eſſet qui eos doceret: & reſpondet hoc, ei quod dixerat, requieſcis in lege: quæ quidem lumen eſt, & lux vitæ, iuxta illud, Lex Domini immaculata conuertẽs animas, Pſ.
præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Apti quidem erant Ethnicorum multi ad diſcendam veritatem: ideò filius Dei venit in mundo factus homo, quò poſſet eos docere, & illuminare ſedentes in tenebris, & vmbra Luc. 1.
mortis, ſua lege euangelica.

59. *Eruditorem inſipientium.*) Hi ſunt, qui quamuis habeant ingenium, & lumen intellectus alicuius diſciplinæ, nondum tamen in ea conſummati, indigent magiſtro qui erudiat eos, ideſt, eruat à ruditate, quæ à principio ineſt omnibus qui inſtruuntur. reſpondet autem hoc, ei quod dixerat, gloriaris in Deo, quia nulla eſt alia ſapiẽtia quàm noſſe Deũ, nec eſt alia gloria. in hoc glorietur, inquit, qui gloriatur, ſcire & noſſe me. Ioa. 17.
Hæc enim eſt vita æterna, vt cognoſcant te, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.

60. *Magiſtrum infantium.*) Hi ſunt paruuli ætate vel ſenſu qui indigent doceri prima rudimenta: & reſpondet, ei quod dixerat, noſti voluntatem DEI. Nam ſecundum hanc tradenda ſunt prima religionis principia.

61. *Habentem formam ſcientiæ, et veritatis in lege.*) Formam, inquit Chriſo. Chry.
non rem, ſed imaginem, & exemplar veritatis, quam opere non immitaris: cum tamen gentes, ſine tam expreſſo exemplari, ductum naturæ ſequuntur. ſimiles his ſunt non pauci Chriſtiani concionatores, qui ſola forma ſcientiæ & veritatis contenti, verbis, non exemplo, volunt docere alios. dicuntur autẽ habere formam, quia habent ſapientiũ, & ſanctorum dicta, in authoritate, quaſi quandam regulam, ſeu formam eorũ quæ docent.

62. *Qui ergo alium doces, teipſum non doces?)* Opprobrio confundit Iudæos, comparatione ad laudem ſuprà memoratam gentium, qui legem non habentes, ipſi ſibi erant lex. Iudæi contrà, legem habentes, imò & docentes legem, erant legis violatores: quapropter, deteriorem cauſam apud tribunal Dei erat Iudæus habiturus, quàm Ethnicus, quia ſecundum legem de qua gloriabatur, vitam non inſtituebat. itaque ſciētia, quam Iudæus iactabat, in ipſum retorquenda erat: quid enim ſe alijs iactabat legis oſtentator, qui alios docens, ſeipſum non docebat?

63. *Qui prædicas non furandum, furaris? qui dicis non mœchandum, mœcharis?)* Ambo hæc crimina, explicatiſsimè prohibentur in decalogo, tanquam lethalia, non tantum operis, ſed & cordis. non cōcupiſces, inquit, domum proximi tui, non deſiderabis vxorem eius, non ſeruum, non ancillam, non bouem non aſinum. & pro vno boue, quinque petebantur, pro vna ouicula, quatuor. ſed & de adulterio, decretum erat capitale ſuplicium, tam contra mœchum, quàm contra adulteram. gentibus verò, non erat tam lucida noticia, nec tam diſtricta animaduerſio: ideò maiori erant Iudæi vituperio digni. Ambroſius verò, & Aug. interpræta̅tur hæc myſticè, dicentes, quòd Iudæi, aduentum Chriſti manifeſtum furabantur, ideſt, cælabāt: & relicta lege euangelica, adulterium faciebant cum Synagoga.

64. *QVI abominaris idòla, ſacrilegium facis?* Idololatriam vocat in hoc loco, ſacrilegium, quod eſt ſacrorum violatio, & contaminatio. crimen hoc, erat præ cunctis alijs abominabile in lege. Nihil enim frequentius, nec tanta vehemētia, erat in ea prohibitum, quàm non facietis vobis idòlum, & ſculptile, nec titu-
Leu.16. los erigetis, neque inſignem lapidem ponetis in terra veſtra, vt adoretis eum: ego enim ſum Dominus Deus veſter.
Deu.7. & in Deut. iubebantur aras idòlorum ſubuertere, confringere ſtatuas, lucosq́; ſuccidere & ſculptilia comburere. & denique, ne inferes quidquam ex idòlo in domum tuam, ne fias anathema: quaſi ſpurcitiam deteſtaberis, & velut inquinamentum ac ſordes, abominationi habebis, quia anathema eſt. adeò erat execrabilis idòlolatria, vt nec tangere illis liceret, idòlothita: & hoc eſt quod ait, *abominaris*. ſ. per profeſsionē legis: & tamen ſæpiſsimè atque adeò fœdiſsimè, illa polluti fuerunt impientiſsima abominatione, vt ab initio ſtatī receptæ legis conſtat, quando aurum conflarunt, in execrandum vitulum, & hiſtorijs, tum Salomonis, tum ſacris alijs compluribus, ſcriptum eſt.

65. *QVI in lege gloriaris, per præuaricationem legis DEVM inhonoras?)* Quē- Tho.
admodum legis obſeruantia, in bonis operibus, eſt occaſio videntibus vt honorent Deum, ita etiam tranſgreſsio legis per mala opera, occaſio eſt videntibus blaſphemandi. Propter hoc igitur Saluator noſter, inducebat diſcipulos ad bene operandum, dicens, ſic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt. Et beatus Pe- 1.P.2.
trus, ex bonis, inquit, operibus vos conſiderantes, glorificent, Deum, qui ſcil. eſt, adiutor veſter in bonis, minimè verò in malis. ſcopus itaque Chriſtianæ vitæ, debet eſſe honor, & gloria Dei. tali enim fine, nullus noſter labor, nullumq́ue tempus amittitur, & omnia opera noſtra, erunt valde bona, & verus honor, veraq́; gloria, ex ipſo nobis acreſcent. è contrà verò, in epiſt. ad Thim. hortatur Paulus eos qui ſub iugo ſerui- 1.Ti.6.
tutis agunt, vt dominos ſuos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini, & doctrina fidei blaſphemetur: hinc etenim, hoc eſt, ex praua Chriſtianorum vita, omnis blaſphemia, & omnium hæreſum peſtis proficiſcitur. Ait ergo Paulus, ô tu Iudæe, *qui in lege gloriaris*, ideſt de lege: Deo authore data, temetipſum apud homines iactitas, ac venditas, idem *per præuaricationem legis*, ideſt, tranſgrediendo legem, *Deum* legis authorem *inhonoras*, ideſt, dedecoras, ac dehoneſtas, & vnde tibi gloriā

aucuparis apud alios, hoc illi vertis in probrum, cui ſoli debetur gloria, quid enim eſt iſtud aliud quàm dehoneſtare Deum? quod quidem in homine eſt, nam ad Deum nulla peruenit ignominia, vt ſuprà dictum eſt.

66. *Nomen enim Dei, per vos blaſphematur inter gentes.)* Nam gentes videntes Iudæorum malam conuerſationem, exiſtimabant hoc prouenire ex mala inſtructione legis à Deo traditæ. & ſicut per bona opera eorum, benedicebatur Deus, ita, non rectè conuerſantibus Iudæis, blaſphemabatur. idem dicendum videtur nũc, de Chriſtianis noſtris & de paganis, quin & de Chriſtianis eccleſiaſticis & ſecularibus, hi enim ſuo modo blaſphemant nomen Chriſti, ſi non verbo, certè in opere, nã fatentes ſe noſſe Deum, factis autem negant, vt inquit Paulus. dum enim vident eccleſiaſticum, qui eſt lux mundi, ſal terræ, iniquè agere: maiori cum audacia, & abſq; vllo timore, & quadam animi ſecuritate, ſeculares perpetrant mala. Sed væ vtriſq;, væ cæcis, cæcorum ducibus, ambo in foueam inferni cadent, ſed profundius cadent duces, à quibus, vt ait Petrus, neceſſe eſt, vt incipiat iudicium Dei.

67. *SICUT ſcriptum eſt.)* Præpoſtetato ordine antepoſuit teſtimonium, quàm diceret, ſcriptum eſt. ita enim dicentis ſermo dilapſus eſt, vt quod ex propria intentione dicebat, eodem ſen-
Eſa.52. ſu ſcriptum repererit. In Eſaia, ſic habetur, dominatores eius iniquè agunt, & iugiter tota die nomen meum blaſ-
Eze.36. phematur. Et in Ezechiele, ſic, polluerunt nomen ſanctum meum, cum diceretur de eis, populus Domini iſte eſt, & de terra eius egreſsi, & peperci nomini ſancto meo, non propter vos, ſed propter nomen ſanctum meum, quod polluiſtis in gentibus ad quas intraſtis. Hi ergo duo ſacri vates, nominatim queſti ſunt olim de Iudæis, quòd nomen Dei, per eos malè audiret, ac probris afficeretur, ac ignominioſum eorum culpa haberetur inter gentes, idôlis deditas, dum Dei, legiſque titulo glorìantes, impiè viuerent.

68. *Circumciſio quidem prodeſt ſi legem obſerues, ſi autem præuaricator legis ſis, circunſicio tua præputium facta eſt.)* erat olim circuncìſio, proteſtatio quędam legis, ſicuti nunc baptiſmus Euangelij, vbi populus ille nomina dabat, addicebatque ſeſe legi, iuxta illud Pauli, teſtificor vni circuncidenti ſe, quoniam debitor eſt vniuerſæ legis faciẽdæ. quãobrem paruuli circunciſi, qui ante vſum rationis moriebantur, abſque alio legis officio, per illam fidei profeſsionẽ ſeruabantur. At verò adulti, ſi legis eſsẽt trãſgreſſores, à gratia circũciſionis decidebant. Et hoc eſt quod dicit, non ſatis eſt iudæum eſſe natum, aut in Iudæorum religionem cooptatum eſſe, ſed catenus profuerit tibi circuncìſio, ſi id præſtes, cuius gratia data eſt circunciſio, ſique vita præſtes, quod cæremonijs profitetis, ſicut religioſis prodeſt profeſsio, ſi regulam obſeruent. erat quippe circunciſio, quaſi quædam profeſsio, obligans homines ad obſeruantiam legis, vt dictum eſt. Atqui, *ſi præuaricator legis ſis*, ideſt, ſi legem tranſgrederis, *circunciſio tua præputium facta eſt*, ideſt, nihil conferet tibi circunciſum eſſe cum apud Deum, perinde ſit, quaſi præputium habeas incircunciſum: Quia non ſeruas quod per circunciſionem profiteris. Vnde per Prophetã dicitur, omnes gentes præputium habent, domus autem Iſrael, incircunciſi ſunt corde. Qui- Hie.4.
nimo ex hoc ſunt Iudæi gentibus deteriores, quia non ſeruant quod promiſerunt. Diſplicet enim Deo, infidelis & ſtulta promiſsio, vt dicitur, in Ec- Eccl.5.
cleſi. Inteligitur antem circunciſio pro fuiſſe ante euulgatum Euangelium: nã de hoc noſtro tempore ait ad galat. Paulus, ſi circuncidimini, Chriſtus vobis nihil proderit.

69. *Si igitur præputium, iuſtitias legis cuſtodiat, nonne præputium illius in circunciſionem reputabitur?)* Quemadmodum Iudæo, circunciſio verteretur in præputium, niſi reliqua item legis edicta præſtaret

ſtaret, quæ ad bonos mores faciunt, ita nihil oberit ethnico præputium, imò pro circunciſo habebitur ipſi Deo, *ſi præputium*, ideſt, ethnicus præputiatus, ignoratis & neglectis legis ceremonijs, *iuſtitias legis cuſtodiat*, ideſt, ea præſtet, in quibus ſummam legis, finiſque ſitus eſt, videlicet, integram puramque vitam. Huius ratio eſt, quia ad circuncifionem non tenebantur niſi Iudæi, & quia vt ait Hiero. viſibilia indigent inuiſibilibus, inuiſibilia non indigent viſibilibus. Eo quòd viſibilia, imago ſunt inuiſibilium. Et inuiſibilia, veritas ſunt viſibilium: ideò circuncifio carnis, indiget cordis: circuncifio autem cordis, non indiget carnis: quia imagine, non indiget veritas, imago autem indiget veritate. Hæc Hyero. ſecus autem eſſet de lege euangelica, extra quam non ſufficit impleri totum ius naturæ.

Hier.

70. *ET indicabit id quod ex natura eſt præputium legem conſummans, te qui per literam & circuncifionem, præuaricator legis es.*) Non ſolum æquabitur Ethnicus Iudæo in hac parte, verum etiam præferetur, vt hoc ipſo melior habeatur Iudæo quòd circuncifionem neſciat, id eoque Ethnici innocentia, damnabiliorem oſtendet Iudæi impietatem, quòd is alienus à legis profeſsione, legis mentem ac finem, vita exprimat: cum Iudæus verbis ac ſyllabis legis innitens, & circuncifionis nota legem profeſſus, violarit id, quod eſt totius legis caput.

71. *Iudicabit.*) De iudicio comparationis inteligitur, iuxta illud, Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam. Et Regina Auſtri, ſurget in iudicio cum generatione iſta, & condemnabit eam.

Mat. 12

72. *ID quòd ex natura eſt præputium.*) Periphraſis eſt, & illuſtratio præputij gentium, quod non erat eis voluntaria culpa (eo quòd nõ tenerẽtur illud reſcindere) ſed res naturalis, ad differentiam præputij Iudæorum, quod ſi aliquis Iudæus haberet, eſſet illi voluntarium crimen: & ideò licet legem impleret, nihil ei prodeſſet.

73. *Iudicabit te qui per literam &c.*) Non inquit præputium iudicabit circuncifionem, ſed, *te, qui per literam*, ideſt, per aprobationem ſcriptæ legis, & circuncifionem carnis, quibus tantum inhærens præuaricator legis es. minima obſeruans, præcipua ommittẽs: ceremonialia implens, & moralia tranſgrediens.

74. *Non enim qui in manifeſto, Iudæus eſt, neque quæ in carne, eſt circuncifio, &c.*) Aſsignat rationem factæ æquiparationis inter Iudæos & græcos: nempe, quòd apud Deum diuerſa ſit ratio tam Iudæi, quàm græci, ab illa quæ eſt apud homines, nam apud Deum, qui non ex corporeis notis, ſed animi pietate iudicat, Iudæi nomen amittitur, niſi Iudæi profeſsio præſtetur. *Non enim*, apud Deum, *qui in manifeſto*, (ſcil. Iudaiſmi notam in corpore circunfert) *Iudæus eſt*, ſcil. verus & ſpiritualis: *nec quæ in carne*, ſcilicet facta eſt per illius pelliculæ præputij amputationem, illa eſt vera, *circuncifio: ſed qui in abſcondito*, ideſt, intùs in animo, quem ſolus Deus inſpicit, & hinc eſtimat omnes, Iudæus ſit, ille verè, *Iudæus eſt & circuncifio cordis in ſpiritu*, illa vera eſt, *non litera*, ideſt, non illa quæ tantùm eſt ſecundum literam, quaſi dicat, ille apud Deum eſt verè circuncifus, qui cor habet circuncifum, potius quàm genitale membrum: quæ quidem circuncifio, non ſaxo, inſculptis literis fretus, ſed ſpiritu ac men te legis.

75. *Iudæus in abſcondito.*) Non eo dicitur hoc, quòd neceſſarium eſſet gentibus ad iuſtificationem, votum circuncifionis, ſicuti nunc eſt baptiſmi: ſed cum foris eſſent abſque Iudaiſmi nota, ſeruabant tamen morales legis præceptiones.

76. *Circuncifio cordis.*) Puritatem mentis ſignificat, gerit enim ſimilitudinem & imaginem cordis noſtri, pudenda illa parti-

particula, quæ abſciſione pelliculæ detegitur: atque adeò data eſt circunciſio præputij in ſignū fœderis inter Deum & homines, quo abrupto, circunciſio reddebatur infrugifera. Vnde & Prophetæ, ad hoc fœdus ſeruandum maxime, hortabantur omnes. Moſes primus,
Hiere. circuncidite, inquit, duritiem cordis veſtri. Et Hiere. circuncidimini in Domino, & auferte præputia cordium veſtrorum. Ideſt euellire idôlolatriam, quæ præputium eſt gentiū, ex pectore veſtro.

77. *Cuius laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt.*) Veritas & bonitas vniuſcuiuſque rei, non eſt æſtimanda, ex probatione & commendatione humana, quæ reconditas rerum cauſas non penetrat, ſed ex Deo omnium inſpectore: & ſic iudicium veri Iudæi, & veræ circunciſionis, ad Deum ſolum pertinet, non ad homines, vnde ait, *Cuius* ſcil. veri Iudæi, & veræ circunciſionis, *laus, non ex hominibus, ſed ex Deo eſt.* Etenim cui caro eſt tantum circunciſa, apud homines quidem vt Iudæus gloriari poteſt. Cæterum, quem animus à vitijs purgatus & pronus in Chriſtum, verè Iudæum reddidit, vt fraudetur ſua laude apud mortales, certè Deus hunc agnoſcit & approbat, cuius calculo comprobari, vt
1.Re.16 ſuprà, diximus, ſolida fælicitas eſt, homines enim vident ea quæ parent, Deus autem intuentur cor.

¶ ARGVMENTVM, CAPVT. III.

DOCET diuinus Apoſtol⁹, promiſſiones Dei, peccatis hominum nō irritari, neque fruſtratum iri, cū ſit Deus verax & fidelis: omneſque mortales peccato eſſe conſtrictos, à quibus non lex, ſed Dei gratia, per Chriſti propitiatoris ſanguinem, iuſtificat.

¶ CAPVT. III.

QVID ergo amplius Iudæo eſt? aut quæ vtilitas circunciſionis? multū per omnem modum. Primū quidē, quia credita ſunt illis eloquia Dei. quid enim, ſi quidam illorum non crediderunt? nunquid incredulitas illorum, fidem Dei euacuauit? abſit. Eſt autem Deus verax, omnis autem homo mendax.

¶ EXPLANATIO.

1. *QVID ergo amplius Iudæo eſt? aut quæ vtilitas circunciſionis?*) Si quemadmodum ſupra dictum eſt, ſumma rei pendet à pietate vitæ, ac innocentia morum, quærat hîc forſitam ex Iudæis quiſpiam: *quid amplius Iudæo*, ideſt, quid reliquum ſit Iudæo, quo præcellat Ethnicum? *aut quæ vtilitas circūciſionis?* ideſt, quid retulit, circunciſum fuiſſe, ſi pietas & innocentia vitæ, æquat circunciſum, & in circunciſum: imo ſi circunciſio Iudæi peccantis, cauſam facit deteriorem? omnia quidem iſta referenda ſunt ad tempus legis ſcriptæ, non tamen euangelicæ.

2. *Quid amplius Iudæo eſt?*) Nomen Iudæi olim, adeò inſigne, generoſum, & glorioſum habebatur, vt nunc reputatur infame, propter peccatum occiſionis Chriſti.

3. *Aut quæ vtilitas circunciſionis?*) Circunciſio, nota erat Iudaiſmi, qua notus erat populus ille toto orbe terrarum, & ſelectus in ſingularem cultum veri Dei.

4. *Multum per omnem modum.*) Reſpondet quæſtioni dicens, quòd magni refert

refert omnino Iudaicæ gentis eſſe. Circa quod, notanda eſt ſingularis prudentia Pauli, qui ſic laudat vtrumque populum, ſcilicet Iudæorum & gentium, vt nemini anſam præbeat excollentiæ. Sic eos deprimit, vt neutrius violet ius.

5. *Primùm quidem, quia credita ſunt illis eloquia Dei.*) Incipit enarrare priuilegia Iudaiſmi, & inquit, quòd in primis hoc nomine, iure gloriari licet Iudæis, *quia credita*, ideſt commiſſa ſunt *eis eloquia*, ideſt verba *Dei*, ſiue quòd eis peculiariter lex & prophætiæ proditæ ſunt, ſiue quòd eis ſolis. Deus loqui dignatus eſt promiſsiones tanquam amicis ac familiaribus. ſ. quod ex eis & inter eos Chriſtus naſceretur. Primùm magnificum eſt hoc honoris habitum fuiſſe à Deo ei genti, vt ſcil. circuncisionis nota deſignatam, & reſponſis ſuis, & promiſsionibus, infinitisq; beneficijs dignatus fuerit Deus. Deinde multo præparàtior videtur ad fidem Euãgelicam, qui legis promiſſa tenet; & vero propior eſt, qui veri tenet imaginem: ſiquidem Moſi lex, & Prophetarum oracula, gradus eſt ad euangelicam Chriſti doctrinam.

6. *Primum.*) Refertur hæc particula ad ordinem prærogatiuarum Iudæorum, & dicit primum, quia per totam ferè epiſtolam, enarrat eorum priuilegia, propterea enim dixit, multum per omnem modum. ſed obſerua, quòd nõ narrat aliquod eorum rectè factum, ſed tantum Dei beneficia, quos propterea meritò reprehendit quia non crediderunt.

7. *Credita ſunt illis eloquia DEI.*) Abraham inter mortales omnes, electus dignusq; factus eſt à Domino, cui in aurem ipſe loqueretur, arcanaq; de Chriſto venturo acciperet; nam exultauit vt videret diem Chriſti, vidit & gauiſus eſt. *Ioa.8.* Moſes, vocatus electusq; eſt à Domino, vt eſſet dux populi ſui, quem liberauit de manibus Pharaonis, & omniũ Ægyptiorum, tranſiuit mare ſicco veſtigio, duxit per deſertum, aſcendit in mõtem, vbi locutus eſt cum Domino facie ad faciem, à quo accepit legem, Vnde & ipſe Moſes, magnificans hoc benefi- *Deut.4.* cium, inquit ad populum. Interroga de diebus antiquis, qui fuerunt antè, ex die qua creauit Dominus hominem ſuper faciem terræ, ſi facta eſt aliquando huiuſcemodi res, aut vnquam cognitum eſt, vt audiret populus vocem Domini loquentis de medio ignis, ſicut tu audiſti, & vidiſti, &c. & Regius Vates Dauid, Non fecit, inquit, taliter omni nationi, &c. quare hoc? quia celſitudo tanti myſterij, non ſtatim erat toti orbi communicanda, ne margarita conculcaretur inter porcos: ſed electis tantũ committenda, donec mundus adoleſceret in virum idoneum, cui promiſſus mitteretur.

8. *QVID enim ſiquidam illorum non crediderunt?*) Ex prædicta Iudæorum prærogatiua, mouet Apoſtolus dubium contra ſeipſum, dicens. Tu dicis quòd Iudæi præcellant Ethnicos, in eo quod illis & non illis cõmiſſa ſunt verba Dei; ſed cum plures eorum manifeſtum ſit, Dei eloquijs non credidiſſe, videtur nihilominus verum, quòd illi præcellant illos. reſpondet quod, incredulitas eorum, fidem Dei non euacuauit: nec infidelitas aliquorum, potuit officere rectè credentibus: vniuſcuiuſque enim malitia, in ſeipſum redundat. cuius contrarium eſſet contra veritatem & iuſtitiam Dei, reddentis vnicuique iuxta opera ſua, pœnam peccantibus, gratiam & miſericordiam pœnitentibus.

9. *Quid enim ſi quidam illorum.* Multi ex patribus crediderunt. ideò non dicit, nulli, ſed quidam illorum non cre- *Pſal.* crediderunt. Qui vtique non crediderunt *Eze 2.* legislatori, nec Moyſi, nec ipſi filio Dei. *Ioa.8.*

10. *Nunquid incredulitas eorum fidem Dei euacuauit.*) Ideſt, innanem, aut irritam fecit? hoc eſſet magnum inconueniens, nam ſi propter incredulitatem aliquorum, prærogatiua Iudæorum tolleretur, ſequeretur, quòd peccatum hominis

minis fidem Dei euacuet, aboleat, & antiquet.

11. *Fidem Dei.*) Dupliciter in hoc loco ſumi poteſt fides Dei. Vno modo, pro fide qua creditur in Deum: & ſic *Th.* infidelitas aliquorum, non officit fidei aliorum. Malum enim quorundam in ſocietate exiſtentium, non euacuat, ſiue abolet aliorum bonum. & hoc facit *Aug. in epi. ad ple. Hypp.* contra illos, contra quos dicit Aug. ad quid aliud ſedent iſti, & quid aliud tractant, niſi vt cum Epiſcopus, vel Clericus, vel Monachus, vel ſanctimonialis ceciderit, omnes tales eſſe credant: ſed non omnes poſſe manifeſtari? alio modo poteſt ſumi pro fidelitate, ideſt, pro firmitate, ſtabilitate, & conſtantia veritatis Dei, implentis omnia promiſſa ſua. Hæc autem fidelitas euacuaretur, ſi propter quorundam incredulitatem *Gen.22.* accideret, quòd nihil amplius eſſet Iudæo. promiſit Deus populum ſuum multiplicare, & magnificare, promiſit *Luc.1.* etiam eis ſe daturum, & ex eis naſciturum. & hæc quidem (licet Chriſti aduentus non fuerit efficax niſi credentibus, quippè quibus ſolis, Chriſti redemptio, & paſsionis eius participatur effectus, iuxta illud: dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius) gratis promiſſa ſunt, non ſub conditione aliqua dependente ex *Ioa.1.* hominum fide, vel voluntate, vel operibus. eſt igitur ſenſus literæ, num illorum incredulitas, fidem diuinorum promiſſorum irritam fecit, aut mendacem eum conſtituit, vt hominum morte offenſus, & iratus, pacta reſcindat, & nulli præſtet, quod omnibus ex æquo promiſſum eſt? Reſpondet negatiuè, dicendo.

12. *Abſit.*) Scilicet hoc. quin potius ita futurum eſt, vt nemini non præſtetur promiſſum, niſi qui reiecerit oblatum, vt iam promiſſoris fidem incuſare non poſsit, vt appareat Deus verax, qui cum mentiri neſciat, paratus ſit exoluere, quidquid eſt pollicitus: Hinc etiam colligi poteſt quòd ſicut incredulitas aliquorum, non potuit irritam facere fidem promiſſorum Dei, circa myſterium incarnationis: ita nec fides credentium, nec legis obſeruatio, fuit cauſa quod Deus præſtiterit illa. Si enim nemo crediſſet (vt Chryſoſt. ſentire videtur) nec *Chr.* legi nauaſſet operam, nihilominus veniſſet ad perſoluendam promiſsionis fidem. Gratis enim promiſſus eſt, & *Iſai.* gratis nobis datus, filius paruulus, qui natus eſt nobis. contra arrogantem Iudæum, qui ſuis ipſius meritis aſcribit, aduentum Ieſu Chriſti.

13. *EST autem Deus verax.*) Deſumptum eſt hoc, ex Hieremia Propheta dicente, Dominus autem Deus verax eſt. Cuius quidem intellectus cum *Hier.10* cauſa ſit & regula omnis veritatis; voluntas autem & intellectus Dei idem ſint, non poteſt falli, nec fallere; ſed eſt omnino verax, imò eſt ipſamet veritas. & hic eſt ſenſus illorum verborum Pauli, Deus fidelis eſt, ſeipſum negare non poteſt; nempè quòd cum per ſe ille ſit ipſiſsima veritas, ſi veritatem declinaret, ſeipſum negaret. Vtrumque autem competit in hominem, quatenus homo eſt, nimirum & falli poſſe, & fallere. Non enim ſicut Deus, eſt homo ipſa bonitas, nec ipſa veritas, & ideò mendacium ab ipſis hominibus proficiſcitur, qui ſuapte culpa fruſtrantur promiſsis Dei.

14. *Omnis autem homo mendax.*) Ex quodam Pſalmo deſumptum eſt hoc, *Pſ.115.* & vt docet Hiero. hic, *omnis*, pro maxima parte, dicit, ſicut omnes ſua quæ- *Hie.* runt, & omnes me dereliquerunt, Lu- *Phi.2.* cas eſt mecum ſolus. *2.Thi.4* Vel *Omnis homo mendax*, ideſt, per ſe promptus ad mendacium & infidelitatem, niſi à DEO inſpiretur ad eloquendum & operandum veritatem. Et tanto Deus magis apparet verax, quanto etiam infidelibus & mendacibus nobis ſuam fidem ſeruat. Nec refert quòd Ionæ *Ion.3.* prophetia de ſubuerſione Niniuæ, nec *4.Re.20* Iſaiæ, de morte Regis Ezechiæ, non ſint completæ, nam cum duplex ſit genus prophetiæ, alterum comminationis,

tionis, quod non prædicitur, quaſi ſit omnino futurum, ſed ſecundum præſentia hominum merita ſi non mu-
Hier. 18. tentur: iuxta illud, repentè loquar aduerſus gentem, & aduerſus regnum, vt eradicem, & deſtruam, & diſperdam & diſsipem illud: ſi pœnitentiam egerit gens illa &c: agam & ego pœnitentiam ſuper malum &c. alterum eſt genus prophetiæ prædeſtinationis,
Soto. quæ ceu ſimpliciter implenda profertur. illud Ionæ, eſt prioris generis. promiſsio verò Chriſtianæ ſalutis, poſterioris, quæ nihil à nobis dependet. Promiſsio inquã venturi Chriſti: quoniam applicatio paſsionis eius ſingulatim ad membrorum ſalutem, & à Sacramento pendet quidem in paruulis: & in adultis à peculiari præterea cuiuſque fide & aſſenſione. quoniam nemo, niſi qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. ſed neque hoc modo, cuiuſquam incredulitas, fidem Dei euacuat. Etenim cum non fuerit pollicitus ſaluare niſi credentem, non frangit fidem, dum incredulum non ſeruat. De hac autem certiſsima Dei fide, adducit teſtem Dauid, in quodam Pſalmo dicentem:

15. *VT iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.)* Particula (vt) non cauſam, ſed euentum rei dicit, ideſt, ac propterea factum eſt, vt dum mihi peccanti, promiſſa ſeruas, veracior appareres ac iuſtior, vinceresque eorum impietatem, qui te ob mea peccata, promiſsis non ſtaturum mentiebantur.

Probat Paulus Dauidis exemplo, nequaquam ob peccatum, & incredulitatẽ populi, Dei fidem & promiſsionem irritam fieri, ſed veracem illum ſemper remanere, ſicut de ſe teſtatur Dauid dicẽs Deo, Tibi ſoli peccaui, vt iuſtificeris. dicatur clarius. Promiſerat Dominus Dauid per Natham Prophetam, quòd regnum eius inæternum ſtabiliret in ſemine ſuo, vt habetur in libris Reg.
2. Re. 7. Poſteà verò eum in graue peccatum in-
& 11. cideret, adulterij ſcil. & homicidij, propter huiuſmodi peccatum dicebatur à quibuſdã, quòd Deus non eſſet ei promiſsionem obſeruaturus. Dauid autẽ nimia animi ſui anguſtia & amaritudine preſſus, mœroreque confectus, tanti flagitij veniam precans, nulla propria merita oculis Dei proponit, ſed tantùm ipſius fidem, pollicentis veniam, confeſsis crimina: & ideò dicit, Munda me à peccato meo, quo tibi ſoli peccaui; (quoniã peccatũ nõ eſſet niſi quia contra legem tuam:) *VT* (ſic) *iuſtificeris,*) ideſt, iuſtus appareas & verax, (*in ſermonibus*) ideſt, in dictis tuis, quibus miſericordiam promittis pœnitentibus: & mihi promiſiſti, in promiſsione à te facta de ſemine meo, vbi dixiſti, Ego ei in Patrem, & ipſe erit mihi in Filium, qui ſi iniquè aliquid geſſerit, arguam eum &c. miſericordiam autem meam non auferam ab eo: & ſic re ipſa (*Vincas cum iudicaris*) ideſt, quoties te vanum pollicitatorem te incuſabũt homines, ſuſpicantes fore, vt ob meum ſcelus nõ præſtes genti Dauidicæ quod pollicitus es. mœrebar ipſe fruſtrati promiſſo, ſed refert tamen fidem ac veritatem tuam, ita commendatiorem ac teſtatiorem fieri mortalibus meo peccato, ſi conſpexerint te ne tanto quidẽ admiſſo offenſum, vertiſſe ſententiam.

IN extremo quidem iudicij die, iuſtitia Dei clarior cunctis aſtris apparebit, qui peccatores vocarit ad pœnitentiam, pœnitentibus dederit veniam, iuſtis præmia, omnibusque conſtanter ſeruauerit fidem, etiam ipſis perfidis, qui fidem ei promiſſam defregimus: atque adeò ipſe ſolus iuſtificabitur; qui promiſſorum fidem, nec minima ex parte caſſauerit. Nulla ergo Iudæis hinc relinquitur occaſio iactandi ſe amplius; cum non propter eorum merita, Deus ſteterit promiſsioni ſuæ, ſed propter ſuam ipſius fidem. in quo viam ſternit Paulus ad principale intentum, nimirùm quòd nõ ex operibus, ſed ex fide Chriſti iuſtificamur. Satisfacit etiam illis qui hinc vellet colligere, non ideò Iudæos, Ethnicos præcellere quòd illis & non iſtis facta ſit de Chriſto promiſsio: nam licet non fuerit eorũ merito, fuit tamẽ

diui-

diuino beneficio, præ cæteris gentibus, Iudæis propriè promiſſus, qui erat vniuerſalis redemptor mittēdus, iuxta ſuū
Mat. 15 ipſius verbum dicentis, non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierūt domus Iſrael.

16. *SI autem iniquitas noſtra, iuſtitiam DEI commendat, quid dicemus? nunquid iniquus eſt DEVS qui infert iram?*) Excludit falſum intelectum authoritatis inductæ, qua dixerat malum coram te feci, vt iuſtificeris &c. poſſet aliquis inteligere hoc, ſecundum quod dictio (*vt*) non diceret euētum rei, ſed cauſam: & ſic daretur quòd peccatum hominis directè ordinaretur ad commendādam Dei iuſtitiam. ſed Apoſtolus contrariū docet, oſtendens, quòd dictio, (*vt*) ſolum dicit euentum rei, quia ſcili. Dauid peccante, factum eſt, quod diuina iuſtitia manifeſtaretur, ſicuti grauitas morbi manifeſtat, & commendat artem medici, tanquam materia in qua relucet. quoniam niſi peccata eſſent, non ſplendeſceret miſericordia iuſtificantis: & ſi Deo omnes fideles eſſent, non tam clareſceret promicaretq; eius fides, quàm cum ab eo ſeruatur etiam fœdifragis, quemadmodum fides Marci Reguli, inde illuſtrior fuit, quòd hoſtibus ſeruata eſt. Non igitur dictio (*vt*) in hoc loco dicit cauſam, quaſi peccatum hominis commendet DEI iuſtitiam, tanquam bonum impulſu Dei factum,
Mat. 5. vt eſt illud Euangelij, Videant opera veſtra bona, &, Glorificent patrem veſtrū. Aut ſicut fabrica mundi manifeſtat Dei poteſtatem & ſapientiam. vel tanquam prudentia conſiliarij, qua clarificatur iuſtitia principis: ſed tanquam malum culpæ, diaboli ſuaſu commiſſum, cuius remiſsio & iuſtificatio, eximiam Dei oſtendit miſericordiam. Ad literam igitur venientes, facit Paulus enthymema, cuius illationem ſolam inficiatur, dicens, (*Si autem iniquitas noſtra, &c.*) quaſi dicat, poterat alicui venire in mētem, ſi Dei iuſtitia commendatior, ſpectatiorque redditur, hominum iniuſtitia, ideſt, eſtò ita ſit (*quid dicemus?*). i. quid ſentiendum de hoc? (*Nunquid iniquus eſt Deus qui infert iram?*) ideſt, dicemus hoc, quod Deus qui infert irā, ideſt, vindictam pro peccato eſt iniquus, aut quod velit exiſtere peccatum, quo magis eluceſcat ſua iuſtitia.

17. *Secundum hominum dico.*) Abſurditatem loquendi proximè dictam, mitigat his verbis: ac ſi dixiſſet, iam non meis, ſed impiorum hominum verbis loquor.

18. *Abſit.*) Negatio eſt, exhorrentis affirmationem: vt ſi dixiſſet, (*Abſit*) vt hæc cogitatio, videlicet, quòd iniquus ſit Deus, pio homini vnquam in mentem veniat.

19. *Alioquin quomodo iudicabit Deus hunc mundum?*) Cauſam prædicti abſurdi oſtendit his verbis dicēs. Si Deus iniquus eſt, quo pacto erit iudex ſummus huius mundi? nam ſi iniquitas eſſet punire ſcelera noſtra, non ei legitimè competeret, iudicium orbis, cum id quod bonum eſt, tanquam malum puniret, & prauis contrà præmia decerneret. Nam ſi vitium noſtrum bonum eſſet, contraria eius virtus eſſet praua. At vero Deo competit eſſe ſupremum, & vniuerſalem mundi iudicem, non ergo eſt iniquus, imo eſt iuſtiſsimus, tum quia induratam iniquitatem vlciſcitur, tum etiam, quia pœnitentibus donat veniam, & iuſtis præmia. Et ſic peccata noſtra ſub diuerſa ratione, ſunt materia iuſtitiæ, & miſericordiæ Dei, cuius vtraq; virtus in peccatis noſtris præfulget, ad ipſius gloriā. Pſ.

20. *Si enim veritas DEI in meo mendatio, abundauit in gloriam ipſius, quid adhuc & ego tanquam peccator iudicor, & non (ſicut blaſphemamur, & ſicut aiunt quidam nos dicere,) faciamus mala, vt veniant bona.*) Repetit eandem ſentētiam contra blaſphemos, in quorum perſona legenda ſunt verba hæc. (*Si veritas,* inquit, *Dei,*) promiſſa ſeruantis, (*in meo mendacio.*) ideſt, in mea fidei violatione, (*abundauit,*) ideſt, creuit, (*in gloriam ipſius,*) illuſtriorem eam reddēs, meúq; probrū ceſsit in gloriam ipſius, (*quid*) ideſt,

ideſt, cur *(adhuc & ego,)* ſcil. quicunque mentior homo, qui laudari deberem, ſi meo mendacio Dei veritas comprobatur, cur inquam *(tanquam peccator iudicor,)* ideſt, cur mihi peccatum meũ imputatur *(et non)* ſcil. potius carni indulgentes *(faciamus mala, vt, hinc, eueniant bona.)* ſi quidem per noſtram iniuſtitiam, commendabilior facta eſt Dei iuſtitia, *(quemadmodum blaſphemamur, & ſicut aiunt quidam nos dicere,)* ideſt maledici nos calumniantur, ſic interpratantes, quaſi nos ita loquamur, faciamus mala vt veniant bona.

Perditorum hominum ſunt verba hæc, qui in via perditionis laxare habenas cupientes, non aliter in ſuam miſeriam loqui potuerunt. Hos vocat D. Petrus, indoctos & inſtabiles, deprauatoresque epiſtolarum Pauli. Hi audientes Apoſtolos prædicantes, per fidem, hoc eſt, non ex meritis præcedentium operum, ſalutem eſſe hominibus propoſitam: diuinamque miſericordiam inde efferẽtes, quòd peccatorum multitudinem & grauitatem, iniquis condonaret, atq; adeò, quò eſſent cumulatiora, eò patentior eſſet gratia Dei: ac denique legem ſubintraſſe, vt ad abundaret delictum, ac ſubinde gratia: talem prædicationẽ ludibrio habebant ſtulti, interpretantes nihil aliud eſſe, quàm perſuadere, vt homines perditè viuerent, cõpluraq; patrarent mala ex quibus beneficium remiſsionis haberent.

b Hæc autem non ſolum in homines erat maledicentia, ſed & in Deum grauis blaſphemia. Cum enim peccatum ſit auerſio mentis à Deo, & receſſus ab ordine ſecundum Dionyſium, & ab eo quod eſt ſecundum naturam ſecundum Damaſce. idcirco per peccatum irrogatur Deo iniuria, & directè inhonoratur De⁹ non glorificatur. Verumtamen, quoniã tanta eſt Dei bonitas vt non permitteret malum, niſi præноſceret aliud bonum inde venturum, & tanta eſt virtus eius, quòd malum omnino impediret, niſi aliquod bonũ ex malo elicere poſſet, propterea malum culpæ, indirectè atque per accidens, ſcilic. præter propriam conditionem, & præter peccantis intentionem, ordinatur & valet ad declarationem diuinæ iuſtitiæ, ſecundum quod Deus per pœnam ordinat culpã, in quo diuina ſapientia atque iuſtitia manifeſtè refulget. Quemadmodum etiam ex crudelitate tyrannorum præter intentionem ipſorum, manifeſtauit De⁹ pacientiam atque conſtantiam martyrum. Peccata igitur indirectè & per accidens, poſſunt eſſe materia gloriæ Dei, & ſanctorum, minimè verò directè, cuius contrarium dicere, eſt blaſphemia manifeſta, & inferno digna: ideò ſubdit, dicens.

Dyo.

Dam.

21. *Quorum damnatio iuſta eſt.)* Relatiuum *(quorum)* refert blaſphemos illuſores, qui verbis Apoſtolorum peruerſè intelectis abutebantur ad Apoſtolorum infamiam, aut ad peccati libertatem: periude de Deo paroligizantes, ac ſi quis de viro iuſto argueret in hũc modum. Pacientia viri iuſti inde refulget, quòd iniurias perfert condonatq;, ergo irrogandæ ſunt illi iniuriæ. Horũ *(damnatio iuſta eſt,)* ideſt, iuſtè, meritoque damnantur. Sicut enim non eſt verum ſillogizandum ex falſis, ita non eſt perueniendum ad bonum finem, per mala, vt ait D. Tho. Vel iuſtè damnantur ob incredulitatẽ, quòd vt Deo non poſſunt imputare peccatum ſuum, cuius ipſi ſua ſponte ſunt authores, ita nihil gratiæ debetur iſtis, ſi quod illi ſuo vitio peccant, Deus ſua bonitate vertit in gloriam ſuam. vel *(quorum)* ſcil. hæc nobis falsò imponentium *(damnatio iuſta eſt)* iuſtè enim damnantur peruerſores ſacræ doctrinæ, iuxta illud Apocalyp. Si quis appoſuetit ad hæc, apponet Deus plagas ſcriptas in libro iſto. vel vt ait Hiero. quid iuſtius quàm vt hanc pœnam ſentiant, quam nos negare mentiti ſunt, qui nihil magis quàm iuſtum Dei iudicium prædicamus.

Th.

Apoc. vlti.

Hie.

Hæc autem ſententia non ſunt facienda mala, vt inde eueniant bona: intelligenda eſt de malis culpæ. Peccatum enim cum ſit res illicita, nullo pacto licebit vnquam illud perpetrare, quamuis ſit ad euitandum maius malũ. Nec obſtat

F con-

Conc. Tol. c. 13. Concilium Tolet. vbi dicitur, quòd duo mala, licet omnino cautiſsimè ſint prę cauenda, tamen ſi periculi neceſsitas, vnum ex his perpetrare compulerit, id debemus reſoluere, quod minori nexu noſcitur obligari. Nam vt patet ibidē ex ſubiunčto exēplo, admonemur quòd in malè promiſsis etiam iureiurando firmatis, reſcindamus fidem: vt qui iurauit hominem occidere, potius frangat iuramentum quàm occidat, quoniā frangere non eſt peccatum, ſed feciſſe iuramentum. Conſulere autem minus malum, quando alia via peccatum vitari non poteſt, forſitan erit licitum. Nam quemadmodum meretrices ad vitanda adulteria permittuntur, ita qui amicū nulla alia ratione abducere ab adulterio valeret, non eſſet forſitan iniquus, ſi cōſuleret vt fornicatione ſimplici citius libidinem expleret. quia conſilium, non ad malum, ſed ad bonum potius videtur referri, putà ad cauendum quod peius eſt: quare conſulens non eligit minus malum, ſed alter qui facit: id quod colligitur ex D. Grego. eadem diſt. Diſt. 13. cap. ner.

22. *Quid igitur precellimus eos? nequaquam.*) Poſtquam egit de diuinis beneficijs quibus Iudæi fuerunt propriè donati, hic agit de proprijs operū meritis, ideoque diuerſis vtitur verbis. Suprà enim non dixit Iudæum præcellere, ſed aliquid amplius habuiſſe, ideſt, recepiſſe: hìc autem amputat eis excellentiam, ſanè quæ ad virtutem propriā & merita refertur. Vnde cum aliquid laudis videbatur tribuere Iudæis, id protulit in tertia perſona: cum verò crimina eorum tangit, humilitatis gratia ait, (*quid ergo,*) ſcil. dicemus nunc Iudæi, (*Præcellimus eos?*) ideſt, potiores ſumus Ethnicis, eo quòd plura beneficia accepimus? reſpondet, dicens, (*nequaquā*) ſanè quantum ad excellentiam perſonarum attinet, quia illis diuinis beneficijs, quæ accepimus à Deo, non ſumus debitè vſi. Vnde dicit.

23. *Cauſati enim ſumus, Iudæos & Græcos, omnes ſub peccato eſſe.*) ideſt, argumentis docuimus (*Iudæos pariter & Græcos.*) ideſt, Gentiles omnes, culpæ obnoxios eſſe: iuxta illud, à planta pedis vſque ad verticem, non eſt in eo ſanitas. Et videtur loqui Apoſtolus, de peccatis actualibus, nam de originali, nullam hactenus mentionem fecit. Vtriuſque igitur populi crimina ſuperius oſtendit, gentium primò, quia veritatem Dei cognitam, in iniuſtitia detinebant: deinde Iudæorum, quia lege ſuſcepta, per præuaricationem legis, Deū inhonorabant: atque adeò, neque illos ſua philoſophia: neque hos legis cognitione, quidquam promouiſſe. Iſai.

24. *Sicut ſcriptum eſt.*) Oſtendit propoſitum per authoritatem ſcripturæ: quamuis Apoſtolis non erat neceſſarium ſcripturis ſuam prædicationem conteſtari, ſicut nec Deo, cuius organa erāt: vtuntur tamen eis perinde atque Chrūs Dominus, tum, ad oſtendendam conſonantiam vtriuſque legis, nouæ. ſ. & veteris, tum etiam propter Iudæos incredulos, qui nihil præter ſuam legem recipiebant.

25. *Non eſt iuſtus quiſquam.*) Hæc verba cum cæteris quæ ſequuntur ex diuerſis ſcripturæ locis deſumpta, referenda ſunt ad populum malorum, inter quos nullus eſt iuſtus. Eſt enim conſuetudo ſcripturæ, vt ait D Tho. vt quandoq; loquatur de toto populo ratione malorum, quandoq; ratione bonorum, vt patet ex Hiere. vbi dicitur, quòd cum complesſet Hieremias loqui omnia quæ pręceperat ei Dominus, vt loqueretur ad vniuerſum populum, apræhenderūt eū ſacerdotes & Prophetæ & omnis populus, dicentes, morte moriatur. & poſtea ſubditur, dixerunt principes & omnis populus, Non eſt viro huic iudicium mortis. & quòd ita verba hæc debeant inteligi, manifeſtiſsimè patet, nam inter Iudæos multi fuerunt viri præclari, mira ſanctitate & iuſtitia præditi, quales fuerunt Abraham, Iſaac, Iacob, Dauid, Simeon, & alij quàmplures. Hoc igitur primum verbum, (*non eſt iuſtus quiſquā,*) deſumptum eſt, ex Michæa Propheta, vbi Th. Hie. 26.

Mich.7. vbi dicitur, Perijt ſanctus de terra,& rectus in hominibus non eſt. aut ex illo
Eccl.7. Eccleſiaſtes, Non eſt homo iuſtus in terra, qui faciat bonum & non peccet. Sumitur autem iniuſtitia pro vitioſitate in genere, à quo exorditur, vt ad particularia crimina deſcendat.

26. *NON eſt inteligens, non eſt requirens Deum.*) In quodam Pſalmo ſcripta
Pſ.13. ſunt verba hæc, & vtitur zeumia figura, conſtituens eundem accuſatiuum duobus participijs. Agit autem his verbis de cognitione Dei practica, cui omnia officia ſemper ſunt referenda, hac carebant illi de quibus loquitur, inter quos nō erat qui inteligeret ea quæ Dei ſunt, aut exquireret Deum per opera bona
Hier. & ſancta. D. Hiero. ſuper hæc verba, air, qui non inteligit non requirit, ſeu ideò non inteligit, quia non quærit. Deus autem tunc requiritur, cum eius voluntas inquiritur, quia omnis qui peccat, non vidit eum, nec agnouit eum, eo quòd qui peccat, Domini ſui non cognoſcit voluntatem: nam & vulgò neſcire dicitur, cuius voluntas ignorata eſt.

27. *Omnes declinauerunt.*) ſcil. à regula diuinæ legis. Nam qui non quærit fundamentum, nempè Deum, neceſſe eſt vt declinet.

28. *Simul innutiles facti ſunt.*) ideſt, pariter innutiles, ad opus ad quod fuerunt procreati. Hoc enim innutile dicitur, quod non conſequitur finem ſuum, vnde cum homines à voluntate & cognitione Dei declinent, propter quem facti ſuut, dicuntur & ſunt innutiles, iux-
Sap. ta illud Sapientiæ, Multitudo impiorū non eſt vtilis.

29. *NON eſt qui faciat bonum.*) Hoc eſt, non eſt qui ſe exerceat in virture & probitate, iuxta illud Prophetæ,
Hier.4. Sapientes ſunt vt faciant mala, benè autem facere neſcierunt.

30. *NON eſt vſque ad vnum.*) Excluſiuè inteligitur, quaſi dicat, non eſt, vel vnus, qui ſcil. exerceat probitatē. Hactenus de Pſalmo.13.

31. *Sepulchrum patens, eſt guttur eorum.*) Ex Pſalmo quinto deſumptum Pſ.5. eſt hoc contra impios maledicos, quorum os imprimis comparat ſepulchro aperto: ſepulchrum enim clauſum, ſignificat homines qui flagitia ſua contegūt exterius, ſpecie ſanctitatis morum. De his inquit Saluator, Vę vobis hypocritę, qui ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus ſpecioſa, intùs autem plena ſunt oſsibus mortuorum. Patens verò ſepulchrum eſt, homo, quem nullus, vel metus, vel pudor cohibet, ſed in publicum, ſcelerum fœtorē ſpirat, vel lætatus cum malefecerit, vel peſtifer vt mala perſuadeat, vel certè maledicus vt alienum honorem, famamq; deterat. Quin multò eſt ſepulchro peſtilentior obtrectator homo & conuitiator. Sepulchrum enim neminem occidit, ſed excipiendis mortuorum cadaueribus patet: maledici autem guttur, adeò ad deuorandam alienam famam fatiſcit, vt viuentes abſorbeat: de cuius ore, vt eſt in Apocalypſi, procedit ignis, & fumus, & ſulphur. Nam & famam exurit, & obnubilat gloriam, & putorē emittit emunctis naribus intolerabilē. Et ideò quemadmodnm ſepulchra mortuorum diligenter tegunrur à viuentibus, ad vitandam peſtem per aëris corruptionem, ita obſtruendum eſt os loquentium iniqua, vel vitando, vel puniendo illos.

32. *Linguis ſuis doloſè agebant.*) ideſt, ad dolum, vſi ſunt. ex eodem quinto Pſalmo, etiā deſumitur hoc. Ratio aūt Pſ.5. quare maledici, ad dolum vtuntur linguis, eſt, quia ex maledicendi appetentia, protinus inſurgit dolus in lingua. Sagitta vulnerans, ait Propheta, lingua Hier.9. eorum, dolum locuta eſt: aliud ore promittentes, aliud corde volutantes.

33. *Venenum Aſpidum ſub labijs eorum.*) Ex eodem quinto Pſal. etiam eſt hoc: cui ſimile videtur illud Deut. Fel Deu.32. draconum, vinum eorum, venenum Aſpidum inſanabile. Meritò profectò peſtilentes iſti, alienæ famæ denigratores.

cum monſtriferis his beluis ac ſerpentibus componuntur, horum enim ſerpentium, peſsimum dicitur eſſe venenũ.

34. *Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt.)* Ex Pſal. nono alle- Pſ.9.
gatum eſt hoc. Sed obſerua quàm exactè depinxerit inviſum hominũ genus detractorum. quorum enim os, appertum, doloſum, venenoſum dixerat, ait modò, & quod ſit execratione & amarulentia plenum, ita vt ad maledicendum ſint paratiſsimi: quorum iniurijs, nimia amaritudine conficiuntur proximi. ac proinde detractores illi, tanquam publica pernicies, & veluti quidam rabidi canes hominibus inuiſiſsimi, & ingratiſsimi, à conſortio hominũ deberent profligari. Sunt enim, vt ait
Prou.4. Sapiens, abominatio hominum detractores, cum quibus cõmiſceri vetamur.

35. *Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem)* Ex Iſai. deſumptum
Iſa.59. eſt hoc, & deſignatur promptitudo male agendi in pedum velocitate, omnis verò proximorum iniuria, in ſanguinis effuſione, hoc eſt, in homicidio, quod eſt proximi ſumma iniuria. Et poteſt inteligi tam de occiſione corporum quàm animarum, quas etiam adulando interficiunt adulatores. Porrò autem pedes & greſſus ſpiritualiter, ſunt voluntatis
Pſal. affectus.

36. *Contritio & infœlicitas in vijs eorum.)* ideſt, in vijs ſeculi, ſiue in operi-
Iſa.59. bũs eorum. Ex eodem loco Iſai. atque
Prou.1. etiam ex Prouerb. deſumptum eſt hoc, & poteſt inteligi actiuè, ſimul & paſsiuè. quemadmodũ enim alios conterunt calamitatibus, & faciunt infœlices, dum eos de iure ſuo perturbant, ita etiam ipſi aſsiduis ſuarum cupiditatum laboribus conficiuntur, & infœliciter opprimuntur. Laſſatiq; in via iniquitatis, vias ambulantes difficiles (vt ipſi fatentur) ad aliam infeliciorem properant cala-
Sap.15. mitatem: hoc eſt, ad pœnam æternam
Iſa.30. ſenſus, de qua Iſaias, cõminuentur, inquit, ſicut conteritur lagena figuli. & ad pœnam æternam damni, quæ eſt priuatio æternæ fœlicitatis, vt meritò de
ipſis dicatur illud Sap. infœlices ſunt, Sap.13.
& inter mortuos ſpes eorum.

37. *Viam pacis non cognouerunt.)* Ex
eodem Iſai. loco deſumptum. per viam Iſa.59.
autem pacis inteligit rationis, vel Chriſti legem, quæ vtique onus eſt leue, & iugum ſuaue, & viæ eius pulchræ. Nam conſilia & præcepta Chriſti, viæ ſunt pacis, quibus itur ad illam cœleſtem pacem quæ exuperat omnem ſenſum, in
cuius pulchritudine, vt inquit Iſai. ſe- Iſai.
debit populus Dei, in requie oppulenta. Hanc non cognouerunt impij & peccatores, dum ambularent per viam perditionis.

28. *NON eſt timor Dei ante oculos*
eorum.) Ex alio Pſalmo deſumitur hoc, Pſa.15.
qui incipit, dixit iniuſtus &c. *Non eſt timor Dei ante oculos eorum:* ideſt, ante ipſorum conſiderationem. Concluſit autem huius rei allegationes in timore Dei. Nam ſicut timere Deum eſt initium ſapientiæ, ita carere timore Dei, eſt præcipitium malorum omniũ. Vnde qui timorem Dei ante oculos ſemper habet, non vtique delinquit: neque enim audet ſeruus Dño præſente peccare. In omne ergo ſcelerum genus ita ſe præcipites dederunt iniqui Iudæi, ac ſi nullus eſſet quem vererentur, Deus. Et plus ſignificat dicendo, non eſt timor Dei ante oculos eorum, quàm ſi diceret, non habẽt timorem Dei. Nam ipſamet peccata, quibus homines oblectantur, præſeferunt. ac velut digito oſtendunt futuram Dei vindictá, quam nullus homo non videt, niſi tenebris peccatorum ſit omnino excæcatus.

39. *Scimus autem quoniam quæcunque lex loquitur, ijs qui in lege ſunt loquitur.)* Vtitur Apoſtolus figura prolepſis, ideſt, præocupatione exceptionis, qua ſe poterant Iudæi defendere dicentes, maledicta illa propheṭarum, non eſſe in ſe iactata, ſed aduerſus Gentes. Amputat ergo eis exceptionem hanc, oſtendens ea quæ in lege dicuntur, ad eos qui in lege ſunt. i. quibus lex poſita eſt, pertinere.

tinere: lex autem non erat paganis ſed Iudæis edita. Sumitur autem in hoc loco lex, pro toto veteri teſtamento, ſicut & in illo loco vbi dicitur, vt impleatur ſermo qui in lege eorũ ſcriptus eſt, *Ioa. 15.* quia odio habuerunt me gratis. Diuiditur enim aliquando vetus teſtamentũ in tria, videlicet, in quinq; libros Moyſi, Pſalmos, & Prophetas, vt patet ex D. *Luc. vlt.* Luca. Aliquando verò diuiditur in legẽ *Mat. 22* & Prophetas, vt conſtat ex Mathæo, & ita Pſalterium ſub prophetiæ nomine comprehenditur. Nõ tamen negat Paulus multa etiam in veteri teſtamento pronuntiari pertinentia ad alias gentes, vt patet ex pluribus Iſaiæ locis, & Hieremiæ, vbi dicuntur multa contra Babylonios & alias nationes. Sed obſeruandũ *Th.* cum D. Tho quòd quæcunque ſcriptura indeterminatè loquitur, ad eos pertinere videntur, quibus lex data eſt: quãdo verò de alijs loquitur, ſpeciali titulo deſignat illos, ſicut cũ dicitur, Onus Ba*Iſai. 13.* bylonis quod vidit Iſaias filius Amos, & onus Tyri, & multa ſimilia. Ea verò quæ contra alias gentes in veteri teſtamento dicuntur, aliquo modo pertinebant ad Iudæos, quatenùs eorum infortunia, ad conſolationem, vel terrorem Iudæorum prænuntiabantur. ſicut etiã prædicator ea debet dicere quæ pertinent ad eos quibus prædicat, non autẽ quæ pertinent ad alios, iuxta illud, Annuntia populo meo peccata eorũ, id eſt, non quæ ſunt aliorum.

40. *Vt omne os obſtruatur, & ſubditus fiat omnis mundus Deo.)* Incuſatio hactenùs facta ab Apoſtolo, tàm cõtra gẽtes, quàm contra Iudæos, fuit, vt omniũ iactantiam reprimeret, & omnes deniq; homines ſubijceret Deo in confeſsione peccati, & propriæ fragilitatis: ideò inquit, *(vt omne os obſtruatur &c.)* q.d. peccata gentium & Iudæorum oſtendi vobis, vt ex æquo mortalibus omnibus os obſtruatur, dùm non habeant vnde gloriari poſsint: & tanquàm infirmus medico *(ſubditus fiat omnis mundus Deo)* per humilitatem confeſsionis, ab eo ſolo petens, & ſperãs animę iuſtificationem, & peccatorum remiſsionem.

41. *Quia ex operibus legis, non iuſtificabitur omnis caro coram illo.)* Quoniã poterat aliquis inſurgere aduerſus Paulum & dicere, quare ô Apoſtole tu dicis quòd omnes tacere debent, quaſi nullus inter eos inuentus ſit iuſtus coram Deo: nonne quamplures, tàm gentium, quàm Iudæorum, iuſti & ſancti habiti ſunt apud Deũ & homines, vt Iob, Noe, Abraham, Dauid, & alij quamplures? ergo, & illi loqui poſſunt, & ſic nõ omne os obſtrui debet vt ais. Reſpondet ad hoc Paulus, quòd ſanctitas, ſiue iuſtitia iſtorum, non debetur operibus legis ſiuè naturalis, ſiuè ſcriptæ, ſed gratiæ Dei, & fidei Ieſu Chriſti, ſiuè implicitæ, ſiuè explicitæ, ſine qua vnquàm, fuit impoſſibile placere Deo. Vnde & Dauid, cre- *Pſal.* didi, inquit, propter quod locutus ſum. quaſi nullus niſi credens loqui poſsit, & tunc loqui debet beneficia Dei, maximè, quòd per gratiam eius Chriſtianus factus eſt, vt Paulus cum dicebat, gratia Dei ſum id quod ſum.

Sed contrà videtur ſenſiſſe Paulus, cum ſuperius docuit non auditores legis iuſtos eſſe apud Deum, ſed factores legis iuſtificari. Ad hoc tamen eſt eadem reſponſio, nam factores legis, cuiuſcunque legis ſit, ſi id quod faciunt ſola naturali facultate præſtiterint, iuſtitiam quidem operum exhibent, hoc eſt, opera faciunt honeſta, naturali ciuiliq; æquitate: qua denique iuſtitia iuſti ſunt apud homines, & vocatur illa à beato Ambroſio, temporalis, tanquàm ad ci- *Amb.* uilem ſtatum, & tranquillitatem pertinens. at verò huiuſmodi officia, non per ſe ſufficiunt iuſtificare perſonam, hoc eſt, amicos nos Deo cõſtituere, quæ ſanè amicitia, æterna eſt iuſtitia. Qui igitur gratis per fidem reconciliatus, eàdẽ poſtmodum adiutus cooperatrice gratia, mandata ſeruat, dignus eſt vita æterna. Et ſic ſententia Pauli eſt veriſsima, quod lex, ſiuè naturalis, ſiuè ſcripta, ſiuè moralis, ſiuè ceremonialis, abſque diuina gratia, non poteſt quemquã mortalium, iuſtum & innocentem reddere Deo, cui niſi iuſtus ſit homo, fruſtrà hominibus habeatur iuſtus. Quis autem ſit legis vſus, cum per eam non contin-

gat homini iuſtitia oſtendit dicens.

42. *Per legem enim cognitio peccati.)* In hoc certè prodeſt lex,quod per eam ſuum quiſque peccatum magis agnoſcit, eſt nonnullus ad ſanitatem gradus, morbum ſuum inteligere. dicitur autē lex, latius ſumpta, à legendo, eòquod publicitùs legitur dum promulgatur. Græcis verò nomos, ideſt, norma dicitur. eſt enim norma & regula rationis, oſtendens nobis viam qua in legitimū ſcopum tendamus. Et quauuis etiam à iuriſprudentibus, iuſſa principum, leges dicantur, eſt tamen lex, ſplendor & regula diuini intelectus, quæ nos in diuinam dirigit voluntatem. Agnouit

Cic. & hoc Marcus Tulius Cic. qui legē deffiniens ait, quod ſit certa ratio è mente diuina manans, quæ recta ſuadeat, prohibeatque contraria. Vbi ſumi poteſt ratio, pro illo lumine de quo inquit Da-

Pſ.4. uid, Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Dñe. Tametſi Cicero de lege ſcripta videatur, ſermonem facere, quæ clarius effulgeat, quàm nunc noſter intelectus, multis paſsionibus obnubilatus, & imbecillis factus, qui proinde ſcripta indiget lege adiuuari, & illumi-

Pſ.18. nati: nam præceptum Domini lucidū,

Pro.6. illuminans oculos. &, mandatum lucerna eſt, & lex lux, & via vitæ.

Ratio autem quare nulla lex per ſe poſsit hominem iuſtificare, eſt, quia iuſtitia apud Deum, ſuperat omnem legē. Eſt enim idem quod amicitia cum ipſo, atq; acceptatio ad vitam æternam, quæ cum ſit ſupernaturalis, nempè ordinem creatæ naturæ præcellens, fit, vt huiuſmodi amicitia, munus etiam ſit ſupernaturale. Hinc manifeſtè conſtat, quod licet quis præter legem aliquam conderetur homo abſq; vlla vel culpa vel gratia, nullis ſuis tamen officijs poſſet hāc dignitatem comparare, imò verò neque Adam in ſtatu naturæ integræ, ſi gratiam ſemoueas, id quidem potuiſſet. eius antem poſteris, cum filij iræ, & inimici Dei nati ſimus omnes, minus poſſet nobis per officia noſtra, gratia recōciliationis contingere. nō enim placere poſſunt Deo inimici eius, cū illos odio habeat. Et ſic manifeſtiſsimè conſtat quod omnis legis virtus, ſit peccati rationem pandere, atque adeò nec remittere valet delicta, nec regni hæreditatē commereri. Peccatū vlciſcitur lex, ideò iudicandi illius vim habet, non remitendi. Adhæc, lex homini datur, vt per eam cognoſcat quid agere debeat, quid vitare: ex hoc autem quòd homo cognoſcit peccatū quod vitare debet tanquam prohibitum, nō ſtatim ſequitur, quòd illud vitet: quod pertinet ad rationem iuſtitiæ. quia concupiſcentia, vt ait S.Th. ſubuertit rationis iudicium in particulari operabili, & ideò lex nō ſufficit ad iuſtificandum, ſed eſt neceſſariū aliud remedium, per quod concupiſcentia reprimatur. Tho.

43. *Nunc autem ſine lege, iuſtitia Dei manifeſtata eſt, teſtificata à lege & Prophetis. iuſtitia autem Dei per fidem Ieſu Chriſti, in omnes et ſuper omnes qui credunt in eum.)* Quemadmodum olim, legis partes erant, prodere peccatum hominū, prius minùs euidens, ita *(nunc)* ſcilic. tempore gratiæ per Euangelium declarata eſt *(vera iuſtitia, ſine lege.)* ideſt, quæ legis adminiculo non egeat ad ſui manifeſtationē, cum ſit per Chriſtum & ſuos miniſtros *(manifeſtata:)* tametſi teſtata ſit eam lex & Prophetæ *(iuſtitia,)* inquit non legalis, ſed *(Dei,)* idque non per circunciſionem, aut Iudaicas ceremonias, ſed *(per fidem Ieſu Chriſti.)* per quem vnum vera iuſtitia confertur, non Iudæis modò, aut his, aut illis nationibus, ſed citra delectum omnibus & ſingulis, quicunque illi fidē habuerint.

44. *Iuſtitia Dei.)* ideſt, iuſtificatio quā Deus clementer & gratioſè efficit in nobis, peccata tollendo, & gratiam fundēdo. Dicitur autē iuſtitia Dei, tum, quia Deus reddit quod promiſerat de hominum iuſtificatione, tum etiam, quia omnes credentes in Chriſtum, & ad ſe per obedientiam confugientes ſuſcipit, ſuſcipere autem ſic, iuſtitia dicitur: quia non ſuſcipere confugientem, iniquitas inter homines reputatur. tum denique, quia

quia per eam vnuſquiſque à Deo iuſtificatur.

45. *SINE lege manifeſtata.*) Non dicit effecta aut conſtituta, ne ſuſpicionē inijceret, quòd tunc primùm tempore Chriſti, fuiſſet creata iuſtitia hæc, cum tamen ab orbe vſque condito, patuerit ſalus credentibus in Chriſtum, fide ſaltem obſcura, & ſub nubilo implicita, id quod Apoſtolus ad Hebræos, multis exēplis ſatis appertè oſtendit. Sed tamen illa quæ prius fuerat obuelata, per euāgelium, ideſt, per euangelicam prædicationem reuelata eſt.

46. Fuit autem manifeſtata hæc iuſtitia, tripliciter, nempè per Chriſti doctrinam, & per eius miracula, & per facti euidentiam. per Chriſti doctrinam, vt cum Ioannes dicebat, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. & Saluator ipſe, vt ſciatis, inquit, quia filius hominis habet poteſtatem remittendi peccata. &, Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis. &, Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam. &, Ego ſum panis vitæ, qui venit ad me non eſuriet, qui credit in me non ſitiet in æternum. &, Ego ſū via, veritas, & vita. &, Ego ſum oſtium, per me, ſiquis introierit, ſaluabitur. atq; id genus plurima, quibus edoctus eſt mundus, per vnam fidem Ieſu Chriſti viuam, condonari delicta noſtra, aditūq; patere ad cœleſtem Hieruſalem. Hæc verò per legem naturæ manifeſtari nequiuerant, quippe quæ lumine naturali non diluceſcant: nec etiam per legem veterē manifeſtata ſunt, hoc eſt, explicata, hoc enim ſonat manifeſtari.

Per miracula autem Chriſti fuit manifeſtata, vt cum ipſe cæcos illuminabat, morbos curabat, mortuos ſuſcitabat, faciebatq; multa alia miracula, quibus appertè teſtabatur quòd eſſet Deus & homo, & verus mundi Saluator. Per facti euidentiam eſt etiam iuſtitia DEI manifeſtata in quantū euidens eſt, multos eſſe diuinitus iuſtificatos: & hoc ſine lege .ſ. cauſante iuſtitiam. iuxta illud Apoſtoli, Euacuati eſtis à Chriſto qui in lege iuſtificamini, à gratia excidiſtis. *Gal. 5.*

47. *Teſtificata à lege & Prophetis.*) Hoc dicit ne aliquis crederet, quod lex vetus fuerit innutilis, aut in aliquo contraria nouæ legi. & ſumitur hic lex, non pro moralibus præceptis, quæ in eundē erant illis vſum edicta, in quem nobis, ſed pro ea parte quæ ceremonias continebat, quibus iuſtitia Dei, (*teſtificata,*) hoc eſt, adumbrata, fuiſq; figuris delineata eſt. Nihil enim aliud exiſtimáda eſt tota illa priſcorum lex, quàm vaticinium Chriſti, atque adeò theatrum quoddam, quò futurorum comœdiam, in conſpectu mundi, Deus exhibebat: & quo Chriſti myſteria, ceremonijs, prodigijs, ac rebus geſtis adumbrabat: & quò demum humanū genus, quaſi puerum, neque idoneum cui palam fides reuelaretur, ſub legis pædagogia educabat, vſque dum in virum iam adultum (quod Paulus vocat plenitudinem temporis) maturum eſſet cui detectam tandem veritatem manifeſtaret. Vnde ad Corinthios inqnit Paulus, omnes in nube & in mari baptizati ſunt, quia omnia in figura contingebant illis. *1.Co.10.*

Prophetæ autem teſtificati ſunt, prænūtiando nobis hanc iuſtitiam, iuxta illud, *Act.10.* Huic omnes teſtimonium perhibent. Nam ob hoc fuerunt omnes diuino numine pleni, quò futurum prædicerent Saluatorem. quocirca Apoſtoli, & Euágeliſtæ, atque etiam ipſemet Saluator teſtimonia ex veteri teſtamēto acciſcūt, & duo teſtamenta mutuo ſe iuuant, vt nouum veteris authoritate corroboretur, & vetus noui illuſtratione pateſcat, vt eſt illud Matthæi, *Mat. 1.* Hoc autem totum factum eſt, vt adimpleretur quod dictū eſt à Domino per Prophetam dicētem, Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium. Et illud Ioannis, *Ioa. 19.* Facta ſunt hæc vt ſcriptura impleretur, Os non cōminuetis ex eo. & illud Saluatoris, Si crederetis Moſi, crederetis forſitā & mihi, de me enim ille ſcripſit. Et id genus quamplura.

48.

48. *Iuſtitia autem Dei per fidem Ieſu Chriſti.*) Iudæorum error fuit dicere, quòd per ſuæ legis operam, merebantur apud Deum iuſtitiæ præmia. Contra quos Paulus inquit, quòd nullus poteſt eſſe iuſtus apud Deum, niſi per fidem Chriſti. Benè quidem poteſt homo facere aliquid, quod ciuiliter, aut (quod aiunt) moraliter, ſit bonum, ob idq; reputari iuſtus ab hominibus, nō tamen à Deo, cui nihil in nobis gratū eſſe poteſt, niſi credamus in dilectum filium ſuum. Atque adeò inquit, (*iuſtitia autem Dei ſ. per fidē Ieſu Chriſti.*) ideſt, qua Chriſto creditur tanquam autori ſaluris noſtræ, qui dedit ſemetipſum pro nobis, & prætio ſui ſanguinis ſoluit noſtrum debitum, & meruit nobis gratiam reconciliationis cum patre ſuo & creatore noſtro, & remiſsionē omniū peccatorum, docuitq; finem noſtrum vltimatum, pro quo laborare debemus dum viuimus. Magiſter veritatis docuit, cui diſcipuli credere debemus, vt Chriſtianè viuere poſsimus. Nemo enim agir propter finem, niſi prius cognoſcat illum, finis autem hominis cum ſit ſupranaturalis, cognoſci non poteſt naturaliter abſque fide, quæ eſt lumen ſupranaturale: ergò vt cognoſcamus finē noſtrum vltimatum, neceſſe eſt credere Chriſto magiſtro noſtro. Nam iuxta Prophetam, niſi credideritis, non intelligetis. Et alium Prophetam, Iuſtus ex fide viuit, ideſt, operatur: quia per fidē viuit, ſperat, & amat. Ad hæc, prætium ſanguinis Chriſti, nobis non aplicabitur niſi crediderimus ipſum fuiſſe noſtrum liberatorem, eique viciſsim nos ipſos addicamus ſeruos, captiuantes per fidem noſtrum intellectum in obſequiū illi. Neceſſe eſt ergo fides Chriſti, vt iuſtus quis habeatur apud Deum.

Iſai. *Abac.*

Non autem dicit Paulus quòd per ſolam fidem iuſtificamur, vt peſsimi iſti hæretici Lutherani, inuita veritate vellēt. Iuſtificatur enim homo fide, ſpe, & charitare, atque pœnitētia, quæ eſt charitatis actus. Non ergo quia ſola, ſed quia prima eſt iuſtificationis cauſa, per fidem dicimur iuſtificari. & quemadmodum in radicibus cuiuſque arboris, virtute cōtinetur arbor, frondes, flores, & fructus, ita in fide omnes virtutes: eſt enim fides radix earum, cui niſi noſtra obſiſterer libertas, carnis illecebris compreſſa, fides ſuo ingenio ferax eſt omnium bonorum, genitrix quidē ſpei, ac charitatis parens. Reſpōdet enim fides cognitioni illi claræ & manifeſtæ, quæ in patria habetur de Deo, quē ibi fœlices animæ gaudentes vident ſicuti eſt: & cum ibi nullus ſit ſocordiæ locus, nullum cum carne luctamen, non poteſt talis conſpectus, illas protinùs in ardentiſsimū Dei amorem non rapere, perpetuoq; amoris nodo, cum ipſo habere coniunctas. At verò fides, quæ hic obſcura eſt cognitio, licet de ſe ſit ferax, & efficax, propter carnis tamen luctam impeditur, ne charitatem quam de ſe parturit, vbique pariat. Fides itaque non eſt iota machina, ſed pietatis exordium, & fundamentum Chriſtiani ædificij, vt ait Aug. ſpes autem eſt murus, & charitas eſt perfectionis vinculum, & ideò preparamentum proximum ad gratiam, veluti nexus quo cum Deo copulamur.

Aug. li. de præd. ſanct.

Duo autem ſignificat Fides. Significat primò veritatem & iuſtitiam quæ in affirmantibus ſeu pollicentibus aliquid ineſſe debet, quæ dicitur moralis virtus, de qua ſuprà facta fuit mentio, circa illud, Nunquid incredulitas eorum fidē Dei euacuauit? Deinde, ſignificat etiam fides, intellectualem virtutem, putà aſſenſum, quem denuntianti, promittentivè nobis aliquid, præbemus. Quo ſignificatu ſumitur in hoc loco. huiuſmodi enim aſſenſus, quē dictis Dei habemus, & quo potiſsimè in Chriſtum credimus, primum eſt noſtræ ſalutis initium ac fundamentum, ſine quo eſt impoſsibile placere Deo. atque adeò accedentem ad eū oportet credere quia eſt, & quòd remunerator eſt, & quòd per Chriſtum filium eius ſit autor ſalutis noſtræ, & gratiæ, & veritatis.

Heb. 11.

Ratio autem iuſtificationis, ſecundum patrum doctrinam, ſic ſe habet. In adul

tis

tis quidem habentibus iam vſum rationis (nam paruuli ſacramēto fidei ablati, iuſtitiam aſſequuntur) Deus ſola ei' clementia, nullis eorum præcedentibus meritis, pulſat fores pectoris eorum, irradiat cordi, ad ſe alliciēs vt eos trahat & conuertat: cui ſi aſſentiuntur vocanti ad conuerſionem, tunc illos Deus ad ſe pmouet motu primùm fidei, mox ſpei, tandem charitatis in deteſtationem peccatorum: inſtar illius, qui cum auerſum haberet vultum à Sole, in illum ſe conuerti permitteret, vt lumen reciperet. Illos verò præparatorios motus, qua parte gratiam iuſtificationis antecedũt, negamus meritorios eſſe gratiæ. ſed meritò vocentur diſpoſitiones, quibus nos ſpontaneos ad ſe Deus conuertit, vt eius ſuſcipiamus iuſtitiam. quatenus verò iam opera ſunt iuſtorum, à diuina gratia, infuſáq́ charitate profluentia, bene fateri poſſumus merita eſſe, tum gloriæ, tum augmenti gratiæ. Quemadmodũ enim lignum igne comburendum, diſponitur ab igne per calorem, exſiccando, & calefaciendo illud: & in illud iam ſatis diſpoſitum, introducitur forma ignis: qua ſi materia nõ deſit, poteſt augeri in infinitum, ſiue in immenſum. ita Deus noſter motu fidei, ſpei, & charitatis, diſponit animam ad gratiam ſuam, qua introducta, poteſt per illius vſum vehementer augeri. Et ſicut lignum diſpoſitum ad ignem, nondum eſt ignitum antequam habeat formā ignis, ac proinde non poteſt per ſe ardere, nec alium accendere ignē, ſi verò habeat formam, poteſt vtrũq;: ita homo ante gratiam iuſtificationis, quantumuis diſpoſitus, nondum eſt iuſtus, cum non habeat gratiam: nec poteſt illam mereri cum ſit prima, per quam omnia opera noſtra fiant merita: ac proinde illa introducta iam in anima, poſſumus & illius augmētũ, & gloriæ coronam, per illam mereri. Non iuſtificati ergo ex operibus, ſed per fidem, idem pollet, quod non viribus noſtris naturalibus, vt hæretici volebāt Pelagiani, & praui Iudæi, ſed gratis per auxilium Dei. quia non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis: nam omnis ſufficiētia noſtra, vt ait Paulus, ex Deo eſt. Ipſe enim facit adiuuando omnia opera noſtra, & eadem facimus cooperando, ſed ſi ille deſit à iuuando, nos ſimiliter deſiſtimus ab operando. Nam ſine illo nihil prorſus facere poſſumus, nec cogitare, nec optare, quod illi ſit gratum & acceptum. Hinc etiam ſumi poteſt, quòd non coactè, ſed liberè pro modo noſtro, facit Deus noſtram conuerſionem, nemi nem enim ſaluat inuitum. *Eſai.*

ET quanuis fides donum ſit Dei præuenientis, illuminantisq; ac præmouentis liberum noſtrum arbitrium, eſt etiam noſtra, qui liberè aſſentimur ipſius inſpirationi & motui. Deus præuenit nos auxilio ſuo, nos verò aſſentimur adiuuanti. contra Pelagium dicentem, Deus à nobis præueniri. Vnde Saluator inquit, Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum. & ſtatim ſubdit, Omnis qui audit à Patre, & didicit, venit ad me. vt conuerſio ſit opus trahētis Dei, & noſtrum liberè venientium. Sed quia præuenit, non ait, duxerit, ſed traxerit, vt ait Aug. qui & hoc addit, quòd nemo venit niſi velit. nam homines, fieri non poteſt, vt nolētes credant, ſed Deus, inquit, facit vt ex nolentibus ſint volentes, hoc eſt, liberè aſſentientes. Vnde eſt illa eiuſdem celebris ſentētia dicentis, qui creauit te ſine te, non iuſtificabit te ſine te. atque adeò illi ſoli debetur gratiarum actio, pro noſtra cõuerſione. Niſi enim præueniſſet nos ſua infinita miſericordia, nunquam ad eum conuerteremur. *Ioa. 6.* *Aug. cõtr. 2. epi. pe. lib. 1. c. 19.* *Aug. Pſ. 144.*

Propter quam arbitrij libertatem, inter creaturas ſolus Angelus & homo, ſunt diuinæ gratiæ, & gloriæ capaces. Vnde Hierony. Liberum, inquit, arbitrium dedit Deus homini, vt viueret vnuſquiſq; non ex imperio Dei, ſed obſequio ſuo, ideſt, non neceſsitate, ſed ex voluntate, vt virtus haberet locum, & à ceteris animalibus diſtaremus, dum ad exemplum Dei, permiſſum eſt nobis facere quod velimus. Et D. Bernardus, Tolle, inquit, liberum arbitrium, & non erit quod ſaluetur, tolle gratiam, & non erit vnde ſaluetur. *Hie. ad Damaſum.* *Ber. de li. arb.*

ſoluetur. & deinde, quod ergo à ſolo Deo, & ſoli datur libero arbitrio, tam abſque conſenſu eſſe non poteſt accipiẽtis, quàm abſque gratia dantis: & ita gratiæ operanti ſalutem, liberum arbitrium dicitur cooperari dum conſentit, hoc eſt, dum ſaluatur. Proinde irrationalis ſpiritus, ſalutem minimè capit, eoquòd illi, voluntarius conſenſus deſit, quo Deo ſaluanti, placidè obtemperet, ſiue iubenti acquieſcẽdo, ſiue pollicenti credendo, ſiue reddenti gratias agendo. Hæc Bernar.

49. *IN omnes & ſuper omnes.*) hoc eſt, Non tantũ Iudæis, hæc iuſtitia & ſalus Dei contingit, ſed omnibus & ſingulis credentibus in Chriſtum: quandoquidem non merito legis, ſed fidei beneficio exhibita eſt humano generi. Cum ergo inquit *in omnes*, amplitudinem fidei ſignificat. *Super omnes* verò, eminentiam: quia videlicet facultatem humanam, ac merita excedit.

50. *QVI credunt in eum.*) De fide viua ſiue formata intelligitur, perquam homo iuſtificatur: quæ quidem, non eſt intelectus ocioſus actus, ſed actuoſa illa fides & officioſa, quæ per charitatem operatur: iuxta illud, In Chriſto *Gal.5.* Ieſu nec circuncifio aliquid valet, nec præputium, ſed fides quæ per charitatem operatur. Per talem fidem habitat *Eph.* Chriſtus in cordibus noſtris, nam teſte *1 Ioa.4* Ioanne, Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.

51. *NON eſt diſtinctio. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei.*) Gloriã Dei, vocat iuſtificationem peccatoris. Quemadmodum enim ſanare infirmos, maximè ſi id fiat gratis pro virtute, cedit in gloriam medici: & omne opus virtutis, cedit in gloriam operantis: ita cedit in gloriam Dei, iuſtificatio peccatoris. Hæc enim eſt noſtra ſalus, quam ex charitate ſua nobis contulit Deus, per ſanguinem vnigeniti filij ſui. Hæc eſt illa magna Chriſti gloria, propter quam quotidie gratias agimus immiſſa, aſſiduéq; ei agere debemus, qui de tantis periculis, nos eruere dignatus eſt. Quid enim mihi prodeſſet natum eſſe, ſi reuatus, hoc eſt, Chriſtianus nõ eſſẽ? Melius profectò mihi tũc foret, natum nunquam fuiſſe, ſi filius perditionis, inferni, & mortis, ſeruus diaboli, inimicus Dei tantum eſſem. Cum igitur Apoſtolus dixiſſet, quod iuſtitia Dei. ſ. qua peccatores fiunt iuſti apud Deum, pertinet ad omnes in Chriſtum credentes, inquit modò, quòd quantum ad hoc, nulla eſt diſtinctio inter homines, ſiue Iudæi illi ſint, ſiue gentiles. Nam ſicut gentiles nullam ſibi poſſunt arrogare gloriam à ſua naturali lege, ita neque à ſua ſibi ſcripta Iudæi: quandoquidem vt vtraque ſuos docuit ſubditos, quid agere, quid vitare in moribus deberent: tamen neutra præſtitit auxilium, aut originalem maculam delendi, aut cauẽdi actualia: ob idque citra delectum (*omnes*,) & ſinguli (*egent gloria Dei*,) hoc eſt, ſalute & fauore Dei, quia (*omnes peccauerunt*,) atque adeò omnes infirmi & imbecilles, ſerui peccati, filij iræ & tenebrarum, miſeri & miſerabiles.

52. *Iuſtificati gratis, per gratiam ipſius, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu.*) Obſerua piè Lector, & attentè conſidera magnam gloriam Dei. Ille dedit nobis filium ſuum, vt emeret nobis rem, ſine qua proculdubio eramus perituri: emit quidem iuſtitiam Dei, ſeu iuſtificationem noſtram. Eramus enim iniuſti omnes, & filij iræ, & perditionis. emit autem eam non gratis, ſed magno pretio ſanguinis ſui, donauit vero non aliquo prætio, aut ceu debitam mercedẽ obſeruatæ legis Moſaicæ, ſiue etiam naturæ, ſed (*gratis, per gratiam ſuam*,) id eſt, per beneficẽtiam ſuam. Quid ergo, hoc opere diuinius & glorioſius in Deo? quid in nobis iocundius & charius eſſe poteſt? pro quo ſanè parum aut nihil eſſet vitã millies exponere. Porrò quid damnabilius illo, qui poſt tantum beneficium audet committere vel leue crimen.

53. *Per gratiam ipſius.*) Expoſitio eſt illius particulæ *gratis*. & relatiuum, *ipſius*, refert Chriſtum, per quem Deus ſua

ſua impleuit promiſſa mundo, qui fidẽ Deo præſtiterat. quibus etiam verbis omnium hominum deijcit arrogãtiam, maximè Iudæorum qui nullum propter legem habent priuilegium ad aſſequendam veram iuſtitiam, ſed tantum per gratiam Ieſu Chriſti.

54. *Per redemptionem qua eſt in Chriſto Ieſu.*) Mirabilis gratia, eſt noſtra iuſtitia. Nam ſi gratia, quomodo iuſtitia? ſi iuſtitia, quomodo gratia? iuſtitia enĩ ex debito, gratia verò gratis habetur. Vtrumq; tamen eſt, & gratia & iuſtitia: gratia quidem, quia gratis à Chriſto data. iuſtitia verò, quia per Chriſtum comparata. & noſtra eſt, quia per gratiam ipſius, eius effecti membra, omnia eius noſtra ſunt, nam factus eſt nobis iuſti-
1.Cor.1. tia, ſanctificatio, & redemptio.

55. *Per redemptionem.*) Non dicit per
Hier. emptionem, vt adnotauit Hierony. (ſui enim eramus prius per naturæ creationem) ſed per redemptionem, alludens
Iſai.52. ad illud Iſai. gratis venundati eſtis, & ſine argento redimemini. Nam peccatis nos gratis ipſi tradimus Sathanæ, nullum inde reportantes emolumentũ: ita ſine vllo noſtro prætio, prætioſiſſimo ſanguine illius qui nullum fecit peccatum, redempti ſumus à tyrannide diaboli: non quod diabolo Chriſtus perſoluerit, inſania enim eſſet hoc dicere, nam iniquo tyranno, quid homo debuiſſet? imò verò quid erat Deo, cum iniquiſſimo tyranno, rationem iuſtitiæ ponere? Sed ſatisfecit Patri, cuius eramus inimici, & ipſum nobis per mortẽ ſuam propitium fecit. Hoc enim ſonat
Orig. nomen redemptio, vt ait Orig. eſt enĩ prætium illud, quod hoſtibus ſolet, pro captiuorum liberatione, pendi. Soluit ergo Chriſtus pro nobis, non diabolo, ſed Deo, à quo delictis noſtris eramus alienati: & ſic Chriſti beneficio liberati ſumus à diabolo, & à peccato, quorum eramus ſerui. Nam, vt inquit Saluator,
Ioa.8 qui facit peccatum ſeruus eſt peccati.
2.P.2. & D.Petrus à quo quis ſuperatus eſt, huius & ſeruus eſt. nullum tamen exinde ius diabolus acquiſiuit in nos, quod illi eſſet reddendum, ſed exercebat tyrannidem.

56. *QVÆ eſt in Chriſto Ieſu*) Non in Angelo, aut in aliquo viro quantumuis ſancto, non in Deo tantùm, ſed in Chriſto Ieſu, homine ſimul & Deo: quia non eſt aliud nomen datum de cœlo,
in quo opporteat nos ſaluos fieri. Ipſe Act.
enim ſolus eſt noſter Ieſus, ideſt, verus Saluator mundi. Non poterat homo peccator placare Deum offenſum, factus eſt ipſe homo, cum eſſet Deus, qui non ſuis, ſed alienis peccatis mortuus, à noſtris nos proprijs erueret, atque adeò iuſtitia eius, noſtra efficeretur, iuxta
illud Pauli, Eum qui non nouerant pec- 2.Co.5.
catum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iuſtitia Dei in ipſo.
ET quanuis alijs modis, poſſet Deus Aug.
liberare genus humanum, vt ait Aug. 13.de.
nulla tamen eſſet perfecta redemptio, Tr.
& plena ſatisfactio, vt etiam ait S.Tho. niſi ea quæ à Chriſto facta eſt. Perfecta
enim ſatisfactio, eſt ſolutio debiti, quæ Th.3.q.
nulla ex parte à creditore, ſed tota à de- 41.
bitore proficiſcitur. Si enim ego à creditore meo, argentum dono ſuſciperẽ, quo, debitum illi perſoluerẽ, eſſet quidem ſatisfactio, ſed quæ ex dono eſſet parta creditoris: taliſq; eſſet quæcũq; alia ſatisfactio per creaturam aliam facta, quantumuis ſancta & Dei amica eſſet. Chriſtus verò Dominus, licet ſua miſericordia factus eſt homo, tamen quia ſuppoſitum eius erat diuinum, æquale Patri ſuo, quanuis nulla alia eſſet donatus creata gratia, opera ipſius (nã opera, non naturæ ſunt, ſed ſuppoſitorum) infiniti eſſent valoris & prætij: atque adeò de ſe adiuſtum, & ex æquo ſatisfecit. Pro quo quidem munere, ſũmas illi gratias agere debemus. Hoc igitur nos docet Paulus, dicendo (*in Chriſto Ieſu.*) ideſt, non in alio eſſe poterat redemptio .ſ. perfecta & conſummata. Non quidem in Angelo, quia tunc non eſſet hominis ſatisfactio. Nec in ſolo Deo, cum ipſe ſit creditor noſter, & nos illius debitores. Non in homine puro, qui non poterat infinitum debitũ ſoluere, cum eſſet ipſe finitus. Ergo neceſ-
ſarium

ſarium fuit quod Deus fieret homo, vt ratione perſonæ ſuæ infinitæ, poſſet homo ex æquo, ſoluere Deo omne debitum.

57. *QVÆ eſt in Chriſto Ieſu.*) Æternam redemptionem ſignificat, cum redemptor ſit æternus. Nam Chriſtus Ieſus, Rex immortalis eſt, qui licet ſemel mortuus fuerit, iam verò non moritur, mors illi vltrà non dominabitur. Chrũs *Heb.* enim Ieſus, heri & hodie, ipſe & in ſecula. Eterna autem redemptio, de æternis eſt: nimirum de æternis præmijs, de æterna ſalute & vita, id quod nomẽ redemptoris ſignificat, Ieſus enim à ſalute & vita dicitur. Vocabis, inquit Angelus ad matrẽ, nomen eius Ieſum, ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Felix ergo culpa, vt ait *Greg.* Grego. quæ tantum ac talẽ meruit habere redemptorem.

58. *QVÆ eſt in Chriſto Ieſu.*) Non ſolùm pro præteritis, ſed etiam præſentibus, & futuris delictis: non ſolùm ſepties, ſed & ſeptuagies ſepties cõmiſsis, adhuc eſt, non deſijt eſſe .ſ. redemptio, ſed adhuc eſt, nec extra ſeipſum, ſed in ipſo eſt: quia non per aliud prætium externum, ſed per mortem nos redemit quam pertulit in ſeipſo: prout quinque vulnera hodie teſtantur, quæ in corpore eius ſacro & glorioſo, mirabili fulgẽt claritate. Quotidie cadimus, & quotidie ſoluimus hoc benedictum pretium in ſacramentis. Sed tunc ſanè, vt ait Hierony. Fructuoſa erit redemptio, ſi pec- *Hier.* care ceſſemus.

59. *QVEM propoſuit propitiatorem, per fidem in ſanguine ipſius.*) Triplex eſt cauſa ſalutis noſtræ: prima, eſt gratuita Dei voluntas, quæ ſignificatur in eo quod dicit (*quem propoſuit:*) ſecunda eſt æquiſsima Chriſti iuſtitia, quæ deſignatur in eo quod dixit (*per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu.*) Tertia eſt vtriuſq; ad nos aplicatio, quæ ſignificatur in hoc quod ait, (*per fidem.*) Nam per fidem efficimur participes gratiæ Dei, & iuſtitiæ Chriſti.

60. *QVEM propoſuit Deus.*) Excludit opera & merita noſtra. Nã hæc fuit gratia Dei, & voluntas eius beneplacẽs, neceſſaria prorſus ad mundi remediũ, vt redemptorem nobis daret, qui pro omnibus ſolueret Deo, & ſatisfaceret iuſtitiæ eius, & placaret eum nobis, valde & meritiſsimò iratum. (*propoſuit*) inquit, ideſt, ab æterno diſpoſuit, ſecundum Chryſoſt. & Ambro. vel ſecundum *Chry. Amb.* Hiero. in promptu ante oculos omniũ *Hie.* poſuit, vel in palàm dedit, & in commune propoſuit omnibus filium ſuum propitiatorem, vt quicunq; per ſaluificam fidem eum ſuſciperent, eius ſanguine redempti, Deum haberent propitium.

61. *Propitiatorem.*) Alludit ad propitiatorium veteris teſtamenti, quod erat quædam tabula ex auro mundiſsimo. hæc erat impoſita arcæ teſtamẽti, vnde *Exo. 25.* reſponſa dabat Deus per Angelos ſuos. Fuit hoc Chriſti figura, qui corpus ex mundiſsima, ac puriſsima carne, munere Spiritus ſancti indutus, eccleſiæ ſuæ erat præficiendus, & non vt olim per Angelos, aut Prophetas, ſed os ad os nobiſcum locuturus: quod fuit magnũ & mirabile beneficium.

62. *PER fidem in ſanguine ipſius.*) ideſt, de morte Chriſti. Neceſſaria eſt fides ad placandum Deum: nam incredulis ſemper eſt iratus, cum ſint inimici eius manifeſti, iam iudicio Dei igni inferni deputati. Nam qui non credit, iam iudicatus eſt, ideoq; non reſurgunt im- *Pſ. 1.* pij in iudicio, ſcil. diſcuſsionis. Quemadmodum ergo inter homines, ſatisfactio vnius, alteri non valeret, niſi eam ratam haberet, ſatisfactoriq; acceptum ferret, ipſiq; ſe debitorem agnoſceret: ſic etiam cum Chriſtus, ſuo nos beneficio liberauerit, non antè, ſuũ ſanguinis prætium nobis imputabitur, quàm per fidem tanti myſterij, eum credamus liberatorem fuiſſe noſtrum, cui viciſsim nos ipſos gratias agẽtes addicamus ſeruos.

63. *In ſanguine ipſius.*) Sanguinis effuſione deſignauit mortem Chriſti, vt alluderet ad ſanguinem agni, quo deliniti

ſunt

ſunt Iudæorum poſtes, in exitu de Ægypto. Vel ad ſanguinem hoſtiarum, quem pro peccatis olim aſpergebat Pótifex contra propitiatorium, quod, vt dictum eſt, fuit vmbra & typus Chriſti. Nam ſola tunc fide huius effundendi in cruce cruoris, propitiabatur Deus: ſicut & nunc iam effuſi, propitiatur nobis. *Leu. 16.*

64. *Ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ.*) Horrendum eſt incidere in manus Dei viuétis. Ad oſtendendam ſeueritatem iuſtitiæ ſuæ, Pater tradidit filium ſuum in mortem, pro peccatis omnium populorum. Caueat ergo à peccatis miſerabilis homo. Si enim proprio filio non pepercit Deus pro peccatis alienis, quomodo parcet tibi pro tuis, ſi poſt tantú beneficium peccare non ceſſas? & ſi innocens talia paſſus eſt pro peccatore tormenta, quid accipiet ipſe peccator pro ſuis flagitijs? Væ ingratis ab ira Dei. Magnus iræ theſaurus repoſitus eſt illis, quem reddet illis in illo die iuſtus iudex Chriſtus.

65. *Propter remiſſionem præcedentium delictorum.*) In myſterio mortis Chriſti, non ſolùm eſt conſiderare tremendum iudicium Dei contra peccatum, verumetiam ineſtimabilem eius miſericordiá erga peccatorem: vt ſi timeas eum iuſtum, ames etiam eum tanquam pium, & beneuolum, & amicum tuum. Sic ení te dilexit, vt filium ſuum vnigenitum tibi daret propitiatorem, quo prius tuis cómiſsis inuiſus, nunc recócilieris Deo, non quidem per ſanguinem pecudum velut apud Iudæos, ſed per ipſius Chriſti ſacroſanctú ſanguinem, omnia omnium crimina diluentem, hoc pacto declarans hominibus ſuam iuſtitiam & miſericordiam, dum contra peccatú, & pro peccatore, cruci affigi voluit filium ſuú. Non enim alio modo conuenientiori, integra eius iuſtitia & miſericordia ſeruari poterat, quàm in morte filij eius pro nobis crucifixi. Non ergo ſolum vt appareat iuſtus, ſed etiá vt appareat miſericors, pater tradidit filiú ſuum in mortem.

66. *Præcedentium delictorum.*) Præcedentia delicta vocat, errata prioris vitæ, quæ omnia condonantur per mortem Chriſti, dum in ſacro baptiſmo induimus illum, & commorimur cum illo, & in nouitate vitæ ita reſurgimus cum illo, vt nolit nos poſthàc in vitia recidere. Aut (*præcedentium delictorum*) ideſt, eorum qui præceſſerunt Chriſti paſsioné, quæ licet per Chriſti venturi fidem iam eſſent dimiſſa, quantum ad culpam, nó tamen quantum ad omnem pœnam. Detinebantur enim in limbo, non quidem patientes pœnam ſenſibilem, ſed expectantes introire in gloriam, per Chriſti paſsionem. Vnde dicit.

67. *IN ſuſtentatione Dei.*) hoc eſt, in patientia Patrum qua Deum per tot ſecula ſuſtinuerunt, expectantes ſuam redemptionem: iuxta illud, Expecta Dominum viriliter age, confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum. Quare auté Deus per tot temporum curricula, voluerit ianuam regni cœlorum omnibus eſſe clauſam, patreſq; in limbo tandiù detineri, fuit, vt hoc præfinito tempore, palàm faceret iuſtitiam ſuam. & ideò dicit. *Pſal.*

68. *AD oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ, in hoc tempore.*) Percontari quis poteſt in hoc loco, qua de cauſa, cum Deus ſit diues in miſericordia, non citius, ac breuius operatus eſt mundi redemptionem, quò mundus à tantis periculis, & malis eriperetur? hoc ſanè fuit, tum, propter ſuperbiam hominum prius edomandam. Tum etiam, propter dignitatem Chriſti venturi. Vt ſuperbus auté edomaretur, opus erat vt per duas leges tranſiret, naturalem .ſ. & ſcriptam, quibus cóuinceretur de ignorantia & imbecillitate. De ignorantia quidem, per legem naturæ, dum per id temporis in errores, & turpia peccata incidit. De imbecillitate verò, per legem ſcriptam, qua ſub ampliori luce conſtituto, cognitionem quidé peccati ipſa faciebat, auxiliú verò nó ferebat, cum peccatum cognitum, per legem vitare non poterat: atque adeò tam legi, quàm naturæ diffiſus, ad Deú

verum confugeret, qui eum opitularetur, cuius diù expectatum auxilium, pluris idcirco æſtimaret. Dignitas verò venturi adeò eſt magna, vt mundus tunc infantior ac rudior eſſet, quàm qui poſſet tantum beneficium agnoſcere, quoadusq; venit plenitudo temporis. Denique voluntas Dei fuit, vt in illo & nō
Pſal. alio tempore, ſalutem noſtram operare-
Aug. in tur in medio terræ. Nam vt ſcriptū eſt,
lib. de & tradit Auguſt. non eſt volentis, neq;
perſe. currentis, ſed miſerentis eſt Dei.

69. *VT ſit ipſe iuſtus, & iuſtificans eū qui ex fide eſt Ieſu Chriſti)* Hoc quidem colligit Paulus, ex his quæ dicta ſunt, nempè, Deum propoſuiſſe propitiatorem filium ſuum, ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ. & hoc fecit Deus (*vt ſit,*) ideſt, vt appareat (*ipſe iuſtus*) non iuſtificatus, vt nos per ſuſceptam iuſtitiam, ſed ex ſeſe ſua natura verè iuſtus appareat, dum vindictam ſumens de peccato, integram ſeruauit iuſtitiam, accipiēs à filio integram pro nobis ſatisfactionē.

70. *ET iuſtificans eum qui ex fide eſt Ieſu Chriſti.)* Vnicus iuſtitiæ noſtræ author, eſt Deus noſter omnipotens: & hoc quidem deſignat beatus Apoſtolus cum ait, (*Et iuſtificans eum qui ex fide eſt Ieſu Chriſti,*) in quo etiam apparet ipſe iuſtus, dum ſeruauit promiſſam fidem iuſtificandi, non quidem promiſcuè, ac temerè vniuerſos, ſed eos prorſus qui ſunt (*ex fide Ieſu Chriſti,*) ideſt, qui fidem habuerint Euangelio Ieſu Chriſti. Apparet etiam in hoc ardentiſſima omnipotentis Dei erga homines charitas, qui ſola ſua bonitate, voluit eos participes fieri iuſtitiæ filij ſui, ad promerendam immarceſcibilem gloriæ coronam, quam in illo die ex condigno, reddet illis Dominus iuſtus iudex.

71. *Vbi eſt ergo gloriatio tua?)* Ad Iudæum loquitur qui contra gentiles ſe nimiū iactabat, eò quod ſub Moyſi lege viueret, quaſi per eam, & non aliter vera poſſet haberi iuſtitia. Sed Apoſtolus ex his quæ ſupradicta ſunt, concludit hanc eius gloriationem inanem eſſe: quoniam non ex lege, ſed ex fide Ieſu Chriſti habetur iuſtitia vera. Dicit ergo (*vbi eſt gloriatio tua*) ô Iudæe, qua ſcil. in lege gloriaris, & per hoc vis te gentibus præferre? Reſpondet.

72. *Excluſa eſt,)* ideſt, adempta tibi eſt, poſteaquàm diuina volūtas omnes orbis nationes æquat in negotio euangelij. Deffertur & Gentibus ſalus ac iu-
ſtitia. Neq; verò dixit, vt notauit Chri- *Chry.*
ſoſt. Perijt gloriatio tua, quam ſcil. à lege aucuparis: aut ceſſauit, aut quid ſimile. ſed ſignificantiſsimè, excluſa eſt, ideſt, adempta, vel repulſa per oſtenſionem iuſtitiæ fidei: vt videatur alludere ad eiectionem Agar ancillæ Abrahæ. Huc quoque ſpectat, quod ait Ioan. Lex per Moyſem data eſt, gratia & ve-
ritas per Ieſum Chriſtum facta eſt: *Ioa. 1.*
nempe gratia iuſtificationis, & figurarū veritas, vel gratia & iuſtitia. Deus enim per Moyſen legem dumtaxat dedit qua doceret populum: at quidquid gratiæ ac iuſtitiæ ab orbe condito largitus eſt poſt peccatum, id per Chriſtum factū eſt.

73. *Per quam legem? factorum?)* In perſona Iudæorum hæc duplex interrogatio facta eſt. Vocat autem legem factorum, legem Moſaicam, quia multa iubebat facere, & non præſtabat auxilium ad faciendum, atque adeò iugum duriſſimum, atque ad portandum grauiſsimum fuit, prout D. Petrus in perſona Iudæorum fideliū teſtatur dicens, quod neque nos, neque patres noſtri portare potuimus. Primam interrogationem ponit, quoniam, vt dictum eſt, Iudæorum gloriatio erat in lege, ideò oportere videbatur, quòd per aliquid eiuſdem generis, eorum gloriatio excluderetur, ideſt, per legem, ideò dicit, (*per quam legem,*) ſcil. eſt noſtra gloriatio excluſa? Secūdam verò interrogationem ponit, quoniam poſſet aliquis credere, quòd eorum gloriationem excluſam Apoſtolus diceret, per aliqua præcepta legalia, quibus quædam maiora opera mandarentur: ideò interrogando dicit, (*factorum?*) quaſi dicat, nūquid per aliquā legem

legem factorum, gloria noſtra excluſa eſt? Reſpondet.

74. *NON, ſed per legem fidei.)* Fides vocatur lex propter vim quam habet directiuā. Eſt enim lex, norma, & vis operum, & quidquid talem vim habet, poteſt per metaph. dici lex. Et ſic lex mentis, dicitur vis mentis ad optima tendens. Lex membrorum, eſt carnis illecebra & cupido. Fides ergo nos, noſtraq; officia rectificans, lex probè nuncupatur. lex fidei viuæ, eſt omnis lex quæ habet charitatem. Hæc autem eſt magiſtra timoris Domini, ſapientiæ, & humilitatis. Omnem fiduciam ſuam collocat in Domino, propter quem, mūdum & gloriam eius contemnit. Non quærit quæ ſua ſunt, ſed quæ IESV Chriſti, & tandē omnia in gloriam Dei facit. Eſt radix bonorum omnium, cauſa iuſtitiæ, nec tamen eſt ſine factis, non quidem præcedentibus diuinum ſubſidium, cum hoc ſemper præcedat illa, ſed concomitantibus illud, vt patet in conuerſione Latronis, & Magdalenæ, quos de improuiſo ſua fides ſaluos, id eſt, iuſtos fecit: non quidem fide ſola, vt volunt Lutherani: nam verba Latronis, Memento mei, ſpem, ac pœnitentiam & charitatem præſeferunt, quibus fuit vnà cum motu fidei à Deo tractus. Et in Magdalena appertius id indicauit, tum fletus, tùm & Chriſti teſtimonium, dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Habet præterea fides alia opera, primam iuſtitiā conſequentia, quæ ad cultum, incremētumque illius, ſunt neceſſaria.

75. *Arbitramur enim iuſtificari hominem per fidem ſine operibus legis.)* Nos Apoſtoli à Spiritu ſancto inſtructi, *(arbitramur,)* id eſt, exiſtimamus id quod res eſt, poſthàc *(hominem,)* ſcil. quemcunque ſiue Iudæum, ſiue Gentilem, *(iuſtificari,)* id eſt, iuſtitiam conſequi poſſe, *(per fidem)* ſcil. viuam, *(ſine operibus legis)* ſiuè naturalis, ſiuè ſcriptæ, ſiuè moralibus, ſiuè ceremonialibus: ſine operibus inquam, merētibus iuſtitiam.

76. *AN Iudæorum Deus tantum? nonne & Gentium?)* Dixerat ſuperiùs, quod iuſtitia fidei, generaliter ſe haberet ad omnes mundi nationes, & ſingulos homines, & ad hoc manifeſtandum, ſumpſerat, argumentum à cauſa materiali, ex eo, ſcil. quod omnes peccauerunt, & egebant gloria Dei, id eſt, iuſtificatione Chriſti. At verò, probatio quæ ſolùm eſt ex cauſa materiali, non ſufficit, quia materia non mouetur per ſe ad formam ſine cauſa à gente, & ideò ex illa peccatorum indigentia, non tam extruitur argumentum quòd eſſent ſeruandi, quàm ex benignitate cauſæ agentis, ad quam pertinebat reducere ad viam ſalutis quos condiderat. Argumētum itaque Apoſtoli, ſic ſe habet. Deo proprium eſt eos iuſtificare, quorum eſt Deus, non tantùm eſt Deus Iudæorum, ſed etiam Gentium: iuſtificat ergo cum Iudæis pariter & Gentes. Nam ſecundum hæc Apoſtoli verba, videtur quòd Iudæi vellent, propter ſuſceptam
legem, Deus verus, Deus Hebræorum *Exo. 3.*
propriè diceretur, & Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob: & quòd propter eos tantùm adueniſſet Chrūs. Sed de hoc errore illos deijcit hac ſciſcitatione. Nam & ſi ob peculiarem cultum Deo exhibitum, eſſet tantùm Iudæorum Deus, & inter cæteras nationes notus in Iudæa Deus diceretur, erat tamen Deus omnium per creationem, & commune regimen vniuerſorū,
iuxta illud Pſal. Rex omnis terræ Deus. *Pſal.*
Ait igitur nunc diuinus Apoſtolus: *(An Iudæorum Deus tantum?)* quaſi dicat, lex illa Moſaica, peculiaris erat genti Iudææ, verùm hoc beneficium iuſtificationis, ab ipſo Deo proficiſcitur. An verò Deus, Iudæorum tantùm eſt Deus? Nonne idem æquè & Gentium Deus eſt? nunquid Iudæos ſolos Deus creauit? aut de illis ſolis curam gerit? Nam
& gentes peccauerunt, & vos: & ſi vos *Hier.*
cōuertimini, & illi: ſi vobis venit Chrūs ex lege promiſſus, & illis. Nam & frequenter Prophetæ, de gentium vocatione dixerūt. Reſpondet quæſtioni dicēs.

77. *Imò & Gentiū.)* Pulchrè, ait Hiero. *Hie.*

modum ſeruauit in verbis : (*imò*) dixit, vt oſtenderet magis gentes, quâuis non erant circuncisi, & Abraham ante circuncisionem iuſtus. Eſt itaque gentium Deus, quas gubernat & regit, ſecũdum Hierem. Quis nó timebit te ô rex gentium ?

Hier. 10.

78. *Quoniam quidem vnus eſt Deus, qui iuſtificat circuncisionem ex fide, & præputium per fidem.*) Reddit rationem quare Iudæorum Deus, ſit etiam Gentium, dicens, (*Quoniam quidem vnus eſt Deus:*) Ac ſi diceret, non eſt, nec eſſe poteſt, niſi vnus Deus, (in quo etiam tãgit gentium errorem, circa multiplicationem deorum) ergo idem omniũ eſt Deus, & donum illius, par eſt omniũ eſſe cómune. Poſt hæc ergo Iudæe, ne, vento ſuperbiæ tumidus, creatoré omnium, Deum tuum peculiarem facias, aut propter te ſolum aduenisſe filium eius dicas, iuſtitiaq; illius ad te ſolum, propter tuæ legis obſeruationem pertinere. Non enim ita eſt, vt cogitaſti. Audi quid dicat magiſter gentium: (*Qui* ſcil. Deus (*iuſtificat.*) quosnã ? Iudæos tantùm ? Gentes tantùm ? omnes vtiq; quantum ad ſufficientiam, licet non quantum ad efficatiam. Sed quonammodo contingit hæc iuſtificatio ? num merito legis obſeruatæ ? Abſit, ſed per fidem Ieſu Chriſti, pro mundi redemptione in mortem traditi. Vnde dicit.

79. *Circuncisionem ex fide, et præputium per fidem.*) D. Hiero. inquit, idem eſſe, ex fide, & per fidem. Et quòd vſus ſcripturarum eſt, vt ijſdem de cauſis, malent mutare, quàm repetere ſermonẽ. Sicut in Daniele ſcriptum eſt, Propter Abraham ſeruum tuum, & Iſaac dilectum tuum, & Iſrael ſanctum tuum.

Hier.

Dan.

Th. Poteſt tamen ſecundum D. Tho. aliqua differentia dari. Nam hæc præpoſitio ex, deſignat aliquando aliquam cauſam remotam. Hæc verò præpoſitio, per, propinquam : Iudæi ergo iuſtificari dicuntur ex fide, quia fides fuit prima cauſa ex qua proceſsit circũciſio, & cætera legalia ſacramenta, & ita fides iuſtificat Iudæos ſicut quædam cauſa primaria, per quaſdam medias cauſas. Sed Gentiles per ipſam fidem immediatè iuſtificantur. Et ſicut à fide legis, ad fidem euangelij traduxit Deus Iudæos, ita à cultu ſimulachrorum, ad eandem communem fidem vocauit incircunciſos.

80 *Legem ergo deſtruimus per fidem?*) Qui non eſſent bene affecti erga Paulum, nec multum intelligentes, poterant grauiter perturbari, animiq; conſternari, eoquòd adeò fidem videretur attollere, legemq; adeò ſuppeditare, ac ſi fides contraria eſſet legi, eamq; prorſus ocioſam, & innutilé faceret Iudæis, Apoſtolus autem lenit, ſedatq; eorum animos, petens ab illis primò quod poterat eos grauiter moleſtare, dicens, *Legem ergo deſtruimus per fidem?*) Vobis dico qui grauiter fertis, propterea quod aſſeram, omnia nunc per fidem Chriſti præſtari. An creditis quòd per hoc legem deſtruimus, hoc eſt, abrogamus, euacuamus, & proijcimus ? reſpõdet.

81. *Abſit.*) Negantis & abhorrentis eſt vox : quaſi dicat, bona verba quæſo.

82. *Sed legem ſtatuimus.*) quaſi dicat, imò adeò non abolemus legem, aut labefactamus, aut reprobamus, vt eam etiam confirmemus, ſtabiliamusq;, & honoremus: id prædicantes factũ, quod lex futurum promiſerat : eumq; nuntiãtes, in quem ceu ſcopum ſumma legis ſpectabat. Neq; enim id aboletur, quod in meliorem reparatur ſtatum, non magis quàm ſi defluentibus arborum floribus, ſuccedat fructus, aut vmbræ ſuccedat corpus. Non ergo deſtruitur lex per fidem, ſed potiùs, vt dictum eſt, cõfortatur, roboratur, & honoratur. Quid enim vnquam potuit, aut valuit lex ſine fide ? Lex grata eſſe Deo non potuit abſque fide. Lex oſtendebat peccatum, ſed auxilium non præſtabat ad virtutem ſine fide. Lex, manuducebat ad Chrũm tanquam pedagogus, non quidem per ſe, ſed per fidem. Veritas legis in ſuis vaticinijs, & oraculis, & figuris, nunc per fidem cognoſcitur. Multum quidem valuit lex, ſed per fidem. Iam amplius

plius non eſt neceſſaria, venit finis eius, ideſt, Chriſtus, per quem ceſſauit, ſicut ipſe teſtatur dicens, Non veni ſoluere legem, ſed adimplere. Illa enim non fuit edita, niſi vſque ad Chriſtum, per quem iam impletum eſt tempus illius, ergo non eſt amplius neceſſaria.

Conuenit itaque inter vetus & nouum teſtamentum, quòd vtrique fides eſt neceſſaria, ſine qua impoſsibile eſt placere Deo. Nulla eſt gratia, nec iuſtitia vera, ſine fide.

Differunt verò penes hoc, quòd fides in nouo, explicatior eſt, quàm in veteri teſtamento. Quē enim olim credebant venturum, veniſſe iam, nunc credimus. Ad hæc, lex vetus non fuit adeò vniuerſalis, ſicut eſt lex noua, illa enim ad ſolos pertinebat Iudæos, & poterant gentes extra illam ſaluari, hæc verò ad omnes in vniuerſum pertinet, ſine cuius profeſsione nemo ſaluabitur. Denique myſterium ſalutis quod in veteri ſperabatur, in noua lege eſt iam exhibitum, quæ proinde lex dicitur gratiæ, cum ſalus & redemptio mundi iam ſit facta, & ianua regni cœlorũ aperta per Chriſtum, cuius ſeptem ſacramenta, veluti inſtrumenta paſsionis eius, gratiam cōferunt, quod vtique Paulus antiquis denegat, tanquam infirmis, & egenis elementis, hac facultate iuſtificandi carentibus. Tametſi in circuncisione, tanquam ſub ſigno profeſſæ fidei Chriſti, gratia præſtabatur, iuxta omnium ſententiam, ad diluendam culpam originalem, copioſior tamen & abūdantior datur per noſtrum baptiſma.

¶ *ARGVMENTVM. 4. CAPITIS.*

GLORIAtionē Iudæorum de Abrahamo, & circūciſione tollit, quādo eū oſtendit, non ex legis obſeruatione iuſtificatum, ſed fide. Nam ante circunciſionem acceptam, & iuſtificatum fuiſſe conſtat, & promiſſionem accepiſſe. Et huius exemplo docet omnes per Chriſti fidem iuſtificari, & filios eſſe Abrahæ ſecundum ſpiritū.

☞ *CAPVT. IIII.*

QVID ergo dicemus inueniſſe Abraham Patrem noſtrum, ſecundū carnem? Si enim Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum. Quid enim dicit ſcriptura? Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam.

¶ *EXPLANATIO.*

1. *QVID ergo dicemus inueniſſe Abraham Patrem noſtrum ſecundum carnem.)* Reſumit quæſtionem ſuprà poſitam .ſ. quæ vtilitas circunciſionis? Et quia Abraham princeps fuit circunciſionis, (nam de ea primus accepit mandatum à Domino) *Gen. 17.* quo ſtirpis authore, *Ioa. 8.* præcipuè gloriatur, & iactat ſeſe gens vniuerſa Iudæorum, ideò proponit illis, non quemuis Iudæum, ſed ipſum Abraham, dicens, ſi ita eſt quòd Deus iuſtificat Gentes & Iudæos, & quòd ad hoc nihil confert legis obſeruatio, nec ipſa circunciſio, (*Quid ergo dicemus inueniſſe* (vtilitatis) *Abraham patrem noſtrum, ſecundum carnem.*) ideſt, ſecundum circunciſionem carnalem, & alias obſeruantias carnales? videtur eſſe inconueniens ſi dicatur quòd nihil vtilitatis inuenerit, cum dicat Dominus per Prophetam, *Iſai. 48.* Ego Dominus docens te vtilia. Quæ quidem verba ad omnes homines maximè ad iuſtos pertinere videntur. Sed ad hanc quæſtionem non ſtatim re-

reſpondet Apoſtolus, quò prius oſtendat Abraham, nec ex circuncifione, nec ex legis operibus iuſtificatum eſſe.

2. *SI Abraham ex operibus legis iuſtificatus eſt, habet gloriã, ſed non apud Deũ.)* Gen. Manifeſtum eſt ex diuinis literis, quod iuſtitiæ laus, patri noſtro contigit Abrahæ: diſpiciendum eſt vnde illi contigit, nam (*ſi ex operibus legis,*) ideſt, ex circuncifione, cæterisq́; huiuſmodi, quæ poſtea Moyſi lex, præſcripſit obſeruanda, (*habet quidem gloriam, ſed non apud DEVM.*) ideſt, habet quod glorietur, verùm apud homines, non item apud DEVM. Quare apud homines? Nimirùm quòd ex rebus corporeis, de quibus homines iudicant: & quos inueniunt ſtudioſos, honore afficiunt, humanis legibus decreto. Quare non apud Deum? quia non excommendatione fidei, quæ nos Dei commendat oculis. Nam per opera ſine fide, non remittitur peccatum, nec fit reconciliatio cum Deo: atque adeò nec re, nec nomine ſunt abſolutæ virtutes, ſunt tamen ſuo modo virtutes, hoc eſt, ciuiles, & morales, & honore dignæ apud homines, qualia fuerunt opera multorum philoſophorum gentilium.

3. *Habet gloriam, ſed non apud Deum.)* Si dicatis ô Iudæi, quòd Abraham pater noſter, per opera legis tantùm, conſecutus eſt iuſtitiam, ille non eſt verè beatus, nam iuſtitia quæ non proficiſcitur à fide, non eſt veræ beatitudinis cauſa: vera fœlicitas eſt in Deo, non in hominibus, hanc parit nobis iuſtitia fidei. Fœlicitas autem quæ tantùm eſt apud homines, innanis eſt prorſus, & falſa, qualis eſt fœlicitas magnorum Philoſophorum, & Regum infidelium, qui cũ laudentur in terris ab hominibus, eorũ animæ ctemantur in infernis à diabolo. Quis audeat dicere quòd Abraham fuerit ſicut vnus ex iſtis, & quòd non fuerit verè ſanctus & iuſtus & amicus Dei, & quod nunc non fruatur Deo, tanquã verè beatus in patria? At verò, certiſſimè tenendum eſt, quòd iuſtitiæ laudẽ apud Deum eſt conſecutus, non ergo ex obſeruatione præſcriptorũ legis cõſecutus eſt, ſed ex eadem fide, perquam omnibus Iudæis ſimul & Gentibus, eſt laus eadem ambienda, videlicet, verè filijs Abrahæ. (Nam & ſi quoad carnalem attinet cognationem, Iudæorum Pater eſt,) non minùs tamen pater eſt omnium quicunque illum fidei ſimilitudine, hoc eſt, animi imagine referunt, non corporis. Nam circunciſio quæ primùm in Abraham prodita eſt, totius Moſaicæ legis pignus eſt, ac ſignaculũ, & vt ita dicam, peculiare ſymbolum, quo Iudæi, Iudæi ſunt.

4. *QVID enim dicit ſcriptura?)* Teſtimonio ſcripturæ probat, quod non explicitè dixerat, videlicet, quòd Abraham habet gloriam apud Deum, & id quidem, non per opera, ſed per fidem.

5. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam.)* Ex libro Geneſeos, Gen. 15. deſumpta eſt hæc authoritas, vbi de ſeminis multiplicatione Abrahæ, & benedictione gentium agitur. Promiſerat Deus benedictionem gentium in ſemine eius, poſteritatemq́;, ſtellarũ numero, parem, ei, cui & vxor eſſet ſterilis, & nullus adhuc hæres extitiſſet. Sed Abraham nihil cunctatus, fidem habuit pollicenti, non cõſiderans, quale eſſet quod promittebatur, ſed quis eſſet promiſsi autor, ideóq; hoc ipſum credere, (*reputatum illi,*) ſcil. à Deo (*ad iuſtitiam,*) ideſt, probatum à Deo eſt, veluti officium iuſtitiæ: non quidem ex circunciſione, quam nondum acceperat, ſed ex fide: & ſic patet quòd non apud homines ſolùm, ſed apud Deum, (quo vno teſte, hoc negotij tunc agebatur, & à quo illi imputatum eſt ad iuſtitiã quod credidit) gloriam habet, cum legis Moſaicæ iuſtitias non præſtitiſſet. Ante legem enim, ſicut & ante circunciſionem, Abraham per iuſtitiæ virtutem conſecutus eſt gloriam apud Deum.

6. *Credidit Abraham DEO.)* Iuſtitia, inquit D. Th. quam Deus reputat, ſcri- Tho. ptam expreſsit, non in aliquo exteriori opere,

opere, ſed in interiori fide cordis, quam ſolus Deus intuetur. & ideò poſuit proprium actum fidei, eius ſpeciem demõſtrantem, qui eſt, credere DEO. Nam credere in Deum, demonſtrat ordinem fidei ad finem. qui eſt per charitatem credendo in Deum ire, quod charitas facit: & ſic ſequitur ſpeciem fidei. Credere autem Deum, demõſtrat fidei materiam, ſecundum quod eſt virtus theologica, habens Deum pro obiecto: & ideò hic actus, nondum attingit ad ſpeciem fidei, quia ſi quis credat Deum eſſe, per aliquas humanas rationes, & naturalia ſigna, nondum dicitur habere fidem, de qua loquimur, ſed ſolùm quando ex hac ratione credit, quod eſt dictũ à Deo, quod deſignatur per hoc quod dicitur, credere Deo: & ex hoc fides ſpecificatur, ſicut & quilibet habitus cognoſcitiuus ſpeciem habet ex ratione per quam aſſentit in aliquid. Alia enim ratione inclinatur ad aſſentiendum habẽs habitũ ſcientiæ, ſcil. per demonſtrationem. Et alia ratione habens habitum opinionis, ſcil. per ſyllogiſmum dialecticum. Hæc D. Tho.

7. *ET reputatum eſt illi ad iuſtitiam.)* Non fuit per hunc fidei actũ, Abrahã tunc primò iuſtificatus, ideſt, ex iniuſto iuſtus conſtitutus. à prima enim ætate, iam iuſtus erat apud Deũ, & iam antè, multa eius officia, ceù viri iuſti, Deo fuerant grata & probata. Nimirũ cum iuſſu Dei, iam obediens vocanti, fide exierat de terra ſua, & de cognatio-
Gen 13. ne patris ſui, & apud convallem Mambre ædificauerat altare Domino, & benedictione Melchiſedech, comprobatus fuerat iuſtus apud Dominum, cuius ſignificatione panem ei obtulit & vinũ. Et alia huiuſmodi officia, quibus potuit à plurimis annis, fidei exercere iuſtitiã. Sed hic credendi actus, fuit actus iuſtitiæ & obedientiæ, & idcirco Deo valde gratus & acceptus: quemadmodum ſi quis nunc iuſtus, probaret, ſuſciperetq́; aliquem fidei articulum, quem antè à ſe ignotum, eccleſia promeret ex Euangelio. Et ſicut legitur de Apoſtolis, quòd poſt reſurrectionem crediderunt ſermonem quem prædixerat IESVS de excitatione templi, ſenſum habuiſſe de ipſius corpore. Non enim per illã fidem fuerunt primùm iuſtificati, ſed fuit illis virtus iuſtitiæ. Pari modo in Abraham, ipſum tum credere, probatũ eſt à Deo veluti officium iuſtitiæ.

Per quod quidem officium, .ſ. credendi, quo ſub figura ſuæ prolis, fidelis Abraham credidit donandum nobis redẽptorem, commoſtrare vult diuinus Apoſtolus, remiſsionem peccatorum, non niſi per eandem fidem, factam vnquam fuiſſe. Et ſuper hoc fundamentum, ſuperædificati ſunt, quicunque vel in lege naturæ, vel ſcripta, opera iuſta fecerunt, quæ Deo eſſent grata & accepta, vt ad
Hebręos docet Paulus de Abel, qui fide, *Heb. 11.*
plurimam hoſtiam quàm Cain, obtulit Deo. Et fide, qui vocatur Abraham, obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatẽ. & plurima alia quæ ibi affert huiuſmodi exempla.

8. *EI autem qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundũ debitum. Ei verò qui non operatur, credenti autem in eum qui iuſtificat impium, reputatur fides eius ad iuſtitiam, ſecundum propoſitum gratiæ Dei.)* Exponit prædictam authoritatem, quantum ad hoc quod dicit, reputatum eſt illi ad iuſtitiam, quid nam, & quomodo reputatũ? fides ſanè reputata eſt: quonã modo? ex operibus legis, an ex gratia? non ex operibus, nam opera, ſunt merita præmiorũ quæ debentur operantibus, ſiue laborantibus, ergo ex gratia, reputata eſt fides Abrahæ ad iuſtitiam. Nam imputari ſiue acceptum ferri propriè dicitur, quod re perſolutum non eſt, ſed tamen ex imputantis benignitate pro ſoluto habetur: & hoc eſt quod dicit, *(Ei autem qui operatur,)* ideſt, Iudæo legis ceremonijs obnoxio, ſi quid præmij rependitur obſeruanti legem, non *(imputatur merces ſecundum gratiam)* ideſt, ex conferentis fauore, *(ſed ſecundũ debitum,)* ideſt, ex pacto rependitur. Rurſum, ſi quid pœnæ infligitur non obſeruanti, ipſius merito infligitur, ſi quidem vt accipit dimenſum ſuum ſeruus,

uos, qui penſum operis abſoluit, ita flagris emendatur, qui officij ſui non meminit. (*Ei verò qui nõ operatur,*) ideſt, Ethnico qui legis ceremonias neſcit, aut Iudæo etiam qui à legis ſeruitute, ad Chriſti fidem deſciſcit, nec iam operatur velut ex præſcripto, (*credenti autem in eum qui iuſtificat impium,*) ideſt, purè, ſimpliciterq́; fidit illi, qui gratis perfectam iuſtitiam confert etiam impijs, quorum vniuerſa ſcelera ex ſua morte ſuſtulit, ijs inquam (*reputatur fides ad iuſtitiam,* ideſt, fides illis hoc præſtat, vt ad exemplum Abrahæ, nulla legis obſeruatæ commendatione, ſed ſolius fidei, pro iuſtis habeantur: ad quam fidem nemo cogitur, ſed inuitantur omnes, vt volũtatis ſit non ſeruitutis, quòd in Chriſtum credimus. Gratiæ, non debiti, quod in iuſtorum numerum, per illum aſſerimur. Et hoc deſignat cũ ait, (*ſecundum propoſitum gratiæ Dei.*) quia ſcil. propoſuit, gratis per fidem peccata dimittere. Ex dictis igitur poteſt ad mentem Apoſtoli colligi talis ratio, ſi ipſe Abraham Patriarcha, non aſſecutus eſt iuſtitiæ laudem merito circuncisionis nondum acceptæ, ſed ſolius fidei commendatione, non eſt, quod legis ſuę ceremonijs fidat Iudæus, cui lex ad tẽpus data eſt, & multo minus Ethnicus, cui lex ea data non eſt.

¶ Iterum repetendum quod ſuprà dictũ eſt, de Abrahamo, ſcil. quòd non tunc primò, cum hoc contigit, iuſtificatus fuit: iam enim multo antè fuerat à Deo iuſtus conſtitutus, nec animus Apoſtoli eſt hoc ita ſentire, ſed vt quemadmodum tunc Abraham, nullius exhibens opus legis, aut naturalis, aut ſcriptæ, ſed tantùm fidei ſupernaturalis obedientiã, cum quadam animi ſynceritate præſtitit, atque adeò tanquam verum iuſtitiæ opus, valde grata & accepta eius fides habita ſit Deo, vt eius laudem in omniũ exemplum mereretur habere omne per æuum: ita & in iuſtificatione impij vſu venit. Videlicet, quod non operãti, hoc eſt, vt inquit Auguſ. iacenti in peccato, *Aug. Pſ. 31.* atque adeò non benè operanti, neque quidquam meriti adferenti ad ſuam iuſtificationem, credenti tamen per auxilium Dei, fides reputatur ad iuſtitiam.

9. *Ei autem qui operatur.*) Poſt reconciliationem factam cũ Deo, omnis homo in gratia conſtitutus, dicitur operans, & gratia eius dicitur, cooperans, per quá omnia hominis opera fiunt meritoria: quæ ideò, vt docet Auguſ. & dona ſunt *Aug. de* Dei, vt ſine cuius fauore, nec cogitare *na. et grã* aliquid à nobis poſſumus: & merita no- *et li. arb.* ſtra, propter liberum noſtrũ aſſenſum.

10. *Ei verò qui non operatur.*) Ante recõciliationem, nemo poteſt dici operãs, eoquòd per nullum opus poteſt mereri gratiam reconciliationis: ideò huiuſmodi gratia præueniẽs peccatorem, gratia operans nuncupatur.

11. *Credenti autem in eum.*) De fide quæ per charitatem operatur intelligitur. Talis enim phraſis, ſcil. credenti in eum, voluntatis affectum deſignat comitẽ fidei, quo affectu ferimur in Deũ.

12. *Reputatur fides ad iuſtitiam.*) Semper, & in omnibus reputatur fides ad iuſtitiam. In paruulis quidem ante rationis vſum, vel lucem, ſola fides per ſacramẽta aplicata, tam in lege veteri, quàm in noua reputatur & ſufficit ad iuſtitiã. Per quod ſacramentum paruulus ea ratione credere cenſetur, quòd reuera o- *Soto. li. 2.* bligatur voluntate parentum, fidem ad *de na. et* mortem vſque ſuſtinere, ac legi obſequi *gra.* Chriſti, cui illic damus nomina. In adultis verò cum ſola originalis macula exiſtẽtibus (ſi qui fortè eſſent) ſolus actus fidei cum baptiſmo ſufficeret ad ſalutẽ. Nã qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Illa enim fides Dei quod remunerator eſt, ſpem ſecum affert, atque intinctio ipſa aquæ baptiſmalis, charitatem, & obedientiam, quæ illis ſufficeret abſque vlla pœnitẽtia. Qui verò vnà cum Originis labe, habet etiam actualia peccata, non ſatis illis eſſet actus fidei, tametſi primus ſit omnium neceſſarius, ſed requiritur cum ſpe veniæ, per aliquam forſitan in genere pœnitẽtiam, obicem illũ qui gratiæ obſtat, amouere,

vel

vel omni ſaltem praua affectione ſemota, baptiſmum ſuſcipere in remiſsionē peccatorum. Qui autem à gratia baptiſmali dilapſus eſt, illi quidem reputabitur fides ad iuſtitiam vel ſalutem, ſi habeat comites ſecum, ſpem veniæ, & ſingularis charitatis pœnitentiam. Iuſtis denique viris, quorum omnia opera ſunt meritoria, reputatur etiam fides ad iuſtitiam, eo quod ratio meriti, non ex naturali virtute arbitrij ipſorum, ſed Dei munere exiſtit.

13. *SICUT & David dicit.*) Sententiæ ſuæ acceſsit teſtem Dauid Prophetam regium, & Regem propheticum, primam, ſecundum Abraham, Iudaicæ gentis gloriam, & in quo nobis præcipuè promiſſus eſt Chriſtus, vnicus iuſtitiæ noſtræ fons.

14. *Beatitudinem hominis cui Deus accepto fert iuſtitiam ſine operibus.*) Hic
Pſ. 31. eſt ſenſus verborum Dauid ab Apoſtolo depromptus, qui dicit, quòd ad eundē modum deſcribit hanc, quæ nunc per Euangeliū apperitur hominis beatitudinem, vt declaret eam non contingere ex Moſaicæ legis operibus, ceu debitā, ſed ex beneficentia diuina, qua ad Chriſti fidem trahimur. Et hoc eſt quod inquit, (*Cui Deus accepto fert iuſtiam*) ideſt, debitum omne, Deo ex rigore iuſtitiæ ſoluendum, (*accepto fert.*) ideſt, deputat in acceptum, vel pro accepto, iuxta loquendi modum quo dicitur, do tibi hanc rem pignori, ideſt, in pignus vel pro pignore: & hoc (*ſine operibus*) præcedentibus, ideſt, gratis. Cum enim nos ſoluendo non ſimus Deo, acceptam fert ipſe iuſtitiam, ideſt, debitum noſtrum, ſine operibus, ideſt, ſine debiti ſolutione, dum modo illi fidem pollicenti habeamus. Nam acceptum ferre, remiſsionem debiti ſignificat, & cum creditor debitum remittit debitori, dicitur illi acceptum ferre: vnde dimanauit acceptilatio verbū iuris, vt cum ille qui non eſt ſoluendo, quærit à ſuo creditore, vtrùm acceptum habeat quidquid illi debebat, hoc eſt, pro accepto, & ſoluto deputet: tunc quidem ſi creditor reſpondeat, habeo, acceptumq́; tibi fero, remiſsio illa & condonatio dicitur à iuriſtis acceptilatio, quæ è regione opponitur iuſtæ ſolutioni. Hanc ergo iuſtitiam, ſiue veniam delictorum, quæ pœnam infinitam merebantur, à Deo gratis datam, & conceſſam credētibus, & ex iniuſtis iuſtos fieri per fidem, vocat Apoſtolus & Propheta, beatitudinē. Et meritò id quidem, quoniam magna eſt beatido, ſine labore legis alicuius, aut pœnitentiæ, tantum debitum ſoluere, & in Dei gratiam peruenire, iuſtosq́; vocari, veluti ſiquis dignitatem aliquam gratis accipiat. Beatitudo autem hæc à Domino Deo eſt, ergo maniſeſtiſsimè patet, illum habere gloriam apud Deum, qui non ex operibus legis Moſaicæ, ſed ex fide Chriſti iuſtificatur, ac proinde eſſe vere beatum, vt dictum eſt.

Delictorum veniam pro quibus æternā damnationem, & iram Dei promerebamur, vocauit iuſtitiam, ſic enim dicitur & eſt, Deoq́; valde accepta, cum ſit effectus iuſtitiæ Chriſti, oblati in cruce Patri ſuo in odorem ſuauitatis, pro peccatis totius mundi. Dicitur etiam beatitudo, vt iam dictum eſt, & iterum dico, quia eſt effectus gratiæ Dei Gratis enim nobis conceditur, hoc eſt, ſine labore legis, aut pœnitentiæ particularis. Et eſt quiddam magnum & valde glorioſum, amicus Dei eſſe & vocari, iuſtusq́; haberi apud eundem, per ſolam fidem Ieſu Chriſti, quæ etiam eſt donum ipſius Dei, ideoq́; reputatur ad iuſtitiam. Reputatur autem prima fides ad iuſtitiam, vt pulchrè ait, Hiero. vt de præterito abſoluatur, & de præſenti iuſtificetur, & ad futura fidei opera præparetur. *Hiero.*

15. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata, beatus vir. cui non imputauit Dominus peccatū*) Hæc ſunt verba Dauidis, prædictam ſententiam continentia, vbi eos dicit eſſe beatos, quorum remittuntur iniquitates, & teguntur peccata, nec imputantur ad ſuplicium: vt remiſsio, referatur ad ablationem culpæ: tectio vero, ad obliuionem præteriti actus: non imputatio,

tatio, ad condonationem pœnæ: & ita primũ, eſt cauſa ſecũdi: ſecundũ, tertij. Quod enim remittitur, tegitur, vel deletur de memoria Dei: oblitum verò, nõ imputatur ad pœnam. At verò, licet ſic diſtinguantur ratione, in re tamen idem prorſus deſignant ad mentem Apoſtoli. Nam his verbis abſolutam deſcribens iuſtitiam, ſeu beatitudinem Dauid, nullius facit operis mentionem, totam eã apud Deum in peccatorum remiſsionẽ conſtituens, quæ ſecundum Dei beneplacitum acquiritur, & non ſecundum debitum, vel condignum meritum. Cũ enim vult Deus, peccata dimittit, & nulli in hoc debitor eſſe poteſt.

16. *BEATI.*) Nũc quidẽ in ſpe, poſt verò futuro, in re, quia nullus illuc, poſt Adæ peccatum, patet nobis aditus, niſi per gratuitam huiuſmodi condonationem peccatorum.

17. *REMISSÆ.*) Verè auferuntur, & radicitùs conuelluntur peccata quæ à Deo remittuntur, ita vt nihil maneat omnino culpæ in homine iuſtificato, ſicut verè eſt iuſtus, quem Deus iuſtum reputat, per Spiritum ſanctum, quem effudit in eum abundè: contra hæreticos Lutheranos contrarium aſſerẽtes. Vnde Aug. Dicimus, inquit, baptiſma omnium dare indulgentiam peccatorũ, & auferre crimina, non radere, neque peccatorum radices in mala carne teneri, quaſi raſorum in capite capillorum, vnde creſcant iterũ reſecanda peccata. *Aug. cõ. ep. Pela. li. 1. c. 13*

18. *Iniquitates.*) Peccatum originale, vt ait D. Tho. iniquitas dicitur, quia eſt carentia originalis iuſtitiæ, per quam ſecundum equitatẽ, ratio hominis ſubijciebatur Deo, inferiores vires rationi, corpus animæ: ſed per peccatum originale, hæc æquitas tollitur, quia poſtquàm ratio deſijt eſſe ſubiecta Deo, inferiores vires, rationi rebellant, & corpus ab obedientia animæ ſubducitur per corruptionem & mortem. Ponitur in plurali, iniquitates, vt etiam in illo Pſal. vbi dicitur, Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, quia licet ſit vnũ peccatum originis, virtute tamen continet in ſe quodammodo omnia peccata. Ab hoc enim fonte dimanant omnia. Huiuſmodi autem peccatum remitti dicitur, quia tranſit reatus, ſupernientẽ gratia, ſed remanet actu, remanente fomite, ſeu concupiſcentia, quæ non tollitur omnino in hac vita, ſed remittitur, ſiue mitigatur, vt ait D. Thomas. *Tho.* *Tho.* *Pſ. 50.*

19. *Tecta ſunt peccata.*) De actualibus poteſt intelligi, quæ & ſi oculis omniũ manifeſtè patebunt in die illa vniuerſalis iudicij: nam tunc referet vnuſquiſque ante tribunal Chriſti, vt ait Paulus, propria corporis prout geſsit, ſiue in bonum, ſiue in malum: nimirùm, vt non ſolùm in reproborum vindicta, iuſtitia refulgeat Dei, verum etiam in retributione iuſtorum, tàm eadem pateſcat iuſtitia in laude bonorum operũ, quàm ſumma miſericordia in delictorũ venia. Nihil tamen inde confuſionis ipſi contrahent iuſti, tanta erit contegentis Dei miſericordia, tantaq; pœnitentiæ, per fauorem eius, virtus & gloria, tanta profectò charitatis efficatia, multitudinem peccatorum operientis, ac proinde abolentis, ac ſi nunquam fuiſſent perpetrata.

20. *Cui non imputauit Dominus peccatũ.*) Quemadmodum cui reputatur fides ad iuſtitiam eſt verè iuſtus, ita cui non imputat Dominus peccatum, eſt vere ſanctus: quia vt ait Aug. neque peccatum eſt, quidquid non imputabitur in peccatũ. *Aug in li. de perfect. iuſt.*

21. *Beatitudo ergo hæc, in circumciſione tantùm manet, an etiam in præputio?*) Secundum Hiero. Apoſtolus vult iſtam beatitudinem, & iuſtificationis fœlicitatem, tribus temporibus aſsignare, Naturæ, Circumciſionis, & Chriſtianitatis. Quam enim Abraham in lege naturæ, per fidem aſſecutus eſt iuſtitiam, eandẽ quoque & olim poterant gentes aſſequi per eandem fidem, & poſteri etiam nũc Chriſtiani ſine circumciſionis charactere, contra Iudæos, qui tanquam poſteri Abrahæ, merito legis obſeruatæ, propriè ſibi vendicabant iſtam iuſtitiam, exclu-

excluſis Gentibus. Et euangelium ſuſcipientibus aiebant, neceſſariam etiam eſſe circunciſionem: ideò aduerſus eos mouet hanc quæſtionem, dicens, (*Beatitudo hac, in circunciſione tantùm manet, an etiam in praputio?*) quaſi dicat, reſpõdete mihi ô Iudæi, fœlicitas hæc in Abraham declarata, & per Dauid pronũciata, vtrùm ad eos tantùm pertineat qui circunciſionis ſunt, & ob hoc legi obnoxij, an ad eos quoque qui nec circunciſionem norunt, nec legis ceremonias?

22. *Dicimus enim quia reputata eſt Abraha fides ad iuſtitiam.*) Omnes cõfitebãtur, & conſentiebãt, vt quod ratio de Abraham inueniſſet, id de cæteris ſentiendum. Ab illo enim cum eſſet totius gentis Iudaicæ caput, reliquum genus opportebat æſtimari: neque enim par eſt nepotes ſibi vendicare ius, quod in generis authore non fuerit. Conſtat quidem (*quòd fides Abraha reputata eſt ad iuſtitiam.*) ideſt, Abraham dictũ eſſe iuſtum propter fidem.

23. *Quomodo ergo reputata eſt?*) Illud expedit inueſtigare (*quomodo,*) ideſt, quo ſtatu, & quo tempore Abraham dictus eſt iuſtus propter fidem.

24. *In circunciſione, an in praputio?*) Ideſt, pro eo tempore quo iam erat circũciſus, & ſic ob amputatam præputij pelliculam, aſſecutus eſt iuſtitiæ laudem? an pro eo quo adhuc erat incircunciſus, & ſic ob fidem dictus eſt iuſtus, citra vllam circunciſionis commendationem? reſpondet.

25. *NON in circunciſione, ſed in praputio*) Manifeſtum eſt ob circunciſionem Iudaicam, Abrahæ non contigiſſe iuſtitiæ laudem, cum id temporis nec eſſet adhùc circunciſus, nec iuſſus circũcidi, & ſic prius fuit iuſtus quàm circunciſus. Hoc ſanè conſtat ex ſerie rationis ſcripturæ: prius enim credidit Abrahã ex ſuo ſemine naſciturum Chriſtum, per quem beatitudinem hanc, & paternam iuſtitiæ laudẽ aſſequerentur omnes gentes, & ob hanc fidem, iuſtus eſt habitus, vt habetur Gen. 15. cap. Cir- *Gen. 15.*
cunciſionem tamen accepiſſe legitur, *Gen. 17.*
Gen. 17. cap. Si igitur Abraham adhùc incircũciſus exiſtens, iuſtificatus eſt per fidem, manifeſtum eſt quòd iuſtitia fidei, per quam gratis remittuntur peccata, non eſt ſolùm in (*circunciſione*) ideſt, in Iudæis, (*ſed etiam in praputio,*) ideſt, in gentilitate.

26. *ET ſignum accepit circunciſionis.*) Quoniam poſſet aliquis dicere, ſi Abraham ante circunciſionem iuſtificatus eſt, ergo ſine cauſa & fruſtrà circunciſus eſt. Ad hoc reſpondet, quod circuncisio non fuit ſuperfluè data, ſed valde vtilis & neceſſaria. Data enim eſt, non vt res, ſed vt ſignum magnæ rei: ideò inquit, (*Et ſignum accepit circunciſionis,*) ideſt, ſignum quod eſt circunciſio. Cuius autem rei fuerit ſignum, declarat dicens.

27. *Signaculum iuſtitia fidei.*) Perfecta enim fuit, vt ſignaculum mereretur, ſem-
per enim res plena ſignatur, vt ait Hie- *Hiero.*
rony. Promiſerat Deus Abrahæ prolem ampliſsimã, per quam Chrũs Dominus erat venturus, cuius promiſsionis fide iuſtificatus fuit, Deus autem ab illo viciſsim voluit, vt ſe ſuamq; familiam perpetuò circuncideret, quò in mẽbro illo generationis miniſtro, ſigillationẽ geſtaret promiſſæ prolis. Quapropter ſignum illud reciſæ carnis, ſignaculum fuit, vel indicium, ſeu ſigillum, teſtificãs illam iuſtitiam, quam fuerat per fidem conſecutus: quæ quidem iuſtitia, eſt vera cordis circunciſio, quæ non in ſectione pelliculæ, ſed vitiorum amputatione conſiſtit. Sectio autem pelliculæ, non eſt vera circunciſio. ſed ſignum veræ circunciſionis, ideò forſitan non dixit Paulus, accepit circunciſionem, ſed ſignum circunciſionis.

28. *Qua eſt in praputio.*) ideſt, fuit ſcil. iuſtitia in præputio, quaſi dicat, antequã circunciſionem ſuſciperet Abraham, aſſequutus eſt iuſtitiæ laudem per fidem Chriſti venturi. vt apertè cognoſcant Iudæi, non à circunciſione, ſed à fide pendere iuſtitiam.

29. *VT ſit pater omnium credentium per præputium, vt reputetur & illis ad iuſtitiam, et ſit pater circuncisionis.*) Finis circuncisionis fuit, vt Abraham, primum exẽplũ fidei, (fuit enim primus cũ quo de futura ſalute, voce pactus eſt Deus, ac primus qui hanc ſibi fidem expreſſiorem adhibuit) intelligeretur (quod ipſi fuit magna dignitas) pater omniũ qui eius imitatione, citra vllam carnalem circuncisionem, crederent Chriſto Domino. Et hoc eſt quod ait, (*Vt ſit pater omnium credentium per præputium,*) ideſt, gentium qui ſunt in ſtatu præputij, aut (*per præputium,*) ideſt, per id quod habuit in ſtatu præputij, ſcil. per fidem quam habuit Deo ante circuncisionem, (*vt reputetur & illis ad iuſtitiã*) ideſt, quemadmodum fides Abrahæ reputata eſt illi ad iuſtitiã. ita his quoq; ceu germanis ac legitimis Abrahæ filijs, reputetur fides ad iuſtitiam, (*& ſit pater circuncisionis,*) ideſt, Iudæorum credentium. Nam ita eſt Gentium pater, vt Iudæi non excludantur, vt non duo populi diſiuncti, ſed vnus per fidem cõ-
Ioa. 10. flatus adnoteretur: iuxta illud Saluatoris, Alias oues habeo quæ non ſunt ex hoc ouili, illas oportet me adducere, vt fiat vnum ouile, & vnus paſtor, & ideò vnus grex.

Hæc autem Abrahæ paternitas, in infinitum præſtantior fuit carnali paternitate, prout teſtatur Ioan. Baptiſta, cõtra Iudæos, de hoc nimium ſe iactantes,
Mat. 3 dicens, Ne velitis dicere intra vos, patrẽ habemus Abraham (illa enim carnis compago, pro nihilo ducitur apud Deũ) dico enim vobis, quoniam potens eſt Deus de lapidibus iſtis (ideſt, de incredulis gentibus) ſuſcitare filios Abrahæ, hoc eſt, fide regenerare Abrahæ filios, non in illam literalem terræ Iebuſæorũ, & Amorrhæorum, ſed in æternam ac cœleſtem hæreditatem. Hanc enim adũbrabat terra promiſsionis, & illa quidẽ in primis tanquam ſcopus peregrinantiũ propoſita eſt patri noſtro Abrahæ, cum illum eduxit de terra ſua. Deinde quia ſempiterna illa hæreditatis fœlicitas, nemini vnquam potuit contingere, niſi per fidem Chriſti, pollicitus eſt illi Deus proprium legitimumq; hæredẽ, ex cuius vaſtiſsima propagine, procreãdus eſſet naturalis Dei filius, per cuius iuſtitiam fidei adeunda erat, promiſſa prius cœleſtis hæreditas: cuius rei gratia Paulus tradidit illum locum, credidit Abraham Deo, &c. Hæc autem omnia ante circuncisionem peracta ſunt, nequis crederet, ob iuſtitiam illius obedientiæ, vel fuiſſe tunc iuſtificatum Abraham, vel quempiam in poſterum iuſtificatum iri.

30. *NON ijs tantum qui ſunt ex circuncisione, ſed ijs qui ſectantur veſtigia fidei, quæ eſt in præputio patris noſtri Abrahæ.*) De Iudæis totum hoc intelligendum videtur, quorum, Abraham, eſt verus pater, ſi non hoc tantùm nomine ſibi placeant (*quòd ſint ex circuncisione*) ideſt, quòd ab Abrahæ circunciſi ſtirpe ducãt genus, nota dũtaxat corporis, cognationis argumentum circũferentes, ſed multò magis fidem illam exprimentes. (*quæ eſt in præputio patris noſtri Abrahæ,*) ideſt, qua nondum circunciſus, Deo habitus eſt iuſtus. Nullum enim certius argumentũ, liberos non ſpurios parentibus ſuis aſſerit, quàm paternarum virtutũ æmulatio. Cum enim homines abdicẽt ex ſe prognatos, ſuoſq; negent eſſe filios, qui degenerant à moribus, ingenioq; maiorum, multo magis Deus, hac nota nothos, à legitimis diſcernet. Vnde Saluator ad Iudæos iactantes ſe eſſe *Ioa. 8.*
filios Abrahæ aiebat: ſi filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite. Secundum carnem, filij quidem illius eſtis: at verò ſecundum opera, non eſtis filij niſi diaboli. Abraham enim proprium filium vnigenitum ſuũ, ſtatuit occidere in obſequium Dei: vos me contrà, filiũ Dei, præ infidelitate veſtra occidere molimini: Non ergo tanti patris eſtis filij, ſed, vt inquam, diaboli, qui homicida eſt ab initio.

Multis quidem de cauſis, aiunt Sancti, olim inſtituta fuit circuncisio. Primò in ſignum promiſsionis Abrahæ à Deo factæ de tanta futura prole, ideoq; in membro illo generationis congruenter efficiebatur, vt ſcil. circunciſi acciperẽt,

&

& fidem Abrahæ pariter cum illa.

Deinde vt eſſet ſignum veræ illius circuncifionis, ac fidei Abrahæ, & vt quẽadmodum à membro illo concupiſcentiæ deſeruiẽti, abſcindebatur ſuperflua illa pellicula, ita etiam à corde hominis cuius ipſum imaginem gerit, omnis ſuperflua concupiſcentia tolleretur, iuxta *Hier. 4.* illud Prophetæ, Circuncidimini Domino, & auferte præputium cordium veſtrorum.

Tertiò, vt Abrahamidas, Deiq́; populũ ab alijs nationibus diſcerneret, qua de *Ioſ. 5.* cauſa iuſſus eſt populus antequàm Gẽtibus commiſceretur, præputia reſcindere quæ in deſerto nutriuerant. Oportebat enim populum veri Dei, ſecerni à Gentibus idololatris, inſignéq́; haberi inter omnes orbis nationes, maxime ſi ipſe populus in pura & caſta cõuerſatione reſponderet ſigno à Deo ſibi dato.

Quartò, data eſt circuncifio in ſignum futuræ circuncifionis ſpiritualis fiendę per Chriſtum, ad quem omnes legis ceremoniæ comparantur, ſicut figura ad veritatem, & ſicut vmbra ad corpus. Hæc autem circuncifio efficienda erat, primò quidem quoad animam, dũ per Chriſtum, peccatorum reatus, & concupiſcentiæ præſcinduntur, ſeu vetus homo carneus exuitur. Ad quod pertinet *Col. 2.* illud Pauli, dicentis, in quo ſcil. Chriſto, circuncifi eſtis, circuncifione nõ manu facta, in expoliatióne corporis carnis, ſed in circuncifione Domini noſtri noſtri Ieſu Chriſti: & idcirco præſentia baptiſmi circuncifionem abegit, iuxta il- *Gal. 5.* lud, Si circuncidimini, Chrũs vobis nihil proderit. Deinde verò quantum ad corpus, quando in generali illa mortuorum reſurrectione, ab electorum corporibus quæuis paſsibilitas, & mortalitas prorſus auferetur. Et vtriusq; circũcifionis figura, fuit illa circuncifio in *Ioſ. 5.* deſerto cultris petrinis facta, ad deſignandum quòd ſpiritualis circuncifio fienda erat per petrã, qui eſt Chriſtus: non tamen generaliter obſeruabatur, quòd neceſſe eſſet circuncifionem fieri cum petra: & ad hoc etiam pertinet, quòd circuncifio fiebat octauo die, qui ſignificat octauam ætatem reſurgentiũ, nam ſeptima eſt quieſcentium in Chrõ, ſex autem ætates ſunt, quibus ſeculum currit.

Quintò, data eſt circuncifio pro remedio illius natiuæ maculæ quam à primo parente contrahimus omnes: nam in circuncifione abſtergebatur illa. At verò, vt docet S. Tho. circuncifio ex ipſo *Tho.* opere operato non habebat virtutem effectiuam, neque quantum ad remotionem culpæ, neque quantum ad operationem iuſtitiæ, ſed erat ſolùm iuſtitiæ ſignum, vt hîc ait Apoſtolus, & per fidem Chriſti, cuius circuncifio ſignum erat, auferebatur peccatum originale, & conferebatur auxilium gratiæ ad rectè agendum. Et ſic eſt intelligẽda gloſ. *Gloſſ.* illa Bedæ dicentis. Idem ſalutare curationis auxilium, circuncifio in lege, cõtra originalis peccati vulnus præbebat, quod baptiſmus agere, tempore reuelatæ gratiæ conſueuit. Idem inquit, ſed non eodem modo. Nam circuncifio nõ erat tum temporis inſtrumentum paſſionis Chriſti, cum nondum eſſet exhibita, qualia modo ſunt noſtra ſacramẽta nouæ legis, ſed tantùm ſignaculum fidei, vt dictum eſt. Quamobrem illa non iuſtum faciebant hominem, ſed fides. At vero baptiſmus noſter, vt inſtrumentalis virtus Chriſti, gratiam confert, iuxta illud Pauli, Saluos nos fecit per la- *Tit. 3.* uacrum regenerationis. Et hac etiam ratione circuncifio non aperiebat ianuã regni cœlorum, licet illic daretur gratia erga Deum. Huc etiam pertinet illud Aug. dicentis, ex quo inſtituta eſt circũ- *Aug. cõtr. Iul.* cifio in populo Dei, quæ erat ſignaculũ fidei iuſtitiæ, ad ſanctificationem purgationis valebat paruulis, originalis veteriſq́; peccati, ſicut etiam baptiſmus ex illo cœpit valere tempore ad innouationẽ hominis, ex quo inſtitutus eſt. Et D. quoque Greg. quod apud nos, in- *Grego. in Mora.* quit, valet aqua baptiſmalis, hoc egit apud veteres, vel pro paruulis, ſola fides: vel pro maioribus, virtus ſacrificij: vel pro ijs qui de Abrahæ ſtirpe prodierũt, myſterium circuncifionis. Non quod in lege naturæ non eſſet aliqua ſaltem oblatio paruulorum, qua parentes fidẽ

proteſtarentur pueri coram Deo, ſed nō erat certum diuinitus inſtitutum ſacrificium, quia nulla erat tunc ſecretio populi peculiaris Dei.

Hinc ſumitur fortiſsimum argumentū, quod in circunciſione delebatur originale peccatum, aduerſus omnes hæreticos & blaſphemos. Nam cum vllo tempore nemo mortalium, abſque aplicata ſibi fide Chriſti, ſiuè implicitè, ſiuè explicitè, iuſtificari valuerit, (quia ſine fide impoſsibile eſt placere Deo) & paruuli credere actu intellectus nequeant, manifeſtum eſt, quod ſemper fuit aliqua ſacrificij forma, per quod fides aplicaretur illis: talis autem erat circunciſio diuinitus inſtituta, quæ cum, autore Paulo, eſſet ſignaculum iuſtitiæ, quam conſecutus eſt Abraham, certiſsimum etiā eſt ſignum, vt quicunque circunciſionē reciperet, iuſtificaretur per aplicatā illi fidem, aliàs non erat cur teneri paruuli, ante rationis vſum circuncíderentur. Et ſicut circunciſio fuit remedium veteris, ita baptiſmus nouæ, & ſacrificia, naturæ legis. Pertinebat enim hoc ad miſericordiam & prouidentiam omnipotentis Dei, vt in omni ſeculo conſuleret infantium ſaluti. Non enim conſentaneum videretur, vt qui in culpa erant, quam propria volūtate non admiſerant, omni deſtituti præſidio, quotquot ante rationis vſum obirent mortem, deperirent.

Præterea, circunciſio erat quædam proteſtatio & profeſsio fidei, per quam par-uuli obligabantur legi, ſicuti eſt modo in baptiſmo, iuxta illud Apoſtoli, Teſtificor omni circuncidenti ſe, quoniam debitor eſt vniuerſæ legis faciendæ: & hac quidem ratione, tunc paruuli credere dicebantur, dum circuncidebantur, ſicuti nunc noſtri infantes dum baptizantur, & ſic veritas illius ſententiæ, Qui crediderit & baptizatus fuerit, eſt vniuerſalis, vt pertineat etiam ad paruulos qui aliquo modo credunt: non quod vllum habeant actum fidei, nec ſolùm propter infuſum habitum, ſed propter obligationem qua addicuntur fidei, & legi: qua de cauſa decernuntur

Sota.
Gal. 4.

illis ab Eccleſia ſuſceptores, qui eorum nomine interrogati, reſpondeant, credo. Æquiſsimum ergo erat vt qui per obligationem fidei Chriſti, ſubdebātur legi, per eandem liberarentur ab illa innata culpa, cuius ipſe erat futurus Redemptor. Quem vtique ſenſum ſapienter agnouerunt patres in verbis legis, maſculus cuius præputij caro circunciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit. Significatur enim ob culpam aliquam delendam eſſe animam incircunciſi, quę culpa in infantulo nulla eſſe, niſi originalis poterat.

Ad hæc, in illa authoritate Pauli prælegata. ſ. Circuncifi eſtis circunciſione non manu facta, in expoliatione corporis carnis, ſed circunciſione Chriſti, cōſepulti in baptiſmo, videtur ſentire Apoſtolus, id quod nunc facit baptiſma, fieri tunc olim in circūciſione. Ex quo etiam manifeſtum relinquitur, quare opporteat circunciſionem mutari? nā, vt dictum eſt, Circunciſio erat ſignum futuri, non autem idem ſignum conuenit præſenti, ſiue præterito & futuro, baptiſmus eſt ſignum præſentis gratiæ, qui copioſiorem, & vtiliorem illam cōfert quàm circunciſio conferebat, quia quanto agens eſt propinquius & præſentius: tanto efficatius operatur.

Col. 2.

AD argumenta verò quæ contra hæc fieri poterant, ex dictis facilè reſpondetur, ſi teneamus mente quòd per merita operum legis nō adquiritur iuſtitia, circunciſio autem cum eſſet opus legis, non iuſtificabat per ſe, nec per modum meriti, ſed fides illi aplicata. Quamobrem ceremonias legis vocat Apoſtolus infirma elementa, cum per ſe nihil efficerent: ſed erant vmbra & veluti puerorum rudimenta, quibus erudiebantur, ac preparabantur, ſuſcipiendo Euāgelio. Pro paruulis verò qui erant ante circunciſionem in lege naturę non deerat remedium ad dictam iuſtitiam cōparandam, quod quidem durauit ſub lege ſcripta, tàm pro fœminis, quàm pro paruulis ante octauum diem.

31.

31. *NON enim per legem promiſſio Abraha, aut ſemini eius, vt hæres eſſet mundi, ſed per iuſtitiam fidei.)* Ex diuina pollicitatione hæreditatis, confirmat ſententiam ſuam Paulus, videlicet quòd circuncisio, ſiue quodcunq; opus legis non iuſtificet poſteros Abrahæ. Nam quemadmodum Abraham non promeritus eſt hoc, obſeruatione legis Moſaicæ, quæ nondû erat prodita, nec merito circuncisionis, quam, vt dictum eſt, nondum acceperat, vt eû Deus tàm magnificis promiſsis honoraret, pollicens fore, vt totius orbis dominium ad ipſum ac poſteros illius, hæreditate deueniret, (*ſed per iuſtitiam fidei,*) ideſt, per fidem Chriſti, qua iuſti cognomen meruit: ita non eſt quòd Iudæi ſperẽt huius pollicitationis diuinæ ius, ſolo circuncisionis, aut legis titulo ad ſeſe peruenturum. Nec enim alia ratione propagari poteſt in poſteros, quàm qua primum partum eſt ipſi generis authori. Abraham (*non per legem,*) ſed per fidẽ, & iuſtus, & pater multarum gentium, & hæres mundi conſtitutus eſt à Deo, ergo & poſteri eius, iuſti, & hæredes, & veri eius filij, per eandem fidem, & non aliter etiam conſtituentur.

32. *VT hæres eſſet mundi.)* Sub his quidem verbis nullibi legitur facta promiſsio, ſed ſub his, in te benedicentur vniuerſæ nationes terræ. Magna profe-
Gen. 12. ctò virtus fidei, quæ dominium mundi habet in præmium. Sub cuius figura promittebatur credentibus cœleſtis hæreditas. Sed has promiſsiones conuerſi ex Iudaiſmo interpretabantur factas ad modum ſtipulationis, ideſt, ſi legem, quam circuncisione Abrahæ profitebãtur, cuſtodirent. Hinc eorũ blaſphemia dicentium, per circuncisionẽ, & reliqua legis opera ſe eſſe iuſtificatos, & cõmeritos ingreſſum æternæ hæreditatis, aduentumq; Meſsiæ. Nam plerią; fatebãtur quòd venturus eſſet, traditurusq; eis hæreditatem Abrahæ promiſſam: inde enim modo in hanc peruenerunt amentiã ipſi Iudæi, vt Meſsiam adhuc præſtolentur, qui regna ſit eis ampliſsima traditurus.

33. *AVT ſemini eius.)* Hoc dicit, quia & ſi hæc promiſsio, in ipſo Abraham non fuit completa, complenda tamen erat in eius ſemine, iuxta illud, Benedicentur in ſemine tuo omnes gẽtes terræ. In ſemine, inquit, tuo, ideſt, in poſteris tuis, quorũ caput eſt Chriſtus, ad quem ideò tanquam ad maiorem fratrem, principaliter pertinet hæreditas promiſſa: nam, vt ait Paulus, Abrahæ dictæ ſunt promiſsiones, & ſemi- Gal. 3.
ni eius, non dicit in ſeminibus quaſi in multis, ſed in ſemine quaſi in vno, quod eſt Chrũs. Et per regium Vatem Ps. 2.
Dauid, inquit Pater ad Filium, Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſsionem tuam terminos terræ. Cuius poſſeſsionem poſt reſurrectionem accepit, vt ipſemet teſtatur dicens, Data eſt mihi omnis poteſtas Mat. 28
in cœlo, & in terra. Secundariò autem pertinet ad minores fratres, qui per fidem & gratiam Chriſti, ſunt ſpiritualiter ſemen Abrahæ, iuxta illud, Qui filij ſunt promiſsionis, æſtimantur in ſe- Rom. 9.
mine, qui etiam, vt ait D. Th. per Chriſtum ſunt mundi hæredes, in quantum omnia in gloriam electorum cedunt, iuxta illud, Omnia veſtra ſunt.

34. *SED per iuſtitiam fidei.)* Hoc eſt, per iuſtitiam quæ ex fide procedit, quæ erat in Abraham, pro hac namq; iuſtitia, ſeu merito eius, facta eſt Abrahæ prænducta promiſsio, vt habetur in Geneſi.

35. *SI enim qui ex lege, hæredes ſunt, exinanita eſt fides, abolita eſt promiſſio: Lex enim iram operatur, vbi enim non eſt lex, nec præuaricatio.)* Magnum ſequeretur incommodum, ſi tantùm per legẽ adiretur hæreditas, nihil eſſet fides Abrahæ, reputata illi ad iuſtitiam: & Dei fidiſsimi promiſsio nulla, qua dictum eſt in ſemine ipſius benedicẽdas omnes gentes: tùm quia nihil cõmune gẽtibus cum lege, tùm etiã, quia nec Iudæis ipſis, lex hæreditatem præſtare poterat, quæ iram tantùm ac vindictam afferre nouit, quando ſine vlla miſeratione in peccantem animaduertebat, quòd ſi lex non eſſet, neque præuaricatores eſſent

in quos animaduerteret. Nam reum agere nemo poteſt, ni prius lege lata pœnam denuntiet. Porrò lex Moſaica de plurimis ſtatuit, aut præcipiens, aut prohibens, in quibus nulla eſſet præuaricatio ſi non eſſet lex, vt de circuncisione, de ſabbatis, de neomenijs, de ciborum diſcrimine, de morticinis, de ſuffocatis, de ſanguine, de lotionibus, quæ omnia ſunt huiuſmodi, vt obſeruata non conferant ſalutarem illam iuſtitiam, & tamen qui tranſgrediatur, reus ſit, pœneq; obnoxius. Quod autem ad moralia pertinet, grauius eſt tranſgredi ſimul legem naturæ & legem ſcriptam, quàm ſolam legem naturæ: & ideò lege data ſine gratia adiuuante, præuaricatio creuit, & maiorem iram promeruit. Ex quo videtur manifeſtum quòd deteriores erant in hac parte Iudæi quàm Gentes. Et quòd nimium ſtulti erant, qui conuerſi ex Iudaiſmo, volebant ſimul cum Euangelio, ſuſtinere legis onus, quod neque Apoſtoli, neque patres eorum, vt ait Petrus, portare potuerunt, & quòd nimium etiam ſunt cæci, qui adhuc volunt eſſe ſub iugo tantæ ſeruitutis, nolẽtes venire ad Chriſtum, cuius eſt iugum ſuaue, & onus leue.

Obſerua in eo quòd ait, ex lege, Hæbraiſmum eſſe Paulo peculiarem, pro eo quod eſt, factores legis, ex legis operibus ius ſibi facientes hæreditatis obtinendæ.

36. *LEX enim iram operatur.*) Diſcrimen inter legem & fidem ſic ſe habet, quod malorum ſuplicium, non à beneficentiſsimo Deo directa intentione infligitur, ſed lex illos punit. Deus enim nihil in eos agit, niſi ſecundum legem, quam vtique poſuit intentione præmiãdi. Eſt enim legiſlatoris intentio, vt inquit Philoſophus, per legem bonos facere ciues, & ad fœlicitatem perducere. 1.Eth. Sed praua noſtra voluntas cauſam præbet, cur lex iram opererur. Præmium autem & corona iuſtorum non legi debetur, ſed diuinæ miſericordiæ per fidẽ Oſea.13 Chriſti: iuxta illud Prophetæ, Perditio tua ex te Iſrael, ex me tantùm auxiliũ tuum. Quod diſcrimen inde naſcitur, quia, vt dictum eſt, Lex præcipit, & non adiuuat, ſed quod lex iubet, implet fides Rom. 8. Chriſti, qui adiuuat infirmitatẽ noſtrã.

37. *VBI enim non eſt lex, nec præuaricatio.*) Omnis lex tàm naturalis, quàm ſcripta, eſt index & linea voluntatis Dei, ideò præuaricatio legis, inobedientia quædam eſt, & peccatũ voluntati Dei aduerſum, dignumq; proinde illius iræ, quam comminatur lex. Vnde Auguſt. Aug. Vtrũq; complexus .ſ. legem, & Deum, inquit, peccatum eſt dictum, vel factũ, vel concupitum contra legem Dei.

38. *Ideò ex fide.*) Neceſſarium eſſe videtur, vt promiſſum Dei impleatur, aut per fidem, aut per legem: non per legẽ, quia promiſsio Dei aboleretur, quod eſt impoſsibile: (*ideò ex fide,*) ideſt, merito fidei, ſcil. contingit hæreditas promiſſa. Lex enim non donat peccata, ſed damnat: & ideò non poteſt omnes gentes filios facere Abrahæ, quia ſecũdum quod omnes ſub peccato inuenti ſunt, omnes erant vtique puniendi. Fides contrà ex impio, iuſtum reddit: nam dimiſsis per gratiam peccatis, omnes credentes, filios efficit Abrahæ, quibus ſicut & patri reputetur ad iuſtitiam.

39. *VT ſecundum gratiam firma ſit promiſſio.*) Dictum eſt quod ſi iuſtitia ex lege eſſet, fides nulla redderetur, promiſsio aboleretur: ſed ſi ſit ex fide, promiſſum firmum & conſtans, propter virtutem diuinæ gratiæ iuſtificantis hominem per fidem, eam, ſcil. quæ per charitatem operatur. Et hoc eſt quod dicit, (*Vt promiſſio* (Dei) *ſit firma,*) non quidem per operationes hominum, quæ poſſunt deficere, ſed (*ſecundum gratiã,*) quæ infalibilis eſt. Vel aliter, (*Vt promiſſio,*) ideſt, hæreditas promiſſa de dominio mundi, (*ſit ſecundum gratiam*) id eſt, videatur res gratiæ & fauoris, non debiti, atque ita (*ſit firma,*) ſcil. eadẽ promiſsio, hoc eſt, fides promiſsi diuini conſtet, quo poſteris omnibus Abrahæ, ſpes huius fœlicitatis oſtenſa eſt. Vnde dicit:

40.

40. *OMNI ſemini.)* ideſt, omni homini qui fuerit qualitercunque ſemen Abrahæ.

41. *NON ei qui ex lege eſt ſolùm, ſed ei qui ex fide eſt Abrahæ.)* Exponit quod dixerat, Omni ſemini, quaſi dicat, *(ſemen,)* hoc eſt, poſteros Abrahæ voco, non eos qui dumtaxat *(ex lege ſunt,)* ideſt, per legis cognationem ad Abrahã pertinent, *(ſed &)* ideſt, multo magis *(ei,)* ideſt, eos *(qui ex fide ſunt Abrahæ.)* ideſt, qui fidem parentis exprimũt. Par eſt enim vt plus habeat momenti cognatio fidei, per quam ille promiſsũ meruit, amicus Dei factus, quàm cognatio legis, quæ occaſionaliter offenſas gignit, & reos facit. Adhæc, ſi per ſolam legem Moſaicam, eſſet implenda promiſsio, non impleretur in omnibus poſteris Abrahæ, ſed ſolùm in Iudæis, qui eam ſeruarent: quia verò impletur per fidem, quæ eſt omnibus communis, planum eſt quod impletur in omni ſemine.

Nec tamen hinc poteſt argumentum ſumi, vt volũt hæretici Lutherani, quòd omnis Chriſtianus propter fidem quam habet, certus ſit de ſalute ſua, quia & ſi fide iuſtificamur, & obtinemus promiſſam hæreditatẽ, intelligitur de fide quæ per charitatem operatur. Nemo tamen communi lege eſſe poteſt certus, quòd tali vigeat fide, quia non poteſt eſſe tutus, an habeat charitatem. At ille ſolus qui infantem baptizat, certus eſt, certitudine fidei, in gratiam illum tũc Dei eſſe, ab originali reſtitutum.

42. *QVI pater eſt omnium noſtrum.)* Stultè gloriantur Iudæi in Abraham, ceũ patre peculiari, dicentes apud Ioã. Ioa. 8. nem, nos patrem habemus Abraham, cum is ſit pater omnium noſtrum, quicunque ex quacunque natione profecti, Chriſti fidem amplectimur, quemadmodum teſtatur & ipſe Deus, in lib. Geneſis, dicens.

43. *QVIA pater multarum gentium conſtituite.)* Hoc fuit cum adaucto no- Gen. 17. mine, & pro Abram, dicto Abraham, ait Deus, *(patrem multarum gentium conſtituite.)* (præteritum quòd futuro, prophetarum more, ob certitudinis firmitatem.) ideſt, non illius populi tantũ ſed vniuerſorum qui fidem tecũ mihi dederint. Certè verũ ſit oportet quod locutus eſt Deus. At qui tandem pater erit multarum gentium Abraham, ſi is ad vnicam circunciſorum nationẽ pertinet? imò ſicut Deus, cõmunis eſt omnium ſibi fidentium, ita voluit Abrahã qui Dei typum gerebat, vt Iſaac Chriſti, eſſe patrem, non huius aut illius nationis proprium, ſed communem omnium quas illi fidei affinitas copulaſſet. Et inde eſt, quod iuſtorum omnium locus, in Euangelio Lucæ, Sinus Abrahæ nuncupatur. Luc. 16. Et in Matthæo habetur, quòd Mat. 8. multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob, in regno cœlorum: filij autem regni, ideſt, qui ob carnis circuncisionem tales ſe venditant, eijciẽtur foras. Hũc pertinet & illud quod ad Galat. Gala. 3. inquit Paulus, ſcil. Qui ex fide ſunt, ij ſunt filij Abrahæ. Prouidens enim ſcriptura, quia ex fide iuſtificat gentes Deus, prænunciauit Abrahæ, quia benedicentur in te omnes gentes. Et colligens ait, igitur, qui ex fide ſunt, benedicentur cum fideli Abraham.

44. *Ante Deum cui credidiſti.)* Verba ſunt Pauli declarantis hanc orationem *(conſtitui te,)* ideſt, poſui te, quonam modo? *(ante Deum,)* ideſt, in præſentia Dei: nam licet proles Abrahæ, non erat præſens, ſed futura in te, tamen erat æternitati Dei præſens. Apud Deũ enim, futura perinde ſunt, vt præterita & præſentia. Vel ante Deum, poſitum eſt, ad differentiam illius paternitatis, quæ cognatione circunciſæ carnis propagatur, illa ſiquidem coram hominibus eſt. Quæ autem fide coaleſcit, coram Deo, cuius, vice interpres tranſtulit, *(ante Deum:)* ac ſi diceret, patrẽ multarum gentium conſtitui te, non vtique apud homines, ſecundum quorum iudicium, ſolùm carnalium Iudæorum pater haberis, ſed *(ante Deum,)* ideſt, coram Deo, *(cui credidiſti,)* ideſt, apud quem credendo, hoc meruiſti.

45. *QVI viuificat mortuos, & vocat ea quæ non ſunt, tanquã ea quæ ſunt.*) Nō potuit Abrahã falli credulitate ſua, quandoquidē fiſus eſt illius promiſsis, qui nō ſolùm effœtis dare poteſt fœcunditatem, verùmetiam mortuis vitam reddere, adeò vt poſteà iuſſus occidere filium vnicum Iſaac, in quo vno ſpes omnis poſteritatis erat ſita, nihil tamen addubitarit de fide promiſſoris, à quo ſciebat illum in vitam poſſe reuocari, (*qui viuificat mortuos, & ea quæ non ſunt*) ſcil. in rerum natura, nec naturaliter poſſunt eſſe, *vocat*, ſcil. Deus, ideſt, poteſt vocare in ſuum obſequiū, (*tanquã ea quæ ſunt,*) vel (*quæ non ſunt,*) ideſt, mortalium opinione prorſus nihil ſunt, perindè quaſi ſint aliquid, poteſt ad hàc fœlicitatem aſciſcere. Hoc dictum eſt cō tra Iudæos tumidos, qui ſibi videbantur viuere, & aliquid eſſe. Gentes verò ceù mortuos, & nulla bona re dignos, abominabātur. At his plus præſtat Dei vocatio, quàm illis ſua cognatio. Vox enim Domini in virtute & magnificentia, qua poteſt de quibuſq; lapidibus facere filios Abrahæ.

Pſal.

46. *QVI contra ſpem, in ſpē credidit, vt fieret pater multarū gentiū.*) Digna profectò erat fauore, Abrahæ ſenis fides, qui pollicente Deo fretus, de his rebus certam ſpem concepit, de quibus iuxta naturæ vires, nulla erat ſpes: agnoſcens, ac re teſtans, promiſſoris tùm fidem, tùm omnipotentiam. Nam cum ipſe omni naturæ vigore eſſet ad generandum deſtitutus, Saram quoque contemplarus, quæ non ſolùm in ſua iuuentute ſterilis fuerat, verùm legitimam iam ætatem eſſet ſupergreſſa, nullā inde ſpē prolis naturaliter poſſet concipere, contra hanc (*ſpem,*) ideſt, contra huiuſmodi deſperationis naturales cauſas (*credidit*) Deo (*in ſpem,*) hoc eſt, fidem illi habuit, ex qua ſupernaturali fide perductus eſt (*in ſpem*) ſobolis, quam abnegabat natura. Hiſtoria huius, ſic ſe habet. Dixit Abrahā Domino, Domine Deus, quid dabis mihi? ego vadam abſque liberis, ecce vernaculus meus,

Gen. 15.

hæres meus erit: (quod ob deſperatā facultatem naturalem generandi dicebat.) Cū autem protinùs audiuit ſermonē Domini, non erit hic hæres tuus, ſed qui egredietur de vtero tuo, nihilo cunctantius credidit, nō ſolùm vt vnius tantùm filij pater futurus eſſet, ſed etiam aliorū quàmplurium. Vnde dicit.

47. *VT pater fieret multarum gentium, ſecundum quod dictum eſt ei, Sic erit ſemen tuum, ſicut ſtellæ cœli, & arena maris.*) quaſi dicat, Non dubitauit, cum ipſe eſſet effœtus, & vxorem haberet ſterilem, & iam ſenem, ſe tamen fore patrem multarum gentium, ac poſteritatis autorem tàm numeroſæ, vt ſtellarum multitudinem, & arenam poſſet æquare, quod Deus educto in agrum, cū oſtendiſſet cœlum innumerabili ſtellarum denſitate differtum, dixit: numera ſtellas ſi potes, ſic erit ſemen tuū. Ac ſi diceret, quàm hos ignes numerare non potes, tam erit innumerabilis poſteritas ex te proditura.

48. *VT ſtellæ cœli, & arena maris.*) Differentia filiorum Abrahæ attenditur in his verbis, vt per ſtellas cœli, intelligantur prædeſtinati, qui fidem Abrahæ operibus excolentes, cœleſtibus ſuis ſedibus refulgeant, in ea refulgenti numeroſitate, & claritate, qua ſtellæ fulgent in firmamento. Per arenam maris intelliguntur peccatores, qui ſuſceptam Abrahæ fidem, vel moribus deturparunt, atque adeò fluctibus huius mundi, quaſi cuiuſdam maris, iuſto Dei iudicio opprimūtur: vel prorſus abiecerunt vt hæretici, qui poſtquā ſe ab eccleſia abſciderunt, ita ſe habent inter ſeſe, veluti arena ſine calce, in diuerſas ſecti opiniones, vt nullus cum alio conueniat.

Dan. 12.

49. *ET non infirmatus eſt fide, nec conſiderauit corpus ſuum emortuum, cum iam ferè centum eſſet annorum, & emortuam vuluam Saræ.*) Quemadmodum temperatus homo, oſtenditur non eſſe infirmus, qui magnis concupiſcibilibus non vincitur, ita fidelis vir cognoſcitur

non

non eſſe infirmus, ſed fortis & robuſtus, qui à magnis difficultatibus non ſuperatur. Qua fidei fortitudine D. Petrus, nos præcipit munitos eſſe aduerſus diabolum, cum ait, cui reſiſtite fortes in fide. Talis erat Abrahæ fides, cui cum non probabile, aut ſimile veri tùm videretur ob ætatis imbecillitatem, tamẽ, infirmus licet viribus, (*Non infirmatus eſt fide,*) ideſt, fidei vigore, nec diffidẽtium more, circunſpicere cœpit argumenta, quibus hoc, aut fieri poſſet, aut non fieri. (*Non enim conſiderauit corpus ſuum emortuum, cum iam ferè centũ eſſet annorum,*) hoc eſt, non reſpexit corporis vires iam effœtas, & ad genetandum inualidas, vt qui iam accederet ad annum centeſsimum. (*et emortuam vuluam Saræ,*) ideſt, non conſiderauit ætatem vxoris, cui & ipſi iam per ætatem emarcu erant membra muliebria, vt etiam ſi ipſe gignendi viribus non eſſet deffectus, tamen illa ferendo vtero, eſſet inhabilis.

50. *Emortuum.)* Præter ſuum publicũ ſignificatum, eſt etiam idem quod inualidum, ac viribus exhauſtum ad aliquid faciendum, id quod & effœtum appellatur. Dicitur enim fœta mulier, quæ fœtum edidit, effœta verò illa cuius naturæ vires iam partu laſſatæ, deffecerunt ad concipiendum. Et hoc modo (*emortua vulua*) ideſt, matrix (*Saræ*) affirmatur, non ſolùm propter ſterilitatẽ, ſed etiam propter ſenium eius: deficerant enim iam tunc ei fieri muliebria, vt habetur in Geneſi. Horum autẽ mortificationem, & frigiditatem eleganter Iſaias deſcripſit dicens, Attendite ad Abraham patrem veſtrum, & ad Saram, quæ vos peperit, attendite ad petram vnde exciſi eſtis, & ad cauernam laci, ſeu loci, de quo præciſi eſtis. Nec refert quod poſt mortem Saræ, Abraham duxerit vxorem Cethuram, quæ etiam genuit ei filios, vt habetur in Geneſi: nã per miraculum fuit ei reſtituta vis generandi: & quantum ad Saram, & quantũ ad omnes mulieres. Licet Aug. & Hiero. dicant, quòd licet Abraham deſtitutus eſſet virtute generandi ex Sara anti-

Gen. 18. *Iſai. 51.* *Gen. 25.* *Hiero. in hoc loco.* *Aug. ſu-per Gen. q 35. li. 1.*

qua, non tamen ex Cethura iuuencula. Solent enim ſenes ex iuuenculis mulieribus prolem gignere, non autem ex antiquis quæ ſunt minus aptæ ad concipiendnm. Sed primum eſt melius, vt ait D. Tho. *Tho.*

Quod verò legitur in Gene. quòd Abraham, audita pollicitatione prolis, cadens in faciem ſuam riſerit in corde ſuo dicens, Putans ne centenario naſcetur filius? & Sara nonagenaria pariet? Non facit contra dictum Apoſtoli dicẽtis, quòd Abraham non conſiderauit, &c. Nam cum primum Dei vocem audiuit, ſecum reputauit naturæ imbecillitatem, nihil tamen hæſitauit de diuina omnipotentia, ſed forſitan de verborũ ſenſu, an is eſſet, quem prima fronte oſtendebant: quemadmodum beata Virgo non dubitauit, ſed modum percontando ait, quomodo fiet iſtud? At verò cum iterum dictum eſt ei, quod vetè Sara eſſet paritura, adeò firmiter credidit, ac ſi nullum haberet naturæ impedimentum ad generandum. *Gen. 17.*

Porrò his verbis, duo nos latent myſteria memoriæ maximè commendanda. Primum eſt Redemptoris naſcituri ex Virgine, quæ nullo ſuſcepto ſemine, obumbratione Spiritus ſancti, ipſum cõcepit, & mirabiliter peperit, quemadmodum Abrahæ centenario, & Saræ nonagenariæ, ſuprà omnem naturæ ordinem, natus fuit Iſaac. Alterum eſt Chriſtianorum, qui per fidem Abrahæ adoptamur in filios Dei. Non enim tãtum beneficium proprijs naturæ viribus nobis contingit, ſed illius gratia & voluntate, qui præter facultatem naturæ, ſobolem propagauit Abrahæ. Cuius ideò fides adeò commendata eſt, dataque omnibus in exemplum, vt quoties calamitas, ingensq; periculũ opprimat nos, curramus ad Dominum, apud quem nõ eſt impoſsibile omne verbum, vt dixit Archangelus Gabriel, nec poteſt deſſicere cuiquã, qui vero corde fidat in eo.

51. *IN repromißione autem Dei, non hæſitauit diffidentia, ſed confortatus eſt fide, dans gloriã Deo, pleniſſimè ſciens, quia quæcunque promiſit Deus, potẽs eſt facere, adeò*

idéò & reputatum eſt illi ad iuſtitiam.)
In repromiſsione quam de ſuæ poſteri-
tatis multiplicatione, & potentia, ſeu
exaltatione acceperat Abraham. (*non
hæſitauit diffidentia*) ideſt, nihil diffiſus
eſt, (*ſed*) toto pectore fretus promiſsis
Dei, (*confortatus eſt fide,*) fuitque tàm
fide robuſtus, quàm corpore inualidus:
de ſua virtute deſperans, de promiſſoris
virtute certiſsimam ſpẽ obtinuit. Qui-
bus vtique verbis Abraham compurga-
tur ab omni ſuſpicione infidelitatis, &
hæſitationis. Et fortè alludit Apoſtolus
ad illud ſignum quod Abraham vole-
bat, cum pollicerctur illi Deus terram
Gen. 15. Chaldæorum, tunc ſignum popoſcit di-
cens, Vnde ſcire poſſum quod poſſeſſu-
rus ſum eam? Ait modo Paulus, nil tũc
Abraham hæſitaſſe, ſed potiùs fide ma
ximè confortatum eſſe. Siquidem cum
morem Dei agnouiſſet, qui fœdera ſua
& pacta, dato aliquo ſigno ſtabilire con
ſueuerit, vt apparet in arcu exhibito
Iſai 7. Noe, in monimentũ pacis: & in Achaz,
qui iuſſus eſt ſignum petere, reprehen-
ſusq; à Deo, quod iuſsionem renuerit.
Abraham nihil hæſitans, ſignum etiam
efflagitauit, quod eſſet promiſsionis ſta-
bilimentum. Ad rem igitur venientes,
cum Apoſtolus ſuperiùs dixiſſet, quòd
Abraham non infirmatus eſt fide, maio
ri hic commendatione idipſum confir-
mat dicens, eum fide confortatũ in re-
promiſsione Dei, quia nõ ſemel, aut bis
à cap. 12. vſque ad 22. Geneſ. iterata
eſt illi Dei promiſsio.

52. *Dans gloriam Deo, pleniſſimè ſciẽs,
quia quæcunque promiſit Deus, potens eſt
et facere*) Vide pulchritudinem & puri-
tatem fidei Abrahæ, nulla propria ia-
ctantia, aut hæſitatione humana per-
mixta fuit. In beneficijs ſibi conceſsis,
aut promiſsis factis, nihil ſibi vindica-
uit, ſed totam gloriam, ac laudem vni
Deo tranſcripſit. Dedit inſuper gloriã
Deo, dum ſua inconcuſſa fiducia eum
ſimul & veracem teſtatus eſt, qui nolit
quemquam fallere, & omnipotentem,
qui præſtare poſsit quidquid eſſet pol-
licitus, quantùlibet illud humanas vires
excederet. Qui enim Deo fidem negat,
impientiſsimè detrahit honori, & exiſti
mationi ipſius, qui ſumma ipſaq; per ſe
veritas eſt, cui ideò ſubeſt poſſe cum
voluerit, & apud eum nihil eſt impoſsi-
bile. Qui verò incunctanter ei fidem
præſtat, gloriam illi & laudem dignam *Sap. 12.*
tribuit. *Luc. 1.*

53. *Ideò & reputatum eſt illi ad iuſti-
tiam.*) Effectus fidei Abrahæ, fuit vtiq;
vera iuſtitia, qua apud Deum verè iu-
ſtus habitus eſt. Deus enim qui no-
ſtris officijs nuſquàm eget, gloria fidei
noſtræ potiſsimum delectatur, ideò fi-
des perfecta imputatur ad iuſtitiam,
quemadmodum Abrahæ, qui perfectè,
& firmiter ſermonibus Dei fidẽ habuit,
vt inquit diuina ſcriptura. Vbi notan-
dum, quod iã ſæpe admonuimus, quòd
fides quæ imputatur ad iuſtitiam, ſem
per intelligitur de fide viua, quæ per
charitatem operatur. Nam quæ ſine
charitate eſt, tanquam mortua non vi-
uificat, nec iuſtificat.

54. *NON eſt autem ſcriptum tantùm
propter ipſum, quia reputatum eſt illi ad
iuſtitiam, ſed & propter nos, quibus repu-
tabitur credentibus in eum qui ſuſcitauit
Ieſum Chriſtum dominum noſtrum à mor-
tuis.*) Quidquid de commendatione fi-
dei Abrahæ (*ſcriptum eſt,*) id non vnius
Abrahæ gratia ſcriptum eſſe arbitran-
dum eſt, (*quia*) pro quòd, (*imputatum
eſt,*) ideſt, fides illi imputata eſt (*ad iu-
ſtitiam,*) neque enim hoc tantùm agit
diuina ſcriptura, vt Abrahæ gloriæ con
ſulatur (*ſed & propter nos,*) ideſt, vt no-
bis Abrahæ nepotibus pateret exem-
plum, (*quibus reputabitur, &c.*) quaſi di
cat, perſpicuum fiat vniuerſis, vt quem-
admodum Abraham firmæ fiduciæ cõ-
mendatione, citra legis patrociniũ, aut
adminiculum aſſequutus eſt, vt apud
Deum iuſtus haberetur, ita nec nobis
hoc à legis obſeruatione petẽdum eſſe.
Ille iuſtus dictus eſt quod credidit Deo:
nobis non aperitur alius ad iuſtitiam
aditus, niſi vt credamus ipſi (*in eum,*)
ideſt, in eundẽ Deũ, qui quod Abrahæ
pollicitus eſt in typo Iſaac, id nobis
præſtitit in Chriſto Ieſu domino noſtro,
(*quem ſuſcitauit à mortuis*) declarans nõ
fruſtrà

fruſtrà credidiſſe Abrahã eum eſſe qui vitam daret & mortuis, & ea quæ non ſunt, perinde reuocet, quaſi ſint.

Meminit autẽ Apoſtolus mortis Chriſti, vt veram aſsignaret cauſam iuſtitiæ & ſalutis noſtræ. Haud enim fides, vel Abrahæ, vel noſtra, pro iuſtitia haberetur apud Deum, niſi qua ratione ſubnititur paſsioni Chriſti, quod & Abraham lumine fidei cognouit dum filium pararet ad ſacrificium, qui, ariete mactato, ſeruatus eſt. Illud quippe, vaticinium fuit æterni patris, qui vnicum ſuũ pro nobis prius tradidit, poſt verò ſuſcitauit à mortuis. Ideò ſubdit.

55. *QVI traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.)* Mors Chriſti fuit cauſa meritoria, efficiens, & exemplaris noſtræ iuſtificationis. Cũ enim humanitas Chriſti, eſſet quodammodo inſtrumentum diuinitatis eius, vt Damaſcenus dicit, *Damaſ.* Omnes paſsiones & actiones humanitatis Chriſti, ait D. Tho. *Tho.* fuerunt nobis ſaluiferæ, vtpotè ex virtute diuinitatis prouenientes: ſed quia effectus habet aliqualiter ſimilitudinem cauſæ, mortem Chriſti, qua extincta eſt in eo mortalis vita, dicit eſſe cauſam extinctionis peccatorum: reſurrectionem verò, quæ eſt triumphus Chriſti glorificati, *Phil. 2.* & nihil habet meriti, ſed multum præmij, qua ipſe rediit ad nouam vitam gloriæ, dicit eſſe cauſam iuſtificationis noſtræ, qua ipſi redimus ad nouitatem iuſtitiæ: atque adeò reſurrectio eſt tantùm cauſa exemplaris illius.

CHRISTO igitur non Moyſi iuſtitiam & innocentiam noſtram acceptam feramus opportet, *(qui traditus eſt,)* & à traditore Iuda, ex auaritia: & à perfidis Iudæis, ex inuidia, *Mat. 20* ſicut fuit olim Ioſeph à fratribus ſuis, *Gen.* qui eum in puteum miſerunt, & inde extrahentes vendiderunt in Ægyptum. Traditus eſt & *Rom. 8.* à patre ſuo, ſed ex ardentiſsima charitate: *Eph. 5.* & ex eadem à ſeipſo, qui ſponte ſeſe tradidit in mortem, *(propter delicta noſtra.)* ideſt, vt gratis noſtra dilueret cõmiſſa, *(& reſurrexit,)* ſcil. idem, hoc eſt, reuixit excitatus à mortuis, *(propter iuſtificationem noſtram,)* ideſt, vt à mortuarijs factis abſtineremus, neq; poſthàc peccaremus, ea rurſus committentes, ob quæ ille mortẽ oppetiiſſet. Mortuus eſt inquam, vt in nobis culpam occideret, & reſurrexit à mortuis, vt pri* per illum mortui priſtinis culpis, mox vnà cum illo & per illum in baptiſmo reſuſcitati in nouam vitam, deinceps iuſtitiæ viuamus, quam illius beneficio accepimus. Traditus eſt ſplendor gloriæ, vt lumine gloriæ illuminaret tenebras miſeriæ noſtræ. Imago Dei tradita eſt, vt imaginem hominis, ideſt, mentẽ noſtram reformaret. Vita tradita eſt, vt homo non amitteret vitam. Reſurrexit propter iuſtificationẽ noſtram, hoc eſt, vt per reſurrectionem credentes eũ eſſe Deum, autorem ſuæ, & noſtræ futuræ reſurrectionis, iuſti haberemur per hanc fidem apud ipſum. Sed heù, magna pars hominum hac iuſtitia caret, quia ſic viuunt hodiè Chriſtiani, quaſi nihil crederent. Fatentes enim ſe noſſe Deũ, factis autem negant. Sic viuunt ingrati, quaſi nunquam pro ipſis Chriſtus mortuus eſſet. Sed væ ingratis, tradentur, *Pſal.* iuxta Prophetam, in manus gladij, & gladius iræ Dei deuorauit eos, & partes vulpium erunt in inferno.

ARGVMENTVM QVINTI CAPITIS.

DOCET Diuinus Apoſtol', quòd iuſtificati fide, glorietur in afflictionib', nec omninò quidpiam vereatur, ob immenſam in ſe Dei & Chriſti charitatem: qui etiam nos inimicos, patri reconciliauit, & mortẽ per Adæ peccatum inuectam, commutauit in vitam. obiter autẽ de tyrãnide peccati attingit, quam Dei & Chriſti gratia extinxit.

CA-

¶ CAPVT. V.

IVSTIFIcati igitur ex fide, pacem habeamus ad Deũ, per Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum, per quẽ acceſſum habemus per fidem in gratiam iſtã, in qua ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei.

¶ EXPLANATIO.

1. *Iuſtificati igitur ex fide, pacem habeamus ad Deum.*) Poſtquam Apoſtolus pertractauit cauſam, quare nemo corũ ex operibus iuſtificatus ſit, ſed omnes ex fide, quod exemplo Abrahæ probauit, cuius ſe filios eſſe ſolos, Iudæi ſe iactabant, oſtenditq́; ratione quòd non genus nec circuncißio, ſed fides faciat veros Abrahæ filios, qui per fidem iuſtus eſt conſtitutus apud Deum: qua ratione concluſa, pacem nunc eos habere hortatur, quia nemo ſuo merito, ſed omnes æqualiter Dei gratia ſunt ſaluati: & ſumitur hîc pax, nó ſolùm pro amicitia, quæ eſt apud Deum, verùm & pro animi tranquillitate, quæ pariter eſt fructùs fidei. Cum ergo ſola peccata ſimultatem pariant inter Deum & homines, (*iuſtificati*) inquit, ideſt, poſteaquàm ex impijs, & peccatoribus iuſti facti ſumus, idq́; nec per legẽ Moſaicam, quæ occaſionaliter magis augebat offenſas, nec factorum noſtrorum merito, ſed ad exemplum patris noſtri Abrahæ (*ex fide,*) ſcil. quæ per charitatem operatur, ſola enim hæc, parit nobis veram iuſtitiam. (*habeamus*) exhortatorium eſt verbum, hoc eſt, retineamus, ſeruemus, cuſtodiamus, *pacem*, non quidem mundanam quæ crudelis eſt, & carnis amica, & valde periculoſa, ſed Chriſtianam, quæ ſpiritus, & eſt (*apud Deum*) à Chriſto pro teſtamento relicta, & valde commendata prope mortem ipſius. Mundana verò pace ab eodem damnata & reprobata, de qua intelligitur illud, Non veni pacem mittere, ſed gladium. Chriſtiana pax, in mãdatorum obſeruatione conſiſtit. Nam pax multa, inquit regius Vates, diligen- *Pſal.* tibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum. Mundana verò, rebellis & inobediens præceptis ipſius, hæc eſt proles Sathanæ, illa fidei Chriſti. (*Pacem ergo habeamus ad Deum,*) hoc eſt, Deo humiliter ſubijciamur, & noſtram volũtatem diuinæ ordinationi in omnibus ſubmittamus, quieti & tranquilli ſemper exiſtẽtes in Deo. Illuſtre nomen & glorioſum valde filiorum Dei, ſortiti ſunt pacis amatores, dicente Chriſto, Beati pacifi- *Luc. 2.* ci, quoniam filij Dei vocabuntur. Hic eſt fructus optimus, de quo Propheta, acquieſce Deo, & habeto pacem, & per hoc habebis fructus optimos. Pax igi- *Iſa. 48.* tur optima rerum, quas homini natura dedit, vt dixit quidam poeta.

2. *PER Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum*) Non per Moyſen, aut per alium purum hominem, ſed per filium Dei vnicum, (*Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum,*) Contingit pax, & omne bonum. Ipſe enim eſt pax noſtra, eſt DEVS & homo, mediatorq́; vtriuſq́;, quod nobis magno debet eſſe ſolatio, talem ſcil. habere mediatorem.

3. *Per quem acceſſum habemus per fidem in gratiam iſtam.*) Redemptor noſter Ieſus Chriſtus, exiſtens in terra factus homo, & noxias noſtras ſuo ſanguine diluens, morteq́; ſua, Deum nobis, ante ob cõmiſſa noſtra infenſum, reconcilians, aperuit nobis aditum, vt intercedente fide, citra legis, aut circuncisionis adminiculum, ad hanc Euangelij gratiam perduceremur. Vnde dicit, (*per quem,*) ideſt, quo mediante, (*acceſſum habemus per fidem,*) ideſt, credẽtes, (*in gratiam iſtam,*) Euangelij ad quam vocati ſumus. quæ quidem eſt, gratia adoptionis filiorum Dei.

4. *IN qua ſtamus.*) In perſona iuſto-

rum

rum loquitur, quorum eſt ſtare firmi, per fidem viuam. Nam quemadmodum ſuperiùs dixit, quod iuſtus viuit ex fide, ita & nunc dicit, quòd per fidem ſtat: ad quem pertinet illud, Qui ſtat, videat ne cadat. Impij & peccatores, non ſtant,
Pſal. niſi in via peccatorum, miſerabili cæcitate affecti. Sed quid retribuet homo
Pſal. Domino, pro tãto dono fidei, cuius eſt, erigere collapſos, firmosq́; eos tenere, illuminare eos qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedent; & Dirigere pedes eo-
Luc. 1. rum in viam pacis.

5. *Et gloriamur ſpe gloriæ filiorum Dei*) Hæc gloria debetur etiam fidei, quæ facit pios non ſolùm ſtare animis alacres & erectos, pacemq́; illis eſſe cum Deo; verumetiam gloriari ſpem certiſsimam oſtenſam, fore vt per fidei viuæ perſeuerantiam, fruantur aliquando gloria Dei: quæ quidem nunc interim in eis inchoatur per ſpem, nam ſpe, inquit
Rom. 8. Paulus, ſalui facti ſumus. Sed obſerua hic pie Lector, quàm præſtantior ſit Chriſtianorum gloria, omni alia hominum gloria. Nam Iudæorum gloria in circunciſione, carnalis eſt. Gentilium gloria in ſimulachris, falſa eſt. Mundanorum gloria, terrena, innutilis & inanis eſt. At verò Chriſtianorũ gloria ad ſpiritum pertinet, cœleſtis & diuina eſt, atque adeò valde vtilis, vtpotè quæ de bonis cœleſtibus, & diuinis, & æternis eſt.

6. *NON ſolum autem, ſed & gloriamur in tribulationibus.*) Vehementiam apoſtolicæ, ſeu perfectæ ſpei, opportet hic maximè conſiderare. Nam qui vehemẽter aliquid ſperat, libenter ſuſtinet grauia & amara, propter illud, quemadmodum infirmus, ſi vehementer ſperat ſanitatem, libenter bibit potionem amaram, vt ſanetur per ipſam. Signum ergo vehementis ſpei, quam habemus propter Chriſtum eſt, quod non ſolùm gloriamur in ſpe futuræ gloriæ, ſed etiam in malis quæ pro ipſa patimur. Quod vtique ad magnam fidei facit commendationem. Nam in Philoſophorum inſtitutis fuit apud gentes, vt vtranque fortunam æquo animo ferrent, ne diuitiarum honorumq́; affluentia, aut ærumnarum, laborumq́;, & calamitatum incurſus, mentẽ perturbarent. At, quòd ex preſſuris & mundi procellis voluptatem etiam caperemus, inauditum fuerat mortalibus, antequàm ab ore audirent diuino, beati pauperes. Beati qui *Mat. 5.*
lugent, & qui perſecutionem patiuntur. Nunquam ergo pœnitebit perfectos Chriſtianos fidei ſuæ, quæ fructum adfert tanto vberiorem, neque gloriæ ſuæ, cuius ſpe interim fulciuntur, & eriguntur. Quæ quidem ſi nondum apparet, & ſi ad eam, multa ferendo perueniẽdum eſt, tamen has ipſas afflictiones, interim ſibi laudi, gloriæq́; ducũt, quas & glorioſo titulo patiũtur, nempè propter Dei honorem, Apoſtolorum inſtar, qui flagellis cæſi, ibant gaudentes à cõſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine I E S V contumeliam pati. Quæ etiam ad immortalitatem aperiunt nobis aditum: nam per multas
tribulationes opportet nos introire in *Act. 14.*
regnum cœlorum. Nam ſi opportuit Chriſtum ducem noſtrum pati, & ita intrare in gloriam ſuam, nos milites, & ſerui, qua ingrediemur in gloriam non noſtram, ſed Chriſti domini noſtri?
certè non per aliam, quàm per portam *Pſal.*
tribulationis & doloris. Nam hæc porta Domini, iuſti intrabunt in eam. Eſt igitur adeò ineffabilis magnitudo iſtius præmij, vt ſola eius conſideratione, roboratur fides, erigitur ſpes, flãmeſcit igne charitas, excitantur virtutes, & cũcti mundi labores, leues, lætique redduntur. Vnde Iacobus, Omne, inquit, *Iac. 1.*
gaudium exiſtimate fratres chariſsimi cum in varias tentationes incideritis. Adhæc, eſt perfectæ dilectionis probatio, læta laborũ tolerantia. Nulla enĩ maior dilectio, quàm ea qua libenter
patimur propter amicum: ideò Sap. Va- *Eccl. 27.*
ſa, inquit, figuli probat fornax, & homines iuſtos tẽtatio tribulationis. Et hinc eſt, quòd perfectiores in hoc mundo, maioribus ſunt deſtinati laboribus, vt in cœlo etiam maiori afficiantur hono-
re. Potaſti nos, ait Dauid, lachrymis in *Pſal.*
menſura, ſic vt maiori Dei amico, contingat maior menſura, non quidem bonorum

norum huius mundi, ſed dolorum, & lachrymarum. Conſtat hoc, exemplo Chriſti, & beatiſsimæ matris eius, qui cũ Deo eſſent chariores, pondus omne tulerunt doloris. O vos omnes qui trãſitis per viam, inquit filius Virginis, loquens ad cunctos mortales, qui per hunc mundum, tanquàm per quandam laborum viam, ſunt tranſeuntes, videte ſi eſt dolor, ſicut dolor meus? quaſi dicat, non eſt, nec fuit, nec eſſe poteſt. Poſt filium, matrem proculdubio, doloris gladius pertranſiuit, iuxta Vaticinium ſancti ſenis Simeonis. Hos ſequũtur Apoſtoli ſancti, qui cum primitias ſpiritus accepiſſent, acrioribus moleſtijs, & crudelioribus tortoribus vitam conſumarunt. Et ſic de omnibus Chriſtianis dici poteſt, quibus pro gratia, & dilectione Dei, contigit & menſura laborum.

Gaudeant ergo pauperes, & afflicti propter Chriſtum, quoniam in theſauris cœleſtibus, quàmplures, & inſtimabiles habent diuitias reconditas. Timeant diuites, quibus omnia pro voto contingũt in hoc mundo, agant ſpontaneam pœnitentiam, ne cum hoc mundo dãnentur. Turpe enim eſt, vt ait Auguſt. velle
Aug. cœlorum regnum adipiſci, abſq; lachrymis, & pœnitentia. Caueant peccatores, qui in bonis ducentes dies ſuos, ne in
Iob. puncto ad inferna deſcendant. Caueant
Luth. quoque perfidi Lutherani, qui meritũ operum demoliri contendunt, cum nõ alia de cauſa diuinus Apoſtolus doceat, gloriandum in tribulationibus, in afflictionibus, & hoſtilibus pugnis, vt ſi victoriam Deus fauore ſuo & ope tribuerit, in meritum nobis cedant fœlicitatis æternæ. Cauſa enim ſpei in qua dixit gloriandum, eſſe non poteſt, niſi in ratione meriti, ad quod & illud pertinet, Quod in præſenti eſt momẽtaneũ,
2.c.4. & leue, tribulationis noſtræ, æternum gloriæ pondus, ſupra modum in ſublimitate, operatur in nobis. Et beatus
Amb. Ambro. cauſam, inquit, cur gloriandũ ſit in tribulationibus, hanc ſcribit Paulus, quod tribulatio augmentum faciat præmij. Et idem, contemnere præſentia, & in preſſura non cedere, magni meriti eſt apud Deum.

7. *Quoniam tribulatio, patientiam operatur.*) Hoc nouum exemplũ à Chriſto ſumpſimus, hanc eximiam doctrinam ab eodem accepimus, quòd tolerandis malis, corroboratur tolerantiæ virtus. Meritò ergo gloriandum in tribulationibus, (*quoniam tribulatio patientiã operatur,*) qua vnuſquiſque erit Dominus ſui ipſius, dicente Domino, In patientia veſtra poſſedebitis animas veſtras. Non quod tribulatio directè, vt aiunt, operetur, & efficiat patientiam, Deus enim eſt, qui per ſuam gratiam operatur in nobis velle & perficere, id eſt, omnem virtutem, ſed tanquam materia in qua verſatur. Aflictiones enim ad patiẽtiam nos exercent, quibus illa vegetatur, & vt dictũ eſt, corroboratur, veluti conflictu belli, augetur fortitudo, inſtar lignum palmæ, quod contra molem ſuperpoſitum aſſurgit, cuius proinde ramus, dari conſueuit victoribus triumphantibus.

8. *Patientia probationem.*) Beatus Iacobus contrario modo poſuit hæc verba, dum ait, probatio fidei veſtræ, patiẽtiam operatur, ſed idem dicit vterque. Idem enim apud Jacobum probatio, quod apud Paulum tribulatio; ſiue tentatio. Probatio verò apud Paulum, accipitur pro eo quod eſt, probatum, exploratumq; eſſe, id quod effectus eſt patiẽtiæ. Nam malorum tolerantia, indiciũ & examen eſt verum, cuiuſdam infracti animi, quique anchora diuinæ gratiæ Deo firmiter adhæret. Probè ergo, inquit, (*patientia probationem.*) ſcil. operatur. Nam velut aurũ igni, tolerantia reddimur Deo & hominibus ſpectatiores, & probatiores. Vnde in Pſalmo di- *Pſal.12.*
citur, Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte, igne, ſcil. tribulationis me examinaſti, & non eſt inuẽta in me iniquitas.
Et in Eccleſiaſtico, In dolore ſuſtine, & *Eccl.2.*
in humilitate patientiam habe, quoniã in igne probatur aurum & argentum, homines verò receptibiles in camino
humilitatis. Item in Prouerb. Doctrina *Pro.19.*

viri

viri per patiētiam noſcitur. Huius probationis ratio eſt, quia, manifeſtum eſt, vt ait S. Tho. quòd detrimentum alicuius rei, de facili ſuſtinemus, propter id quod magis amamus. Vnde ſi aliquis in temporalibus & corporalibus, patienter ſuſtinet malum propter bona æterna, ſufficienter ex hoc probatur, quòd talis, magis amet æterna, quàm temporalia. Verus igitur theſaurus Chriſtiani viri, non auro, aut argento, aut lapidibus præcioſis, ſed laboribus copioſis, & varijs tribulationibus pro Chriſto ſumptis, debet eſſe refertus. *Tho.*

9. *Probatio verò ſpem.)* Quia quo pluribus malis fuerimus probati, hoc firmior præmij ſpes, nobis naſcitur. Et reſpicit ad id quod dixerat, Gloriamur ſpe gloriæ filiorum Dei: vt doceat qualis debeat eſſe animus ſperantis illam cœleſtem dignitatem filiorum Dei. Nō enim debet eſſe nudus bonitate, hoc eſt, ſine multis bonis operibus, prout perfidi Lutherani mentiuntur, docentes, ſola fide iuſtificari homines, certiſſimiq; per eam protinus fieri ſuæ iuſtitiæ. Spes enim abſque bonitate, non verè dicitur ſpes, ſed præſumptio, cuius proinde non eſt bona gloriatio. Parens veræ & bonæ ſpei, vt hîc docet Paulus, eſt *(probatio,)* & experimentum operum fidei, quod vtrique & ipſa ſatis comperrum eſt. Vnde Aug. Qui vult, inquit, habere bonam ſpem, habeat bonam conſcientiam, vt autem habeat bonam conſcientiam, credat, & operetur. Et Chryſoſt. Tribulatio, ſpem in nobis vigere facit. Ex probatione igitur, in afflictionibus, conſtantior ſpes noſtra redditur, & ſecurior. *Aug. Pſ.31. in prolog. Chryſ.*

10. *Spes autem non confundit.)* ideſt, non pudefacit. Pudore enim afficitur, qui quod diu, patienterq; expectauit, tandem non aſſequitur: quod ijs accidere ſolet, qui vanam in hominibus ſpē collocant. Sunt enim mendaces, propter quod ſcriptū eſt, Maledictus homo, qui confidit in homine. Sed ſpes Chriſtiana, minimè poteſt fallere, aut deſtituere, vt apud impios pudeat credidiſse. *Pſal. Hie..17.*

Tùm, quia in Deo eſt, qui nec falli, nec fallere poteſt, cuiq; nec facultas deeſt, nec benefaciendi voluntas. Tùm, quia amicis ſuis deeſſe non poteſt, prout regius Vates Dauid, vnus ex Dei intimis teſtatur dicens, in te Domine ſperaui non confundar in æternum. Amici Dei, ſunt omnes illi obtemperantes. Nam ſi quis, inquit filius Dei, diligit me, ſermonem meum ſeruabit. Ideò obedientes Deo, non confundentur, iuxta illud, Qui audit me, non confundetur. Amici quoque ſunt, qui in virtutis operibus aſsiduè ſe exercent coram Deo, ideò huiuſmodi non confundentur, iuxta illud, Ego Dominus, ſuper quo non confundentur, qui expectant eum, ideſt, qui beneuiuentes confidunt in eo. Pignus ergo certiſsimum Chriſtianæ ſpei, eſt verus charitatis amor, quo homines, amici Dei conſtituuntur: hunc qui habuerit, minimè confundi poteſt ab eo quod ſperat. Vnde dicit. *Pſal. Ioa.14. Eccl.24. Pſal.49.*

11. *QVIA charitas Dei, diffuſa eſt in cordibus noſtris.)* Charitas, idem eſt, quod amicitia Dei, ob idq; indiuidua comes gratiæ. Hæc eſt prima noſtræ ſalutis cauſa, & initium habet in Deo. Non enim quia boni nos primùm ſumus, ab ipſo diligimur, (vt mentitur Pelagius,) ſed per ſuam nos ipſe dilectionem, efficienter, & per gratiam formaliter, bonos facit & iuſtos, ſuosq; conſtituit dilectores per infuſam in nos charitatem. Nam quis prior dedit illi, & retribuetur ei? item, Charitate perpetua dilexi te, ideò attraxi te. Et in hoc eſt charitas, inquit Ioa. non quaſi nos dilexerimus Deū, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos. Item, Non ſumus ſufficiētes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Et per ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit: & cætera id genus quàmplurima. Hæc autem charitas, qua Deus ipſe nos diligit, dicitur in nobis diffundi eo loquendi modo, quo cauſa per effecta diffunditur, ſicut bonitas & ſapientia Dei dicuntur diffuſa ſuper omnia opera ſua, & liberalitas principis, licet in ipſo perſiſtat, dicitur per beneficia in ciues diffundi. *1.Ioa.4.*

fundi. Sed eſt maximè obſeruandum in eo quod dicit, Diffuſa in cordibus noſtris, quaſi dicat, non ſolùm foris, ad opera exteriora rectè agêda exhibita eſt, verumetiam abundantiſsimè impreſſa cordibus noſtris, quæ nos illum redamare compellat. Hæc quidem multis vijs poteſt donari nobis, maximè tamen datur in ſacramentis Eccleſiæ, quæ ſunt veluti quædam vaſa gratiæ Dei, ſeu potius ſunt fontes Saluatoris, de quibus *Iſai.* cum gaudio haurienda eſt hæc cœleſtis aqua. Cauſa verò principalis huius tanti beneficij, non ſunt merita noſtra, vt dictum eſt, ſed Spiritus ſanctus. ideò addit.

12. *Per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.)* Cuncta Dei dona, cõmunia quidem ſunt totius Trinitatis, ſed Spiritui ſancto attribuuntur, eo quòd ſola diuina voluntate donentur, per cuius ſcil. voluntatis modum, Spiritus ſanctus à Patre & Filio ſpiratur, & inter cætera, charitas illi peculiari ratione aſcribitur, nimirùm, quia per eum qui nexus amoris eſt Patris & Filij, ſtatuit nos Deus, & inter nos & ſecum, amore conglutina- *Ioa. 17.* re. Vnde Saluator noſter, ſuis precibus à Patre hoc poſtulans dicebat, vt ſint vnum in nobis, ſicut, & nos vnum ſumus. In hoc autem quod dicit, (*per Spiritum ſanctum,*) auxilium ſupernaturale deſignat neceſſarium ad redamandum Deum, non vt cauſam primam rerum naturalium (quod generali Dei auxilio, per vires noſtras agere valemus,) ſed tãquam cauſam ſupernaturalem rerum ſupernaturalium, quas fides Chriſtiana nos docet. Quod verò ait (*datus*) donum gratuitum ſignificat, mereri enim naturaliter non poteſt. Datur autem Spiritus ſancti, non quidem ſecundum *Mag.* ſubſtantiam, vt Magiſter ſententiarum opinatus eſt: ſi enim ſecundum ſubſtãtiam ineſſet, nullo eſſet alio opus habitu charitatis: ſed datur in effectu ſuo, nimirùm in charitate, quã in nos effunditur. At verò licet humanis meritis, ille nobis non detur, datur tamen Chriſti meritis, qui morte ſua hoc meruit: & ſic datur in ſacro baptiſmo, iuxta illud, *Tit. 1.* Saluos nos fecit per lauacrũ generationis, & renouationis per Spiritũ ſanctũ, quem effudit in nos abundè. Hoc igitur donum, ſimul poteſt dici, & gratia, & iuſtitia, gratia quidẽ ex parte noſtra qui nihil meremur. Iuſtitia verò, ex parte Chriſti, qui ſanguine ſuo cuncta nobis meruit, nam factus eſt nobis iuſtitia, *1. Cor. 1.* ſanctificatio, & redemptio.

Ardentiſsimam Dei erga nos charitatẽ oportet hic conſiderare, qui cum bonorum noſtrorũ non egeat, non ſolùm charitatem qua illum reddamemus, (quod fuit ſignũ vehementiſsimi amoris, velle, ſcilic. amari ab amato,) ſed & ipſum Spiritum ſanctum in charitate, ſicuti cauſam in ſuo effectu, nobis contulit. Neque ſolùm in cordibus noſtris per charitatem, ſed & eccleſiæ ſuæ in Petro & ſucceſſoribus, tanquam magiſtrum veritatis, vt non deficeret fides ſua, & in omnibus etiam Apoſtolis, tùm ad remittendum peccata, tùm, in die Penthecoſthes, ad prædicandum Euangelium omni creaturæ per vniuerſum orbem: quò cenſet Ambr. reſpexiſſe *Amb.* Paulũ, nam inde illuſtrata eſt plurimũ fides noſtra, ſpesq; valde corroborata. Igitur Spiritus ſanctus non eſt datus in perſona, ſicuti Chriſtus, quem nobis dedit Pater factum hominem.

Hinc quoque poteſt colligi excellentia Euangelij ſuprà legem veterem, vbi frigida litera tantùm data eſt, pro qua in Euangelio datus eſt nobis Spiritus ſanctus, velut arra promiſsi: cuius proinde ſpes, non poteſt confundere.

13. *VT quid enim Chriſtus, cum adhuc infirmi eſſemus, ſecundum tempus pro impijs mortuus eſt?)* Poſtquàm oſtendit firmitatem ſpei Chriſtianæ per donum Spiritus ſancti, hic corroborat eandem ſententiam argumento mortis Chriſti, qui tempore quo mundus laborabat imbecillitate & infirmitate, ſuiſq; erat cupiditatibus obnoxius, quas lex irritare poterat, coercere non poterat, volẽte Patre, deſcendit in terras, & aſſumpto mortali corpore, pro nobis mortem oppetiuit, non ſolùm imbecillibus, & inutilibus, verumetiam (*impijs,*) id eſt idolis ſeruientibus, multiſq; alijs flagitijs opple-

opletis, (*mortuus*, inquir, *eſt ſecundũ tẽpus.*) ideſt, præfinito à Patre tempore, vel in tempore & opportunè, cum ſcil. omnia eſſent infidelitate concluſa: vel ad tempus, ſcil. triduum, quo moraretur in morte, die autem tertia exiret de ſepulchro, ſicut exiuit Ionas de ventre Ceti. Ad quid ergo totum hoc cõtigit, Chriſtum, ſcil. ad tempus pro impijs mori, niſi vt in ſpem nos erigeret firmiſsimam? non enim poteſt eſſe tam magnum quid, niſi propter aliquẽ certum & magnum fructum. Similis huic eſt quæſtio illa Pſalm. quæ vtilitas in ſanguine meo dum deſcẽdero, &c. quaſi dicat, nulla, ſi non ſequatur humani generis ſalus, ſi non per eius mortem vellet Pater vitam conſequi.

Mat. 12

Pſal.

14. *VIX enim pro iuſto quis moritur: nam pro bono forſitan quis audeat mori.*) Ab exemplis humanis ſumit argumentum, quo mirabilem Dei amorem erga homines, clariùs manifeſtet. Cum enim virtus verſetur circa difficile, tanto illa erit præclarior, quanto difficiliùs id circa quod verſatur. Virtutis eſt diligere amicos, magnæ virtutis inimicos etiam diligere, ſed maioris virtutis pro amicis vitam ponere, maximæ verò pro inimicis; at verò inter homines vix vllum reperias tam amicum, vt iuſti, promeritique amici periculum, ſua morte velit redimere. Dicit autem vix reperiri, (*nam pro bono*, ſcil. viro, *forſitan quis*) inuenietur qui zelo virtutis (*audeat mori*:) vbi iuxta Hieron. Bonus & iuſtus pro eodem ſumitur. Quod verò ait, (*forſitan & audeat*,) eſt ad temperandã ſententiam, vt ſcil. oſtendat difficultatẽ & metum mortis. Nam cum vita, ſundamentum ſit bonorum omnium temporalium, & mors, terribilium omniũ horrendiſsimum, vix vnus eſt, aut alter, qui pro bono virtutis vitam exponat: tametſi pro mundi gloria, & pro ſeipſo, vbi ægritudo animum ſemel occupauerit, plures inueniri poſſent, imò paſsim inuenientur, qui Ethnicorũ more, eam deſpondeant. D. autem Ambro. conſtituit differentiam inter bonum & iuſtũ: vt iuſtus accipiatur pro viro iam probatæ, adultæque virtutis, bonus pro innocente puero: pro hoc, faciliùs ſe exponet quis, quàm pro illo. Nam mori pro innocente, poteſt ex compaſsione miſericordiæ prouenire: Sed mori pro iuſto, prouenit ex zelo virtutis, qui in paucioribus inuenitur, quàm miſericordiæ compaſsio. Orig. autem, in verbo, bono, Chriſtum recognoſcit, pro quo ſancti martyres, auſi ſunt vitam libenter exponere. Vtcunq; tamen ſe res habeat, ſenſus Apoſtoli eſt, detur inueniri inter homines, qui pro bono amico forſitan mortem non recuſet adire, Deus tamen omnia charitatis exempla ſuperauit, qui pro impijs & indignis, vnicũ filium ſuum, in mortem tradiderit. Vnde dicit.

Hiero.

Amb.

Orig.

15. *Commendat autem charitatem ſuã Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, ſecundum tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt.*) *Commendat*, inquir, ideſt, nobilem, atque illuſtrem reddit, & confirmat (*charitatem ſuam*) ex eo quod pro impijs mortuus eſt. Quando enim indebitè aliquid præſtatur, vt ait Hiero. tum maxime charitas commendatur. Quid autem tam indebitè quàm vt ſine peccato Dominus, pro ſeruis impijs moreretur, & vniuerſitatis conditor dignaretur apparere in homine, & contemni ab homine pro reparatione hominis, ingratiſsimæ ſuæ creaturæ. Culmen humanæ charitatis in hoc tantum eſſe poteſt, quod animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis, vt inquit Saluator, ſed diuinus amor, infinito modo illud tranſcendit. Nullam enĩ in nobis Deus inuenit, ſeu bonitatem, ſeu amicitiam quam diligeret, ſed moriendo pro nobis indignis, nos, niſi per nos ipſos ſteterit, iuſtos effecit, dignos, bonos, & amicos ſuos. Fuit proculdubio infinitus hic diuinus amor, quo, & Deus in mortem crucis proiectus eſt, & dæmones ſunt victi, ſtupefacti angeli, homines filij Dei cõſtituti. Hinc tanta inuidia diaboli de morte Chriſti, vnde tantum bonum emanauit. Hinc rabies ipſius in perſecutione eccleſiæ, pro qua Chriſtus mortuus eſt. Ex qua quidẽ parte, ideſt, qua-

Hiero.

tenus à diabolo, & à ſuis miniſtris patrata eſt mors Chriſti, Deo grata eſſe non potuit: imò nec quatenus mors eſt quodam malum, quo Deus non delectatur, cum ipſe ſit author vitæ, mortem autem, vt in Sap. dicitur, ipſe non fecerit inhumana natura, ſed eſt per peccatum inducta. Nec etiam peccatoris velit mortem, ſed magis vt conuertatur, & viuat. At verò, quatenus ab vnigenito ſponte fuit oblata, gratiſsima illi fuit, & infinitò æſtimata, erat quippe in altiſsima iuſtitia Dei, hæc ratio recondita perfectiſsimæ ſatisfactionis, pro debito humanæ naturæ.

Sap. 1.

Pari modo dicendum de martyribus, quorum mors, vt quodam malum patratum contra veritatem, Deo minimè placuit: tamen quatenus ipſi ſancti martyres protuenda veritate, eam ſpontè tulerunt, fuit quidem prætioſa in conſpectu Domini, & ſacrificium valde acceptabile, atque ſuauiſsimi odoris. Per quàm magnificè ergo omnipotens & clementiſsimus Deus noſter, ſuam erga nos charitatem, nobis commendatam, atque inde præſertim ſpem noſtram cõfirmatam fecit, in eo quod ipſe pro iniuſtis, ad tempus mori dignatus eſt. Et hæc eſt reſponſio quæſtionis ſuprà inductæ de morte Chriſti pro impijs, vbi dixit, (*Vt quid enim Chriſtus, cum adhuc infirmi eſſemus, ſecundum tempus pro impijs mortuus eſt?*) Vnde ſicut charitas Patris ad nos, oſtenditur per hoc quod ſpiritum ſuum dedit nobis, vt dictum eſt, ita & per hoc quod dedit filiũ ſuũ. Nam ſic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret. Vbi notandum, quod beatus Paulus, expoſuit beatum Ioannem: quòd enim Ioannes dixit mundum, vocauit Paulus (*impios.*) Quod verò inquit, dedit, dicit Paulus, (*mortuus eſt.*) Sic ergo Deus dilexit mũdum impium & iniquum, vt filium ſuũ vnigenitum daret, ſcil. in mortem, pro eodem impio, & iniquo mũdo, qui odio habuit eundem vnigenitum. Væ mũdo ingrato tantæ bonitati.

Ioa. 3.

16. *Multò igitur magis, nunc iuſtificati in ſanguine ipſius, ſalui erimus ab ira per ipſum.*) Concludit propoſitum ex præmiſsis dicens, ſi ita eſt, imò quia ita eſt, quòd tantum beneficium præſtitit impijs, ac nocentibus, (*multo ergo magis nunc*) tempore pacis & gratiæ, (*iuſtificati,*) ideſt, purgati, & emendati, atque reconciliati, (*in ſanguine ipſius,*) ideſt, per effuſionem ſanguinis prætioſiſsimi, filij Dei, (*ſalui*) ideſt, liberi (*erimus ab ira*) ſcil. Dei, ſuper incredulos ventura (*per ipſum,*) ſcil. Chriſtum, ſeu merito eius. Amplius enim eſt impium iuſtificare, quàm iuſtificatũ, à pœna eruere. Accipitur autẽ hic ira, pro illa ira extremi iudicij, cuius terrorẽ eximere conatur à iuſtorum animis. Si enim in primo aduentu, tàm inſignem erga nos beneuolentiam, & Dei amorem experti ſumus, non eſt cur in altero (perſeuerantes tamen in gratia ipſius) extimeſcamus iram. Obſerua hic pie Lector, grauitatem culpæ Chriſtianorum, qui denuò peccantes reciderunt in iram, tanto grauius condemnandi, quod ad impietatis culpam, & ingratitudinis malum acceſſerit.

17. *SI enim cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortẽ filij eius, multo magis reconciliati, ſalui erimus in vita ipſius*) Oſtendit neceſsitatem prædictę conſequentiæ per argumentum, à minori ad maius, comparãs mortem Chriſti, vitæ ipſius. Potentior enim vita eius videtur quàm mors, quia, vt alibi inquit Paulus, mortuus eſt ex infirmitate, ſcil. carnis noſtræ, ſed viuit ex virtute Dei. Cum ergo dixiſſet, quòd multo magis viuificati, ſalui erimus ab ira per ipſum, probat hoc tali ratione dicendo, ſi enĩ mors Chriſti potuit inimicos reconciliare, multo faciliùs poterit eius vita reconciliatos ſaluare: Chriſtus pro nobis mortuus eſt ad tempus, ſed idem reſurrexit ſemper victurus: vt nobis mortuus eſt, ita & nobis reſurrexit: quod ſi mors illius tantum nobis præſtitit, vt cum antea Deum haberemus iratum & infenſum, poſtea cœperimus habere propitium ac beneuolum, multo magis hoc nobis præſtabit illius vita, ne in veterem ſimultatẽ recidamus.

mors Chriſti abſtulit peccatum, vita Chriſti tuebitur innocentiam. Mors Chriſti eruit à poteſtate diaboli, vita Chriſti, erga nos amorem conſeruabit, beatosq; inæternum faciet.

Multa ſunt in hoc loco, notatu digniſſima. Primò, quàm frequenter Apoſtolus mentionem facit ſtatus præteriti infidelitatis in qua fuimus aliquando, & præſentis gratiæ in quo ſumus modo, vt hinc recognoſcamus Chriſtiani, qualiter ergà Deum nos exhibere debeamus. Deinde, homo poteſt dici inimicus Deo, dupliciter, vno modo, quia contra Deum inimicitiam exercet, dũ eius mãdatis renititur, currẽs aduerſus
Iob.15. eum erecto collo, vt inquit beatus Iob.
Alio modo, per hoc quod Deus homines odio habet, nõ quidem natura, ſed
Gen.1. actibus. Diligit enim Deus omnia opera ſua tanquàm valde bona. Sed opera
Sap.11. diaboli, qualia ſunt peccata, odio ma-
& 14 gno ſunt Deo: ablata autem inimicitiæ cauſa, ſcilic. peccato, per mortem
Eccl.13 Chriſti, facta eſt recõciliatio. Per mor
2.& 5. tem inquam Chriſti, non quidem quatenus mors eſt, nec quatenus culpa fuit occiſorum, ſic enim non potuit eſſe cauſa reconciliationis, ſed potiùs indigna-
Sap.1. tionis. Nam Deus non lætatur in perditione viuorum, & odit omnem homi
Act.3. cidam. Sed quatenus fuit opus obediẽtiæ ad Patrem, & charitatis maximæ ad
Philip.2 homines, quo quidẽ modo fuit omnino meritoria, & pleniſsimè ſatisfacto-
Eph.5. ria pro peccatis totius mundi, & in tantum Deo grata, quod potuit reconci-
Luc.23 liare ipſos Chriſti occiſores, ex quibus aliqui etiam ſunt ſaluati, per orationẽ Chriſti factam in cruce.

Tertiò, conſiderare opportet certitudinem ſpei noſtræ, quæ ex parte quidem Chriſti defficere non poteſt. Nam qui in carne tot pro nobis pertulit iniurias, contumelias, flagella, vulnera, quomodo poterit negare coronam iuſtis, pœnitentibus veniam, peccatoribus auxilium, quo conuertantur ad ipſum? Argumenta ſunt hæc diuinæ erga nos charitatis adeò euidentia, vt non ſolùm ſecuros reddant, certamque ſpem præbeant, nos fore tutos ab ira venturâ, verumetiam tantam addant alacritatẽ, vt gloriari etiam iuuet. Vnde dicit.

18. *NON ſolum autem, ſed & gloriamur in DEO, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem nunc reconciliationem accepimus.)* Dum in hac parte gloriamur homines, non quidem debemus noſtra iactare merita, ſed Deo Patri gratantes, cuius beneficentiæ debemus hanc totam fœlicitatem, quam nobis largiri voluit, non per legem, aut circuncifionem, aut Angelum, *ſed per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum,* vnigenitum ſuum, eundemque non angelica, ſed noſtra indutum natura. *(per quem)* ideſt, per cuius interuentum, *(nunc)* ſcil. tempore gratiæ, *(reconciliationem accepimus,)* hoc eſt, in gratiam cum Deo rediuimus, quò videlicet, ſumma huius beneficij, non aliò referatur, quàm ad ipſum Deum. Hæc igitur debet eſſe omnis Chriſtiani gloria, quam ad ſolum Deum refferre debet; nimirùm, quod Chriſtianus ex impio factus eſt, non vtcunq;, neque à quocunque, ſed ab ipſo omnipotenti Deo, per vnigenitum filium eius.

Vel eſt ſenſus *(non ſolum)* de ſpe fœlicitatis quæ nobis obuentura eſt oble-ctamur, (hæc enim lætitia, de amore concupiſcentiæ naſcitur,) ſed *(in Deo ipſo gloriamur,)* ideſt, noſtrum collocamus amorem beneuolẽtiæ, noſtramq; adeò gloriam, cum quo vnum, ratione
quadam, futuri ſumus: iuxta illud, Nõ- *1.Ioa.3.*
dum apparuit quid erimus, cum appa- *Ioa.17.*
ruerit, ſimiles erimus. Et illud, Vt ſint vnum in nobis, ſicut & nos vnum ſumus. Gloriari enim ſic in Deo, eſt ipſum propter ſeipſum, abſque vllo noſtri reſpectu, deamare. Quò etiam refferri poteſt gloriatio tribulationum, nam qui perfectè amat, libenter patitur propter amatum.

19. *Propterea. ſicut per vnum hominem, peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt.)* Hactenus de bonis, quæ nobis contingunt per fidem denarratum eſt,

Deinceps verò de malis, à quibus per eandem liberati ſumus, acturus eſt: inter quæ ponitur lex vetus, non tanquã malum, ſed tanquam occaſio mali. Referuntur autem omnia illa, ad duo hæc mala, nempè, ad peccatum, & mortem, hoc eſt, ad culpam & pœnam. Nomine enim mortis cunctas humanæ vitæ miſerias amplectitur, ſicuti cuncta Chriſti beneficia, in gratia & vita æterna cõtinentur. Ordo autem verborum eſt, congruentiſſimus: miro enim & arcano Dei conſilio curatum eſt, vt reſtitutæ ſalutis ratio, cum accepti exitij ratione congrueret. Vnde, cum de pace dixiſſet, qua per fidem Chriſti potiti ſumus, bellum autem nobis præuaricatio Adæ cõflauerit, optimè ſubiungit, (*propterea*) ideſt, ſi pacem per Chriſtum, & quæ filiorum Dei eſt, ſpem, adepti ſumus, conſequens fit, vt (*ſicut per vnum hominem,*) ſcil. Adam, qui primus prætergreſſus eſt Dei præſcriptum, (*peccatum in hunc mundum intrauit,*) non ſolùm *Pelag.* immitatione, vt mentitur Pelagius, ſed etiam propagatione, hoc eſt, per carnis *Tho.* originem vitiatam, vt ait S. Tho. (*& per peccatum mors*) quam comitem ſecum traxit, quandoquidem peccatum, animæ venenum eſt: (*& ita*) ſcil. factum eſt, vt (*mors*) ideſt, omne malum pœnæ, à principe generis ortum, (*in omnes homines,*) hoc eſt, in vniuerſam Adæ poſteritatem (*pertranſiret,*) vel dimanaret per propagationem, & immitationem, dum nemo non immitatur primi parẽtis exemplum, vnde dicit (*in quo*) ideſt, quatenus, (*omnes peccauerunt,*) vel (*in quo*) ideſt, in cuius lumbis (*omnes*) ſcil. poſteri, (*peccauerunt,*) ideſt, originali macula ſunt maculati. Oratio hæc per longum hyperbathon protenditur, & reſumitur inferiùs, vbi ait, (*igitur ſicut per vnius delictum, &c.*) & ponitur alterum comparationis membrum, quod ad ſenſum ſic ſe habet, ita per vnum Chriſtũ, in quo renaſcimur omnes per fidem, iuſtitia ſeu innocentia inducta eſt, & innocentiæ comes vita, atque ea fœlicitas ab vno noui generis principe profecta, deriuatur in omneis, qui fidei cognatione ad Chriſtum pertinent, & innocentis veſtigia ſectantur innoxia vita.

Multa quoque hìc ſe offerunt obſeruatu digna. In primis, Cognitio peccati originalis in lege naturæ haberi non poterat, niſi per reuelationem ſupernaturalem, factam primum ipſi Adæ, poſt verò ſub nube quibuſdam ſingulariter perſonis, vt beato Iob, qui hac de cauſa, dicebat, Pereat dies in qua natus ſũ, & nox in qua dictum eſt, conceptus eſt homo. Et, Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? & nemo mundus abſque ſorde, neque infans cuius eſt vnius diei vita ſuper terram. *Iob. 3. & 14. & 25* In lege autem ſcripta, expreſsè habita eſt vniuerſis, huius peccati cognitio. Ecce enim, ait Dauid, in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea. *Pſal. 50.* Et Salomon, à muliere initium factum eſt peccati, & per illam omnes morimur. *Eccl. 25.* Sed expreſsiùs habetur illa in Euangelio, Ecce, inquit Ioannes, agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, vel iuxta Græcos peccatum mũdi: vt generale illud deſignetur. Et beatus Paulus in hoc loco, peccatum per vnum hominem, in hunc mundum intrauit, &c.

CAVSA huius peccati fuit, tranſgreſſio illa prima præcepti Domini, quod ſub mortis comminatione, toti naturæ poſitum erat, qua Adam totam vitiauit naturam, in mortemq; ac mortalium miſerias adegit. Tota enim in illo erat tunc humana natura, totumq; in eius lumbis latebat humanum genus. Vnde Aug. cum Adam, inquit, peccauit, natura in illo tota peccauit. *Aug. Hypp. art. 2.* Cuius voluntas, fuit quodammodo totius humani generis, non aliter quàm ſi præſentes eſſemus omnes, ſicut eſt regnum in voluntate Regis, & ſicut ſunt membra in voluntate perſonæ: peccatum enim perſonæ, deriuatur ad omnia mẽbra.

Errant ergo Pelagiani cæci, negantes peccatum originale, eoquòd illic nihil interueniat voluntatij. Voluntarium enim fuit, ait beatus Aug. voluntate primi parentis, qua cõmiſſum fuit, quãdo Dominici præcepti tranſgreſsio facta eſt, *Aug. lib. 1. retrac. c. 14.*

eſt. Vnde & factum eſt nobis peccatū hæreditarium. ſicut & donum iuſtitiæ quæ noſtris ſenſibus frenum erat futura, & donum ligni vitæ, cuius eſu perpetuæ immortalitatis potiremur, eſſent etiam nobis hæreditaria. Non enim primo parenti tanquam ſingulari perſonæ, ſed vt publicæ, hæc dona communia toti naturæ collata ſunt, atque adeò perpetua originum ſerie, in poſteros ſucceſſura. Vnde & originalis iuſtitia nomen accepit, ſicut & originale peccatum, quia per origines transfunditur hoc, quo deficiente, illa transfundenda erat eodem modo.

Dona autem illa in primo parente nobis conceſſa, gratuita prorſus erant, ideò in conferendis illis, ſeu amouendis, non opus erat noſter conſenſus.

Nec mirabitur quiſquam Dei punitionem ſi intelligat, non in alios caſus, ſeu incommoda, per illam culpam nos incidiſſe, quàm in illa prorſus quæ à natura nobis ineſſent, niſi ſupernaturali eius nos priuilegio præſeruaſſet.

Æqualiter ergo ſe habet peccatum originale in Adam, & poſteris eius, tam quoad reatum culpæ, quàm quoad pœnam. Eodem enim modo fuit in illo & in nobis, ita vt vnuſquiſque ſuam inde trahat culpam & pœnam, dicente Paulo *(in quo)* tanquam in perſona in qua continebantur virtute, *(omnes peccauerunt)* ſicuti regnum peccat in principe, qui nomine publico delinquit. Vnde

Aug li. retr. c. 15

Aug. reatu, inquit, peccati Adæ, nos eſſe implicatos, & ob hoc, pœnæ obnoxios. Et idem, Nemo, ait, naſcitur, niſi trahens pœnam, & meritum pœnæ. Meritum autem pœnæ, peccatum eſt, omnis ergo qui naſcitur per carnis concupiſcentiam, peccatum trahit. Et idem, Peccatum Adæ, non ſolum ipſum, ſed omne necauit genus humanum, cum eius damnationem, ſimul & culpam ſuſcepimus. Vnde & Adam, fuit forma Chriſti, quia ſicut gratia Chriſti verè iuſtificamur, ita Adæ peccato omnes iniuſti ſumus, verèq; peccatores conſtituti, gratia autem in ſingulis, ergo & culpa. Et ſicut in illo gratiam Dei amiſimus, ita in Chriſto eam recuperamus. Primus

Pſ. 50.

Hyp. ar. 2.

igitur Adam de terra, terrenus: ſecūdus Adam, de cœlo, cœleſtis, Chriſtus Ieſus Dominus & Deus noſter.

Peccatum originale, iuxta eius formalem rationem, eſt quædam obliquitas, atque animi deflexus à lege, & voluntate Dei: hæc eadem fuit in Adam, & in nobis. Vnde ineptè dicitur quòd peccamus originaliter, ſed quod illud peccatum per originem trahimus cum natura. Totum enim hominum genus peccauit in illo homine, illo peccato, ſicuti regnum peccat in principe, qui nomine publico delinquit, vt dictum eſt. Sola hæc differentia videtur dari poſſe, inter Adam & eius poſteros, quod per illud peccatum, non fuerint illi obnoxij pœnæ ſenſus, ſicut ipſe pater Adam: in cæteris verò omnibus, æqualiter ſe habent, vt dictum eſt. Nam culpa eadem, pœna damni eadem, pœna mortis corporalis eadem omnibus, & ſic de cæteris miſerijs temporalibus, quæ æqualiter poſſunt contingere cunctis mortalibus.

Anima tunc inficitur hoc peccato, cū carni infunditur, non quod in carne ſit aliqua morbida qualitas, qua anima accedens inficiatur, ſed quia ex vtraque ſimul, carne ſcil. & anima, compingitur natura humana, quæ in Adam vitiata fuit. Hinc eſt quod doctores aiunt, peccatum originale habere modum habitus. Nam quemadmodum prætereunte actu peccati, dicitur peccatum, per modum habitus in homine remanere, quàdiù non reſipiſcit, ita & in nos reatus ille transfunditur, qui vtique non videtur eſſe, aliud quam reſpectus quidam ad illud peccatum Adæ. Demus quod omnes Adæ poſteri, tùm viuerent cum ipſe peccauit, omnes proculdubio reatum illum participarent, reiq; haberētur, & peccatores, licet, vt iam diximus non eſſent obnoxij pœnæ ſenſus, ſicut ipſe, ſic etiam per generationem qua natura propagatur, traducitur idem reatus, atque vt ſuam quiſque recipit indiuiduam naturam, ita & ſuo inficitur reatu, quo naſcitur formaliter peccator, vt ſancta Synodus Tridentina optimè explicuit dicens, peccatū quod origine vnum

Cōc. Tri. Seſſ. 5. ca. 3.

vnum eſt, & propagatione transfuſum, omnibus id eſt, vnicuique proprium. Peccata verò actualia, ſiue primorum, ſiue aliorum parentum, non cómaculant ſobolem, eo quod illa nó committuntur, vt à perſona quæ totam repræſentet naturam, nec per talia crimina fit priuatio donorum, quæ toti ſint tributa naturæ. Vnde patet quòd quãuis primus parens, vt habetur in lib. Sap. fuerit eductus à delicto ſuo, id eſt, ſuæ perſonæ, non tamé totius naturæ quã ipſe fœdauerat. Quemadmodum ablutis in fonte baptiſmatis contingit, quibus originale remittitur quatenus perſonam polluit, manet tamen adhuc natura coinquinata, vt qui lotus eſt, filios nihilominus procreet infectos.

Sap.

Sanctiſsima virgo Maria, ab hac generali regula meritò excipienda videtur. Nam cum mater futura eſſet vnigeniti filij Dei, pulchrior luna, purior Sole, ſplendidior cũctis aſtris opportuit ipſa concipi. Potuit enim Dei filius ſuam matrem tali honore afficere, ergo & voluit. Nam ipſe primus legem ſancinit de honore parentum, ergo abſque dubio credendum eſt, quod etiam primus, tanquam verus imperator, hanc legem ſeruans, voluerit matrem ſuam ſic honorare. Iam enim ex ea natus, mira obedientia eam honorauit, cum erat ſubditus illi, ergo & antequàm eius vterum ingrederetur, dum cœleſti puritate, genitricem ſuam faciens, decorauerit. Hanc partem tenent doctores grauiſsimi, inter quos ſunt illuſtriſsimi Pariſiẽſes: & quanuis Concilium Tridentinũ innouando decretum Sixti, libertatem fecerit ſentiendi in vtranque partem, tamen hæc pars, eſt adeò recepta, & adeò celebris inter omnes, vt eius contraria, abſque odio & inuidia populi nequeat publicitus prædicari.

Cõc. Tri.

Damna & incómoda culpæ originalis, videntur eſſe tot numero, quot ſunt mala in mundo. Primum fuit gratiæ priuatio, quod eſt generale nocumentum omni peccato. Deinde, expoliatio iuſtitiæ originalis, quæ illi primo Adæ peccato, fuit peculiaris pœna. His accedũt quatuor illa naturæ vulnera, à venerabili Beda aſsignata, nimirùm, ignorantia, intelectus: voluntatis, malitia: iraſcibilis, infirmitas: concupiſcibilis, concupiſcentia. Ac demum, corpori acceſsit mors, quæ moleſtias, langores, & ærumnas, & omnem laborem comprehendit, quo vita humana maximè fatigatur. His plagis fuit cæſus homo ille euangelicus, qui incidit in latrones, à quibus ſpoliatus, & ſemiuiuus relictus dicitur.

Beda.

Prædicta vulnera, quodammodo fuerunt naturalia, quodammodo pœna peccati. Mors quidem ratione materiæ, naturalis eſt homini, quia omne mixtum ex elementis, qualis eſt homo, eſt ſuapte natura corruptibile: atque huc pertinet illud Geneſis, Puluis es, & in puluerem reuerteris. At verò effectus peccati eſt, remouentis donum illud iuſtitiæ, quo poſſemus nó mori, ſed illud noſtra culpa amiſimus, ideò in terram de qua ſumus ſumpti reuertimus omnes. Quo etiam pertinet illud, Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum. Et quod in hoc loco ait Paulus (*per peccatum mors.*) Idem ſentiendum de pugna carnis aduerſus ſpiritum: nam licet ex principijs naturæ nudæ ortum habeat, tamen quia per donum gratuitũ iuſtitiæ originalis cóprimebatur, factum eſt, vt diſſolutio effrenatioq; ipſius, ſit etiam opus ac pœna peccati. Pari etiam ratione dicendũ de condẽnatione & priuatione gratiæ & regni. Nam ſi homo in meris naturæ dotibus fuiſſet conditus, tunc eſſe eum extra gratiam & ius regni, eſſet quidem mera negatio, quia nullo ſibi iure competerent: tamen quia in Adam, ius quodammodo prius habuimus, poſt verò perdidimus, non negatio mera, ſed eſt priuatio & condemnatio, quod orbati beneficijs illis naſcimur, & filij iræ.

Gen. 3.

Sap. 1.

Abſit ergo, vt quiſquam ſit illius opinionis aſſerentium, mortem, reliquaſq; vitæ calamitates & miſerias, ac carnis pugnas, non fuiſſe Adæ naturales, etiam ſi abſque illo iuſtitiæ dono in nuda natura fuiſſet conditus. Nec etiam cuiquã durum videatur, ob vnum primi paren-

tis

tis peccatum, nos omnes in hanc vitam adeò calamitoſam deueniſſe. Non enim aliud fecit nobiſcū clementiſsimus Dominus, quam quod corruptibili noſtræ naturæ inditum erat. Ex quo demum manifeſtiſsimè patet, nec peccatum originale, nec iuſtitia originalis, per lumen naturale comprehendi ab vllo potuiſſe, ſed tantùm per diuinam reuelationem. Ná morrē, & alias vitæ miſerias & labores, quiuis homo lumine ſuo naturali, reputaſſet naturales, cum ſint etiam illius peccati effectus, remouentis ſcil. prohibentem iuſtitiam, quæ ſenſualitatis noſtræ frenus erat: & hæc fuit læſio naturæ noſtræ.

20. *Vſque ad legem enim peccatum erat in mundo, peccatum autem non imputabatur cum lex non eſſet.)* Maximus infirmorum morbus, eſt morbum non agnoſcere, peſsimus inimicus, eſt inimicus ignotus: hinc ergo omne malum, quo olim laborabat mundus. *(vſque ad legem)* inquit, *(peccatum)* inimicus noſter, venenum animarum noſtrarum, *(erat in mundo)* regnabat in malis hominibus, peccatum, inquam, ſiue originale inteligas, ſiue actuale, quod ex illo originem ducit: *(peccatum autem non imputabatur,)* ecce miſeriam antiquorum, *(non imputabatur)* non agnoſcebatur morbus, non videbant inimicū, erant cæci, & ſedebant in tenebris, & in vmbra mortis *(cum lex)* ſcil. Moſaica data *(non eſſet)* quæ lumen rationis penè extinctum accendens, eos illuminaret. Nam lex naturalis, iam obliterata erat in natura, per eius aſsiduam præuaricationem. Hinc tot eorum errores, quibus impletus eſt mundus. Hinc eorum amentia, vt aſſererent nihil eſſe naturale iuſtum, aut iniuſtum, ſed ſolùm
Ariſt. 5. Eth. delinqui in leges humanas. Hinc etiam eorum blaſphemia, qua circa res humanas negabant diuinam prouidentiam,
Iob. 22. in quorum perſona, inquit Iob, circa cardines cœli perambulat, nec noſtra conſiderat. Ante legē igitur Moſaicam quæ proderet tranſgreſsionem, non aberat peccatum in mundo, & originale, quo omnes in Adam peccauimus: & actuale, quo vnuſquiſque per ſe peccat, ob legē naturæ, quæ omnium mentibus erat indita, licet obliterata ferè, vt dictum eſt. lux veritatis nunquam illis deffuit, ſed illi claudentes oculos, nolebant intelligere, vt bene agerent: indulgebant ſibi *Pſal.* homines, ac veluti impunè peccabant tanquàm exleges: illa tantùm legibus cauentes, quæ tranquillitatem Reipublicæ perturbabant, vt furta, homicidia, adulteria, & id genus reliqua. Non defuerunt autem vnquam inter malos pauci boni, qui per reuelationem cognouerunt peccatum originale: & per lumen rationis diuina gratia ſuffultum, omnia peccata actualia pro cuiusque merito, & grauitate exiſtimarent.

21. *Sed regnauit mors ab Adam, vſque ad Moyſen.)* Ab effectu oſtendit quod peccatum erat in mundo etiam ante legem. Mors enim corporalis, effectus eſt peccati, præcipuè originalis, nam per peccatum introiuit mors, hæc erat in mundo vſque *(ad Moyſen,)* ideſt, vſque ad legem datam per Moyſem, ergo, &. peccatum quod fuit eius cauſa. Omnes enim moriebantur, ergo in omnibus inerat cauſa mortis ſuæ. *(regnauit,* inquit, *mors,)* ideſt, vim tyrannidemq́ue ſuam exercuit. O infœlicitatis regnum, in quo nulla erat libertas vitæ. Nam timore mortis, ait Apoſtolus, per totā *Heb.* vitam multi obnoxij erant ſeruituti, vrgens eos ad idololatriam, & alia huiuſmodi flagitia diabolus, quem mors habebat ſocium imperij ſui. Sed aduenićs Chriſtus vita noſtra, morte ſua deſtruxit mortem, & ſocium eius diabolum, qui habebat mortis imperium, vt iam per ipſum verè liberi effecti, nullum timeamus aduerſarium, ambulātes ſuper Aſpidem & Baſiliſcum, & conculcantes *Pſal.* Leonem, & Draconem, nempè mortem, diabolum, & infernum. Exemplo ſunt ſancti Martyres, qui pro Chriſti nomine, mira animi lætitia, gladijs impiorū occubuerunt, & omnes veri Chriſtiani, qui cum ſanctis Apoſtolis, etiam ipſi gloriantur in tribulationibus.

22. *Etiam in eos qui non peccauerunt.)* Hoc

Hoc dicit propter pueros, qui proprio actu non peccauerunt: & propter iuſtos, qui non peccauerunt mortaliter, qui tamen peccauerunt in primo homine, vt dictum eſt, vnde addit,

23. *IN ſimilitudinẽ præuaricationis Adæ*) quaſi dicat, regnauit mors etiam in eos qui proprio actu nõ peccauerunt, (*in* ideſt, ꝓpter *ſimilitudinẽ præuaricationis*) ſimul enim cum ſimilitudine naturæ, traxerunt per originem etiam ſimilitudinem peccati Adæ, ideoq; moriebãtur omnes. & hoc eſt quod Apoſtolus videtur ſe velle oſtendere, nimirùm, quod per Adam, peccatum originale in hũc mundum intrauit.

24. *QVI eſt forma futuri.*) ſcil. futuri Adæ, hoc eſt, Chriſti, qui tempore Adæ, futurus erat Adã nouiſsimus. Eſt autem Adam forma Chriſti, per diſsimilitndinem, quia ſicut Adam eſt fons mortis, ita Chriſtus fons vitæ: & ſicut per proprium Adæ peccatum, vel ſine vllo proprio demetito (nullam enim legem inſtar Adæ, propriæ voluntatis actu tranſgreſsi ſumus) obnoxij morti reddimur, ita per Chriſti gratiam ſine vllo noſtro merito iuſtificamur. Per ſimilitudinem quoque, quia ſicut Adam eſt caput & vir Euæ, ita Chriſtus caput & ſponſus Eccleſiæ. Sicut in Adam omnes generati, ſic in Chriſto omes regenerati: ſicut Adam de terra virgine, & non maledicta, ſic Chriſtus natus eſt de virgine benedicta. Circa quod obſeruãdum eſt diligenter quàm parum nobis prodeſſet ex primo Adamo ſemel natos eſſe, ſi ex nouiſsimo iterum non naſceremur, imò melius eſſet homini nunquã naſci, ſi ex Chriſto nõ rénaſcatur. Nam niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poterit introire in regnum cœlorum, iturus tamen, proh dolor, in mortis ſecũdæ perditionem.

25. *SED non ſicut delictum, ita & donum.*) Poſita ſimilitudine cauſarum, aſſignat nunc diſpariratem & contrarietatem effectuum, nimirum culpe Adæ, & gratiæ Chriſti. Hæc enim cum procedat ex immenſitate diuinæ bonitatis, potentior eſt illa, quæ ex voluntate humana & infirma procedit. Quanuis ergo Chriſtus & Adam aliqua ex parte ſimiles fuerunt, non tamẽ in ſuis effectibus pares fuerunt. Siquidem cum alioqui, per ſe ſit efficatius ſeruare quàm perdere, longè potẽtior eſt Chriſtus ad ſeruandum, quàm Adam fuerit ad perdendum, & obedientia Chriſti multo fuit efficatior ad conferendam vitam, quàm Adæ tranſgreſsio ad inducendam mortẽ: & omnino noxã Adæ, vincit Chriſti bonitas, nequis tantùm tribuat peccato primi parentis, aut proprio ſuo, vt de ſarciẽda ſalute diffidat, veluti Cain blaſphemus, qui auſus eſt dicere, Maior *Gen. 4.*
eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear, cuius damnatio iuſta eſt. Sed potiùs cũ Dauid fideli, cõfidenter dicẽdũ, Miſerere mei Deus, ſecundum magnam *Pſ. 50.*
miſericordiam tuam.

26. *SI enim vnius delicto, multi mortui ſunt.*) Duplex eſt mors, temporalis ſcil. & æterna, quam beatus Euangeliſta *Apoc.*
Ioannes, vocat mortem ſecundam, & eſt mors ſiue morte, vt ait Grego. Prima *Greg.*
item eſt duplex, corporis ſcil. & animæ: illa eſt ſeparatio animæ à corpore, hæc verò, Dei ſeparatio ab anima. Vita enĩ animæ noſtræ, eſt ipſemet Deus noſter. Æterna item eſt duplex, vel animæ tantùm, vel animæ ſimul & corporis. Hæc poſt iudicium, illa ante iudicium continget. Morte itaq; animæ (*multi,*) ideſt, omnes mortui ſumus (*vnius,*) ſcil. Adæ (*delicto*) antequàm nati eſſemus, & mortui etiam naſcimur, & filij iræ. In Adã enim omnes peccauimus. Morti verò corporali temporali, & morti æternæ, tàm animæ quàm corporis, naſcimur obnoxij. Sed ab omnibus his mortibus, redemit nos, clementiſsimus Dominus Ieſus, ſuo ſanguine prætioſiſsimo. Cuius virtus aplicatur nobis per ſacramenta, exempli gratia, in ſacro fonte baptiſmatis, per ſanguinẽ Chriſti, quem aqua illa repræſentat, lauantur omnes maculæ, reconciliamur Deo, donatur noxa, & omnis pœna debita: adoptamur in Dei filios, anima manet à morte culpæ libera, & à pœna æterna inferni, quæ eſt

peſ-

Pſal. peſsima peccatorum mors. A morte verò corporali nõ ſtatim liberamur, vſque ad extremum iudicij diem, in vltima reſurrectione, quando mortui reſurgent incorrupti, & interficietur inimica mors. Opportet prius nos mori corporaliter, hoc eſt, dormire in noſtris ſepulchris, vſque ad illud tempus. *Heb.* Statutum eſt enĩ hominibus ſemel mori.

Satis conſentaneum videtur, vt omnis homo quantũuis iuſtus, moreretur corporaliter. Hoc fuit valde vtile, & lex iuſta, & ſancta: tùm quidem, ad edomandam humanam ſuperbiam: nam mortis memoria, frenum ſuperbiæ eſt. Homo qui inteligat vilitatem corporis ſui, de limo terræ plaſmati, atque ex hac parte puluerem eſſe, & in puluerem reuerſurum, quî nam poterit gloriari de his quæ ad carnem pertinent? quid enĩ ſuperbiet terra & cinis? Tale frenum conatur nobis adhibere pia mater eccleſia, cum in capite ieiunij quadrageſimalis, cineres imponens capitibus filiorũ ſuorũ inquit, Memento homo quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Tùm, vt ſic prudentiam ſingularem doceret mortaleis omnes. Satis enim prudens, & ſapiens valde erit ille, qui ſciẽs animam ſuá citò ſpoliandam mortali veſte corporis ſui, curat feſtinanter parare illi aliam præclariorem, atque fulgentiorẽ, ne relicto per mortem corpore, nuda appareat & confuſa coram Deo & Angelis eius. Veſtitus propri⁹ animę noſtræ, eſt ille deauratus, auro perfectæ chari- *Pſ.44.* tatis, quo induta, & circũdata varietate & pulchritudine cœleſtium virtutum, abſque vllo pudore, ſed mira cum lætitia, & ſingulari maieſtate tanquàm regina, aſtabit à dextris ſponſi ſui Chriſti regis magni. Tùm etiam, ad caſtigandã & puniendam carnis amentiã & audaciam, quæ quãdiu vixit, noluit pacem habere cum ſpiritu, concupiſcens ſemper aduerſus illũ, cum aliâs teneretur ei in omnibus obtemperare. Æquũ igitur erat, vt talis proteruia, morte puniretur. Tùm demum, vt maxima virtus Dei, in ſuſcitatione illa mirabili beatorum, manifeſtaretur, vbi corpus quod ſeminatur animale & mortale, reſurget ſpiritnale, & immortale. Iniquorũ verò corpora, licet ſurgent immortalia, non tamen impaſsibilia, quo pœnas demeritas, inæternum ſoluant in inferno.

27. *Multo magis gratia Dei & donũ.)* Summa omnium gratiarum, videtur filij Dei incarnatio: hæc nullis operibus mereri potuit, ideò fuit gratia, & quia magna, ideò gratia Dei dicitur, iuxta phraſim Hebraicã, quæ ingentia omnia, opera Dei vocat, vt ciuitas Dei, mons Dei, & huiuſmodi. Sic Dei incarnatio, magna quidem gratia & donũ, per excellentiam dicitur, vnde omnes gratiæ & dona proficiſcuntur. Hanc gratiæ celſitudinem videtur ſignificaſſe Ioannes, cum dixit, Sic Deus dilexit mundum, *Ioa.3.* vt filium ſuum vnigenitum daret. Et *Iſai.* Iſai. Paruulus datus eſt nobis, & filius natus eſt nobis. Eſt itaque Ieſus ſũma gratia, & ſũmum donum, & ipſemet eſt autor omnium gratiarum & donorum.

28. *In gratia vnius hominis Ieſu Chriſti.)* Quadrat hoc cum prædicta ſententia, & eſt quaſi interroganti, in quo ſit hæc gratia Dei, & donum, reſpondear. *(in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti.)* ideſt, in eo quòd donauerit nobis Deus, vnũ hominem Saluatorem omnium hominũ. Nõ inueniebatur inter homines, qui officio Saluatoris poſſet fungi: omnes enim declinauerunt à via veritatis & vir- *Pſal.* tutis, non erat qui bonũ coram Deo faceret, non erat vſque ad vnum, qui ſcil. expectabatur. Hic erat Ieſus Chriſtus filius Dei, verus Deus, verus homo, & verus Saluator hominum. Vnus homo, ſingularis in gratia & virtute, flos cãpi, *Cant.4.* ideſt, omnium hominum, qui in campo huius mundi naſcuntur: & lilium conuallium, ideſt, omnium perfectorũ. Perfectio enim à gratia Dei proficiſcitur, gratia autem ad humilitatem pertinet, *Iacob.* humilibus enim dat gratiã: per conualles, inteliguntur humiles, & Chrũs eſt magiſter humilitatis, Diſcite, inquit, à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Eſt ergo liliũ perfectionis. Et ideò dicitur Chrũs, ideſt, vnctus vnctione Spiritus. S. præ participibus ſuis: imò eſt

ple-

Ioa. 1. plenus gratia & veritate, de cuius plenitudine nos omnes accepimus, vt hoc etiam quadret cum prædicta expoſitione, accepimus à Deo ſummum donum & gratiam, nempè vnicum eius filium Ieſum Chriſtum. Accepimus & à Ieſu Chriſto omne beneficium & gratiam. Vtrūq; enim cōprehenditur in eo quod ait, (*in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti.*) cuius gratia, fuit etiam ſumma iuſtitia, redemit enim nos ſanguine ſuo, vnde
1. c. 1. Paulus, Factus, inquit, eſt nobis iuſtitia,
Tit. 1. &c. & idem, Apparuit gratia Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, vbi per illud, et, exponitur quod anteceſſit, & in eo quod ſequitur, oſtēditur Chriſti gratia & iuſtitia ſimul, videlicet, qui non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit.

29. *IN plures abundauit.*) Quamuis pauciores ſint numero qui ſaluantur, quàm qui dānantur. Nam iuxta Salomonē, infinitus eſt numerus ſtultorum, & Chriſtus Dominus, Arcta, inquit, eſt via quæ ducit ad vitam, & pauci ambulant per eam. Et, Multi ſunt vocati, pauci verò electi: hoc tamen nō contingit defſectu gratiæ, ſed ſua ipſorum culpa:
Oſea. 13. nam in Oſea dicitur, Perditio tua ex te Iſrael. Gratia enim natura ſua, & ingenio ſufficiētiſſima eſt ad ſalutē omniū,
1. Ioa. 2. iuxta illud beati Ioannis dicentis, Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantùm, ſed etiam pro totius mundi. Colligēres igitur iam ex dictis ſenſum Apoſtoli, ſic ſe videtur habere, nempè, ſi tantum valuit ille peccandi princeps, vt tantus hominum numerus, ob vnius commiſſa morti ſit obnoxius, plus valebit, & in plures exundabit Dei beneficiū, ac benignitatis munus, quod nobis in vno, & per vnum item hominē Ieſum Chriſtum, innocentiæ principem largitur: per quem non modo mortis, & peccati tyrannidem abſtulit, ſed pro peccato iuſtitiam, pro mortis tyrānide, vitæ regnum contulit, ſic vt Adæ damnū, Dei benignitate, nobis in lucrum ceſſerit.

30. *ET non ſicut per vnum peccatum, ita & donum. Nam iudicium ex vno in condēnationem, gratia autem ex multis delictis, in iuſtificationē.*) Hic locus eſt vnus ex eclipticis Pauli. In ſuperiori autem comparatione collata eſt gratia cū culpa, ſecundum effectus vitæ & mortis, in hac verò confertur ſecundum iuſtificationem, & condēnationem: vbi condēnatio non ſumitur pro ſententiæ executione, quæ ſupliciū dicitur, ſed pro ſentētiæ prolatione: & iuſtificatio pro abſolutione, quæ vtraq;, iudicij terminus eſt. Vnum fuit igitur delictū in omnes homines exundans, cuius ſcil. rei facti, pœna illa dānati ſumus, In quocunque Gen. 1. die comederis ex eo, morte morieris, & ab vtraque paradiſo, tam cœleſti, quàm terreſtri ſumus excluſi. Cum hoc itaq; delicto Paulus, gratiam confert in hoc loco, quæ nō ſolùm hoc, ſed omnē actualium congeriem, quæ homines ſuo arbitrio coaceruant, delet. Vnde etiā effulget alia gratiæ præeminentia, nimirùm quod propter illā originis culpam, tantum, vt cōmunior tenet opinio, proiecti ſumus à facie Domini, nunquā ampliùs illū viſuri. quæ à Theologis dicitur pœna damni, quæ valde grauis eſt & acerbiſſima: ſed gratia tamen Chriſti, ab illis nos etiam liberat flagitijs, quæ in ſuplicium obtrudunt æternū, quod pœna ſenſus dicitur.

Inquit ergo Paulus, (*& nō ſicut per vnū peccatum,*) ſcil. Adæ fuit condemnatio, (*ita & donum,*) ſcil. iuſtificationis fuit, non inquam qualis illa, talis & hæc fuit. (*Nam iudicium,*) ſcil. mortis, (*ex vno*) ſcil. peccato originis ab Adam deducto, (*in condemnationem,*) ſcil. omniū proceſsit: illud enim vnicum fuit delictū ob quod fuimus omnes iudicati, damnatiq;, & à iure cœleſtis hæreditatis proiecti. (*Gratia autē,*) ideſt, beneficiū mortis Chriſti, non ex illo tantùm delicto originali, ſed (*ex multis,*) ideſt, vniuerſis delictis iam aglomeratis, iam cō firmatis, quæ ſibi quiſq; auxit (*in iuſtificationem.*) idest, abſolutionem omnimo dam, ſcil. procedit, liberās tàm ab actuali, quàm ab originali, tàm à commiſsis, quàm à committendis.

Mirabilis eſt Chriſti miſericordia, quæ omnem

omnem vincit humanam malitiã. Peccauit Adam, in quo omnes eius poſteri peccauerunt: peccauit itẽ denuò multipliciter vnuſquiſq; arbitrio ſuo, & tamen morte ſua Chriſtus, omnibus conſequutus eſt veniam, & pro cõmittendis remedium præbuit. Verè eſt pius & miſericors, & præſtabilis ſuper malitiam, Deus noſter.

31. *Si enim vnius delicto, mors regnauit per vnum, multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iuſtitiæ accipientes, in vita regnabunt per vnũ Ieſum Chriſtũ.)* Duplex eſt regnum, mortis ſcil. & vitæ. Regnum mortis eſt temporale, ortũq; habuit à culpa Adæ, durabitq; vſq; ad finem mundi, quia ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, & ideò omnes morimur, & tanquam aquæ dilabimur quæ fluunt ſuper terram. Regnum autem vitæ eſt æternum, Chriſti ſanguine fundatum, incipietq; à fine mũdi in ſecula ſeculorum. Tunc enim interficietur inimica mors, cum Chriſtus iuſſerit cadauera à monumentis ſurgere. Hoc eſt igitur quod inquit Paulus, *(Si enim vnius delicto, mors regnauit per vnum,)* ideſt, ſi tantum valuit vna vnius hominis culpa, vt omnes, mortis tyrannidi redderet obſtrictos, & qui ad primi parentis exẽplũ peccauerũt, ſimiliter mortis iugũ ferant: *(multo magis,)* ideſt, plus, ſcil. largitur exuberantiſſima Dei benignitas, nimirùm, vt qui ad Chriſti exemplum, innocentiam, ac iuſtitiam amplectuntur, non ſolùm liberentur à peccati, mortiſq; tyrannide, verumetiam *(regnabunt in vita,)* hoc eſt, regnante vita, regnabunt & ipſi per illum, vnicum noſtræ fœlicitatis autorem. Regnabunt, inquam, quoad animam ſimul & corpus, nam quoad animam tantùm, iam cũ Chrõ regnant in cœlo, omnes viri iuſti & ſancti.

32. *Abundantiam gratiæ, & donationis, & iuſtitiæ accipientes.)* Hæc ſunt inſignia ciuium vitæ in hoc ſeculo, & regni æterni pignora, nimirùm *(abundantia gratiæ)* per quam remiſsio omnium delictorum ſumitur: *(donatio,)* per quam intelliguntur virtutes & dona Spiritus ſancti: *(iuſtitia,)* quæ eſt exercitatio eiuſdem gratiæ, & earundem virtutum, & donorum, per gratiam concomitantem. Hæc *(accipiuntur)* vel per ſacramentum, vel, ſi rationis fuerit compos, per propriam ſibi aſſenſionem participantur.

33. *In vita regnabunt.)* ideſt, in regno vitæ futuro, quod Saluator vocat cœlorum regnum, vbi beati ab omni mortis periculo & lege, ſecuri & tuti degẽt: vbi Chriſtus rex omniũ ſupremus, iuſti verò inferioribus abſq; ambitione prælati, ſuperioribus abſq; rebellione ſubditi, ſecum adeò quieti, ſuo cuiuſq; ordine ſinguli reges, de quibus eſt illud beati Ioannis, In his, (ſcil. beatis) ſecunda mors non habet poteſtatẽ, ſed erũt ſacerdotes Dei & Chriſti, & regnabunt cum illo mille annis, ideſt, ſeculis infinitis. Et vocat ſecundam mortem, pœnam inferni, in quam, mors hæc temporaria, tranſmittit iniquos. Regnũ autẽ vitæ futurum, haud parua habet initia in hoc ſeculo, dũ fauore gratiæ Chriſti, ſuæ carni imperant, dominantur proprijs affectionibus, & ſui ipſorum veluti Domini conſtituti, libertate magna, & tranquillitate animi gaudẽt, quos nulla premit miſeria, nulla vel calamitas perturbat, vel lædit iniuria, nec tangit aduerſa fortuna: vnde illud, Seruire Deo regnare eſt. Cuius vtique regni libertatẽ expertus Apoſtolus, quis nos, inquit, ſeparabit à charitate Chriſti? at verò cõſummata poſſeſsio, vt dictum eſt, tunc erit, cum tradiderit regnum patri. *Apo. 20.*

34. *PER vnum Ieſum Chriſtum.)* Vide Dominũ Ieſum Chriſtũ, patrem nobis eſſe ſalutis, ſicut & Adam fuit perditionis. Saluator enim eſt omniũ hominũ, quantum ad ſufficientiam: at verò, quantum ad efficatiam, non niſi fideliũ, qui accipiunt abundantiam gratiæ, & donationis, & iuſtitiæ.

35. *Igitur ſicut per vnius delictum, in omnes homines in condemnationem, ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ.)* Colligit ex dictis duos fontes, malorum ſcil. & bonorũ omniũ.

fons malorum, fuit Adæ delictum, ex quo flumina culparum,& pœnarum innumerabilium, deriuata ſunt. Fōs verò bonorum,eſt Chriſti iuſtitia,ex qua omnis gratia profluit & gloria. Vnde fit, quòd ſicut nullus moritur,niſi per Adæ peccatum, ita nullus iuſtificatur niſi per iuſtitiam Chriſti,quæ eſt per fidē ipſius, omnibus credentibus in eum, tàm præcedentibus, quàm ſequentibus eius incarnationem. Eadem eſt omnium fides. Nam ſicut nos credimus eum natum & paſſum, ita illi crediderunt naſciturum & paſſurum. Dicit itaq; diuinus Apoſtolus. *Igitur ſicut per vnius*, ſcil. Adæ, *delictum*, quod irrepſit *in omnes homines,)* ventum ſcil. eſt *in condemnationem* mortis, nam delictum Adæ, omnes reddidit morti obnoxios, *(ſic & per vnius*, ſcilic. Chriſti, *iuſtitiam)* propagatam *in omnes homines)* qui credunt, & vitæ regno ſeſe ſubijciunt,ſubaudi, ventum etiam eſt, *in iuſtificationem vitæ*. Nā iuſtitia Chriſti, ſic credita & accepta, iuſtos facit,& vitæ æternæ participes. Qualis autē fuerit culpa delicti, quātumq; iuſtitiæ meritum, explicat in ſpecie, dum ait:

36. *Sicut enim per inobedientiam vnius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi, ita & per vnius obeditionem, iuſti conſtituentur multi.)* Delictum Adæ, non dicit fuiſſe gulam, nam eſus illius arboris natura ſua, niſi eſſet prohibitus, nullū eſſet delictum : ſed dicit fuiſſe inobediētiam, iuxta illud, Quia audiſti vocē vxoris tuæ, & comediſti de ligno ex quo præceperam tibi ne comederes,&c. *Gen.3* Nec obſtat illud Eccleſiaſtici, Initiū oīs peccati ſuperbia, *Eccl.10.* quod theologi,de primo tùm angelorū,tùm hominū crimine,interpretātur. Nā,vt ibidē dicit,initiū ſuperbiæ,facit homines apoſtatare à Deo: quia prima pars ſuperbiæ conſiſtit in hoc, vt ait D. Tho. *Tho.* quod homo non vult ſubijci præceptis diuinis, quod vtique ad inobedientiam pertinet: vnde primū hominis peccatum fuiſſe videtur inobedientia, non ſecundū actū exteriorem,ſed ſecundū motū interiorē ſuperbiæ,quo voluit diuino præcepto contraire, dicente Aug. *Aug.2. ſup. Gen.* quod primus ſuperbiæ illius mot^9 fuit elatio,qua noluit ſubeſſe & obedire, & fortè nō tantùm præcepto ſibi impoſito, verùm nec diuinæ gubernationi ſubeſſe voluit. Impoſuerat eni illi Deus, illud facile præceptum, vt vel ita homines inteligerent, non de bobus, ſed de hominibus Deum curam habere, Deoq; ſemper illos indigere, tanquā cæcos ſuo ductore, ac proinde in omnibus eū inuocarent, & in eum ſperarent. At verò primus parens,audito quod aperirentur illius oculi,ſciretq;,vti Deus,bonū & malum, eo ſuperbiæ elatus eſt, vt fortaſsè cogitaret, abſque Dei ducatu,& adminiculo ſe per ſe poſſe deinceps gubernare inter bonum & malū. Ob quam impietatem,meruit ſpoliari ſupernaturalibus illis donibus,ac præſidijs,vt à Deo deſertus,quàm eſſet naturæ imbecillis,ac fragilis,experiretur.

VT igitur delictū Adæ,fuit quędam deteſtabilis inobedientia, ſic etiam cōtrario modo iuſtitia Chriſti,fuit quædā mirabilis atq; ſtupenda obedientia. Nam factus eſt obediens vſque ad mortem, *Philip.2* mortē autē crucis. Nec refert quod dicitur,Chrūm ex charitate mortuum, nā hoc ipſum quod obediuit, proceſsit ex ardentiſsima erga patrem, & erga homines charitate.

Notandum eſt diligenter quod in hoc loco docet D Th. *Tho.* nempè quòd per obedientiam,& inobedientiam probat Apoſtolus nos per vnum peccatores effici,& per vnū iuſtificari : quia iuſtitia legalis, quæ eſt omnis virtus, attenditur in obſeruatione præceptorū legis, quod pertinet ad rationem obedientiæ: vnde Chrūs volens à Ioāne baptizari,inquit, Sic decet nos implere omnem iuſtitiā. *Mat 3.* Iniuſtitia autem illegalis,quæ eſt omnis malitia, vt ait Philoſophus, *Eth.5.* attenditur in tranſgreſsione mandatorū legis,quæ pertinet ad rationē inobedientiæ. Meritò ergo dicitur,quod per obedientiam conſtituuntur homines iuſti, & per inobedientiam peccatores.

Notandum etiam,ex alio doctore, *Soto.* circa hoc quod ait, *(Conſtituti,)* vnde appertè colligitur de peccato originali loqui: nam conſtituti, idem ſonat, quod citra filiorum conſenſum,parentis inobediētia rei facti, antea quàm naſcerentur :

ſicuti

ſicuti & obedientia Chriſti, pari contra
forma, iuſtos nos abſque noſtris conſti-
tuit meritis. Quocirca non ſolùm ad a-
dultos, ſed etiam vſque ad infantes an-
te vſum rationis, tàm gratia hæc protẽ
ditur, quã in illa culpa. Hæc ille.
Notandum inſuper attẽtè, primam ſcin
tillam inferni, quæ in hunc mundũ in-
trauit, diabolo portanre, fuiſſe inobe-
dientiam. Hac, magna ſylua incenſa eſt,
Hac, totus mundus ardere cœpit. Nam
vnus Adam, dum non obtemperat præ-
cepto Dei, plurimos traxit in peccatum:
vnde, inquit Paulus, *Peccatores conſtituti
ſunt multi.*) At verò, aqua baptiſmi Chri
ſti, & lachrymis pœnitentiæ, extinguitur
hic malus ignis: ibi enim obedientia
Chriſti participatur, qui obedijt patri
vſque ad ſupplicium crucis, ac proinde
multi fiunt iuſti, obediẽtiæ ſectatores.
Deteſtãda eſt igitur iam omnis rebellio,
cum videamus clementiſsimũ Dominũ
obtemperaſſe vſque ad crucem, vt nos
faceret ſuæ conſortes diuinitatis, atque-
adeò donaret æterna vita. Sed nos vice
verſa, tot illi nominibus debitã obediẽ-
tiam, ſic paſsim ſubtrahimus, vt in obſti
natam dæmonum naturam degeneran-
tes, prolabamur in æternam mortem.

37. *LEX autem ſubintrauit, vt abunda-
ret delictũ. vbi autem abũdauit delictum,
ſuperabũdauit & gratia, vt ſicut regnauit
peccatum in mortem, ita & gratia regnet
per iuſtitiam, in vitam æternam, per Ieſum
Chriſtum Dominum noſtrum.*) Reſpõdet
tacitæ quæſtioni, qua quis poterat quæ-
rere a Paulo, videlicet, docuiſti hactenus
ò diuine Apoſtole, quod per vnius obe
ditionem, iuſti conſtituentur multi, ſed
animus meus circa hoc hæret in dubio.
Nam ſi Dei cõſilio deſtinatum erat, tali
via tollere peccatum, & cõferre iuſtitiã,
& vitam, quorſum attinebat legem in-
ducere, quæ nihil conferret? Reſpondet
dicendo, hoc legem contuliſſe, vt per cã
clarior, & euidentior eſſet Dei erga nos
beneficentia. Quo magis enim eminet
& ſæuit peccatum, hoc magis elucet eius
beneficium, qui à peccato liberat. (*Lex
autem*, inquit, *ſubintrauit*,) idest, ad tem
pus introducta, & impoſita eſt populo
imperfecto, per cuius aduentũ, vitio nõ
obſeruantium, factum eſt, (*vt abunda-
ret delictum.*) ideſt, vt grauiora, & plura
fierent ab eis peccata, dum multa præ-
ciperet, quæ ſine lege peccata nõ eſſent,
dumq; malũ demõſtrans, per occaſionẽ
augeret tentationem, & auxiliũ gratiæ
non præberet ad euitãdam. Nam cupi-
do per legem compreſſa, magis recru-
deſcit, ſicuti contrarium ſuo contrario
circunſeptum. In iis quæ licent, liber-
tas ipſa faciendi quũ libuerit, reſtinguit
libidinem, vt coniugatis compertũ eſt.
In illa verò quæ interdicta ſunt, quia
tanquam ardua magnæq; molis iudican
tur, impetuoſius fertur æger animus,
quibus adeò maiori cum voluptate po-
titur. Quum ergo lex auxilium gratiæ
non præberet ad mitigandam concupi-
ſcentiam, (nam lex per Moyſen data eſt,
gratia & veritas per Ieſum Chriſtum fa- *Ioa. 1.*
cta eſt) eam peius inflamabat, iubẽdo,
& non iuuando. Vnde Aug. Lex, inquit, *Aug. de*
prohibendo, auget deſiderium malum, *ſpũ. &*
ſicut aquæ impetus, ſi in eam partem *lẽã. c. 4.*
non ceſſet influere, vehemẽtior fit obice
oppoſito, cuius molem cum euicerit,
maiori cumulo præcipitatus, violẽtius
per prona prouoluitur: & cauſam ſub-
dens, ait, Neſcio quo enim modo hoc
ipſum quod concupiſcitur, fit iocũdius
cum vetatur. Et idem ſuper Ioannem, ſa *Aug. ſu-*
pienter adnotauit dicens: Ante experiẽ *per Ioa.*
tiam legis, dicebat ſuperbus populus, *tract. 3.*
non deeſt qui impleat, ſed deeſt qui *Exo. 24.*
iubeat: omnia quæ locutus eſt Deus fa
ciemus, & erimus obedientes. At poſt
receptam legem, quæ non adiuuabat, ſed
minabatur, efferuere illis cœperũt ap-
petitus idololatriæ, aliorũq; ſcelerum:
atq; hoc forſitan ſibi vult Paulus dicere
in verbo (*ſubintrauit*,) illud enim ſubin
trat, (vt ait Orig.) quod vnà cum alio *Orig.*
intrat, bonæ intentioni legiſlatoris ad-
iungitur occaſio mala ex hominũ pra-
uitate. In eo autem quod ait, (*vt abun-
daret delictum*,) particula (*vt*) non cau-
ſam, ſed euentum rei ſignificat, ac ſi di-
ceret, propterea quia ſubintrauit lex,
factum eſt, vt delictum abundaret, quo
etiam verbo (*abundaret*) peccati tyrã-
nidẽ deſignat, quam nobis apperuit lex,

dum ei fruſtrà obluctarentur homines, ſine gratia Chriſti: (*ſed vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia,*) quaſi dicat, potens erat & valida peccati tyrannis, ſed potentior Dei benignitas, quam hoc magis ſentimus, quo grauiorem mortis tyrannidem hactenus experti ſumus. Atq; hoc certè legi debemus, quod inteligimus diuini beneficij magnitudinem, quo factum eſt, (*ut ſicut regnauit peccatum,*) ideſt, diabolus per peccatum, (*regnauit,*) ideſt, tyrannidem exercuit, (*in mortem*) quā ſcil. in omnes inuexit, vel tyrannidem adeptus (*in mortem,*) ideſt, mortem in omnes inuexit, (*ita*) ſcil. Deo largiente, (*gratia*) Chriſti, in cordibus fidelium (*regnet*) ideſt, dominetur, (*per iuſtitiam*) ideſt, per iuſtitiæ exercitationem, quam ſcil. iuſtitiam in nobis facit gratia Chriſti, cuius iuſtitiæ vel gratiæ habitus, debet tendere in actum, quouſq; ducat nos (*in vitam æternam*) quæ eſt merces iuſtitiæ & cōſummatio, (*per Ieſum Chriſtum dominū noſtrum*) ideſt, autore Ieſu Chriſto dño noſtro, quo vno domino ac principe gloriamur, iam à mortis ſeruitute liberi, ſub cuius mortis imperio, paulò ante militauimus.

AD ea quæ dicta ſunt, poſſunt addi & aliqua quæ videntur cognitione digna. Primùm circa id quod dicit, (*Lex ſubintrauit vt abundaret delictum*) quod videtur poſſe inteligi de omni lege, tàm diuina, quàm humana, ſi fidem & gratiam Chriſti ſemoueas. Nā fides, teſte Aug. docet nos à quo debeamus auxiliū petere, vt faciamus quod lex iubet, lex autē vt à gratia & fide diſtinguitur, omnem legem videtur comprehēdere. At verò hoc fuit peculiare legi veteri, quod augendo cognitionem peccati, & multiplicando præcepta, maiorem obtulit occaſionem peccandi, quàm lex naturæ, & aliæ leges.

Aug. de ſpū & litera.

SED eſt maxime notandum, quod cum intētio ſūmi legislatoris fuerit per legē aperire diuerſitatem recti, & praui, quo faciliùs homines & declinarent malum, & facerent bonum: Deinde etiam aduentum prænuntiare Saluatoris: idcirco benè natis, rectéq; inſtitutis hominibus, non potuit lex, alicuius eſſe occaſio mali, ſed plurimi potius cauſa boni. Nā per moralia præcepta inſtituebantur, per cæremonalia diuertebantur ab idololatria, & venturi Chriſti admonebantur, vnde Paulus, Lex, inquit, pedagogus noſter fuit in Chriſto, ideſt, in his quæ ad Chriſtum pertinent. *Gal. 3.*

Peruerſi verò & rebelles homines, multis inde modis nacti ſunt occaſionem augendi maiora peccata, vt dictū eſt, de quo eſt illud Pauli, Lex iram operatur, ſcil. per occaſionem non obſeruantium.

Notandū prætereà, circa hoc quod ait, (*ſuperabundauit et gratia:*) illud poſſe inteligi tàm ex parte Dei largientis, quàm ex noſtra recipientium. Ex parte item Dei, tripliciter, primo quidem ex numero, quia non ſolum vnum peccatū Adæ, quod per originem transfuſum eſt, ſed etiam omnia actualia proprio cuiuſque arbitrio cōmiſſa, per gratiam Chriſti condonata ſunt. Deinde ex qualitate, & modo, ſcil. (*ſuperabundauit*) propter gratiæ Chriſti eximiam virtutē. Quemadmodum enim infirmos corpore, perfectè ſanabat Chriſtus, vt nullus illis languor reliquus fieret, ſed ea euaderent valetudinis firmitate, vt poſſet qui iacebat in grabato, illud confeſtim humeris portare, ita nō ſolùm nos à cōmiſsis culpis, earumq; ægritudinibus curat, verùm quantum ad gratiæ virtutem pertinet, vires noſtras corroborat aduerſus tentamenta, vt poſsimus omnino futura cauere crimina, vt ſequēti cap. mōſtrabit. Tertiò, ex præmij magnitudine: (*ſuperabundauit etiam gratia Dei,*) nam pro vita temporali, quam culpa Adæ amittimus, comparata eſt nobis à Chrō vita illa fœliciſsima, & ſempiterna, quā viuunt beati in cœlorū regno: à cuius iure, licet nos etiam orbauerit peccatum illud, maiori tamen gloriæ cumulo, inſtauratum eſt nobis per Chriſtum. Ingreſſus enim regni, glorioſior eſt modo, quàm ſi ſtatus innocentiæ perduraſſet. Triumphator ille glorioſiſsimus, tradet quidem regnum Patri, ſanguine proprio comparatum, virginum laureis florens, confeſſorum meritis decoratum, martyrum

tyrum ſtemmatibus, ſtigmatibusq;, ac trophæis ſplendidū: quibus certè ornamentis, caruiſſet illa ſublimis beatorū ciuitas, niſi (*vbi abundauit delictum, ſuperabundaſſet & gratia.*) Hoc verò igno ramus nos, ſi homines non peccaſſent, vtrùm efferendi & ſublimandi eſſent, vſque ad choros Angelorum, an forſan, ſicut natura inferiores, ita deberent eſſe in gloria, ſed nunc iam credimus inter angelicas ſedes homines collocatū iri, quinimo & beatiſsimam Virginē ſuper choros Angelorum exaltatam. In ſumma, ſi vera eſt concordior Patrum ſententia, hoc nobis defuiſſet inſigne, quod ſi Adam non peccaſſet, non fuiſſet homo Deus. Ecce quomodo gratia Dei, ex parte ipſius, abundauit ſupra culpæ Adæ incommoda.

A parte quoque noſtra, abūdantia peccati, abundantior eſt quodammodo diſpoſitio ad reſipiſcendum. Nam quo delictorum accerrus maior eſt, & quo eorum pondus grauius, eò hominem bene natum, abiectiorem, humilioreḿq; reddit, vt opem magis ſupliciter expoſtulet à Deo, cautioremq́; facit in futurum: id quod manifeſtè videtur in lamentis Dauid Regis, & lachrymis Magdalenæ, quæ de ſuis flagitijs odoriferū confecit balſamum pœnitentiæ, vt audiret dimiſſa ſibi peccata multa, quoniam dilexit multum. Nam cui plus dimittitur, plus diligit. Quanuis hoc non ſemper contingit, quia & abſolutè loquēdo, & cæteris paribus, innocēs plus tenetur Deum amare, pluſque amatur à Deo, quàm peccator conuerſus, vt ait D.Th. *Tho.*

Notandum præterea, circa id quod ait, (*Regnauit peccatum,*) quod regnare peccatum, non eſt vtcunq; committi, (tametſi conſenſus, nonnullum ſeruitium ſit, iuxta illud, Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati,) ſed ſubditam, ac penè vinctam habere libertatem. Vbi enim quis ignorantia delinquit, aut repētina animi cōmotione corruit, peccatum, nō tàm rex eſt, quàm fur, inſidiatorq;: cum tamen iam homo obdurata mente prudens & ſciens, abſque vllo prauitatis ſenſu, ſuis cupiditatibus inſeruit, ita vt neq; *Ioa.8.*

legis memoria, neque vllo Dei metu, tyrannidem, iugumq́; peccati valeat excutere, tunc iam in regnum prorſus deſciuit, & dominatum eius: id quod in peccato idololatriæ Iudæorum ſatis cōpertum eſt.

Notandum præterea, non ſimpliciter dixiſſe, (*gratia regnet in vitam æternam*) ſed (*gratia regnet per iuſtitiam*) quod referri poteſt, vel ad iuſtitiam Chriſti, in quo gratia, plena iuſtitia, mirificè effulſit. Vel ad effectū ipſius gratiæ in nobis, quæ noſtra fuit iuſtificatio. Vel certè ad iuſtitiam operū, quæ iuſtificati, diuino fauore operantur. Nam quandocunq; Paulus ſermonem facit de dono gratiæ, illud abſque noſtris meritis aſtruit nobis impēdi: vbi verò de præmio vitæ æternæ, iuſtitiam operum in meritum commemorat, quæ per fidei gratiā fiunt.

Notandum denique & diligenter ex D. Aug. quod licet per gratiam Euangelij, pars ſenſualis, non prorſus ſubijciatur rationi, veluti per iuſtitiam originalem; tamen quodam modo præclarius nobiſcum actum eſt per gratiam, quàm olim cum Adam per iuſtitiam illam originalem. Quæ quidem tantùm præſtabat vt poſſet homo perſeuerare ſi vellet, haud tamen dedit vt perſeueraret, aliàs non cecidiſſet. At verò per gratiam Chriſti plurimis egregijs viris collatum eſt, vt perſeuerarent, illis nempè qui nullum crimen admiſerunt mortale: quàm plurimis inſuper, vt martyribus, donatum eſt, inter ſæuiſsima, immaniaq́; tormenta perdurare vſque ad mortem. Adam, inquit Aug. terrente nullo, & inſuper contra Dei terrentis imperium, libero vſus arbitrio, non ſtetit in tanta nō pec candi fœlicitate: iſti autē non terrente mundo, ſed ſæuiēte ne ſtarent, ſteterunt in fide. Cum videret ille bona præſentia quæ fuerat relicturus, iſti autem futura bona, quæ accepturi fuerant, non concernerent. hæc ille. *Aug. in lib. de corr. & gratia.*

Super hæc autem omnia, tum, Apoſtoli confirmati ſunt, vt non ſolùm nō offenderent mortaliter, verùm neque offendere poſſent. Tum demum, beatiſsima Virgo, vt neque in leuiſsima venialia

ſublaberetur. Hæc omnia per IESVM Chriſtum eius Filium, Dominũ noſtrũ.

ARGVMENTVM SEXTI CAPITIS.

PROPOſitæ quæſtioni & inſolutæ in tertio Capit. an ſcil. in peccato ſit permanẽdũ, vt gratia Dei abundet, vtq; magis clarificetur gloria Dei, reſpondet modò, nequaquam id conuenire: nam qui ſemel per baptiſmum, (qui eſt ĩ imitatió mortis Chriſti) peccato ſumus mortui, debemus, noſtro vetere homine in illum conſepulto, peccati tyrannidem excutere, & in nouitate vitæ ambulantes, Deo ſeruire, & fructificare.

CAPVT. VI.

QVID ERGO DICEMVS? Manebimus in peccato, vt gratia DEI abundet?

EXPLANATIO.

1. *QVID ergo dicemus? manebimus in peccato, vt gratia Dei abundet? Abſit.*) Quoniam dixerat in fine præcedentis capitis, per legem exuberaſſe peccatũ, idq; in hoc profuiſſe, quod magis exuberaret Dei benignitas, noſtraq; iniuſtitia magis commendauit diuinam iuſtitiã: quod quidẽ aliquis poſſet malè inteligere, quaſi abundantia delicti eſſet cauſa ſuperabundantiæ gratiarum, indeq; occaſionẽ arripere, in vitijs perſeuerandi: Ideò nũc mouet hanc quæſtionem dicens, (*Quid ergo dicebimus? manebimus in peccato?*) ideſt, ſi peccatũ illuſtrat, & auget beneficentiam DEI erga homines, expedit ne iterum atq; iterum peccare, quo magis abundet? opporteret hoc dicere, ſi delicta eſſent propriè & directè cauſa incrementi gratiæ, ſicuti & iuſtorum virtutes: cum tamen id non innuerit Paulus, ſed quod ſunt occaſio, velut materia quæ per gratiam aboletur. Imò contrarium huius ex dictis licet colligere & aſſerere, nimirùm, ſi gratia extinguit delicta, veluti rem diuinæ amicitiæ aduerſam, cauendum deinceps nobis eſt, ne in eiſdem relabamur: nam ideò nos Deus ad ſuã amicitiam adiungit, vt ab ea nunquam diſcedamus, ſed officijs aſſiduis eã colamus, quia cui plus dimittitur, plus tenetur diligere. Conuenienter igitur Apoſtolus, protinùs reſpondens, execratur talem blaſphemiam, dum ait,

2. *Abſit.*) ſcil. à pijs mẽtibus iſta tam impia cogitatio: de priſtinæ vitæ peccatis locutus ſum, quæ Deus nobis vertit in bonũ. Verùm (*Abſit*) vt poſteaquàm ſemel à peccati tyrannide ſumus aſſerti in regnum innocentiæ, rurſus à vindice noſtro deciſcamus, & in veterẽ tyrannidem precipites eamus. Ex hac igitur Pauli reſponſione, ſcil. (*Abſit*) elicienda eſt nobis concluſio & prothema totius cap. videlicet, quòd non eſt vllo pacto manendum in peccato, ſed perſeuerandum in iuſtitia.

3. *QVI enim mortui ſumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo?*) Pugnant inter ſe vita & mors, adeò vt viciſsim ſeſe profligent, neque ſimul cohæreãt iuxta eandem rationem: itaq; cum ſimulatq; cœpimus Chriſto viuere, (*mortuiq; ſumus peccato.*) vel diabolo, (*quomodo adhuc viuemus in illo?*) hoc eſt, quã conuenit vt adhuc illi viuamus, cui iam mortui ſumus? non enim naturalis ordo rerum habet, vt à morte redeatur ad

vitam,

vitam, quandoquidem à priuatione ad
Philoſ. habitũ, vt ait Philoſophus, impoſsibilis
Iſai.26 eſt regreſſus: & Iſai. morientes non viuant. Si Chriſto viuimus, peccato non viuimus: ſi peccato viuimus, Chriſto mortui ſumus: at nunc Chriſto viuentes, (*mortui ſumus peccato,*) quod ipſe ſua morte profligauit. Diſcrimen eſt inter hos loquẽdi modos, videlicet, mori peccato, & peccatũ mori alicui: (phraſis Paulo perquàm familiaris) viuere peccato, ſeu in peccato, idem eſt, quod vitam ſeruitio eius dicare. Nam ſeruus quidquid eſt, Domini ſui eſt: & ideò mori peccato, idem ſonat quod dominium peccati excutere, quinimo, & illud de memoria delere, ita vt peccatum vel mundus, nullam omnino memoriã mei habeat. Peccatum verò mihi mortuum eſſe vel mundum, eſt perinde me habere ad illud, ſicut me haberem ad
Gal.6. cadauer: de vtroque eſt illud, Per quẽ mihi mundus crucifixus eſt, & ego mũdo. At verò, cum Paulus ſtimulo carnis laborabat, tunc quidem, peccatum illi mortuum erat, quia neq; conſentiebat, neque conuerſabatur cum peccato: ſed tamen ille non erat mortuus peccato, quoniam inimica caro eum moleſtijs multis afficiebat. Quo ergo virtutem gratiæ, maiori emphaſi extolleret diuinus Apoſtolus, ait, per ipſam nos mortuos eſſe peccato, quantum ad ipſius pertinet facultatem.
Eph.2. Illud verò quod ad Epheſios, inquit, Cum mortui eſſetis delictis, contrariã huius habet ſignificationem, eſt enim ablatiuus caſus, & ſignificat, cum mortui eſſetis per lethifera delicta: atque etiam in hoc loco, datiuum Græcũ, per ablatiuum reddere poſſumus, vt ſit ſenſus, (*qui peccato mortui ſumus,*) ideſt, qui per peccatum mortem incurrimus, (*quomodo adhuc in illo viuemus?*) ſi per datiuum, vt iam expoſitum eſt. Peccato enim per baptiſmum, tanquam illi mortui renunciauimus, ideò non debemus amplius illi viuere.

4. *AN ignoratis fratres, quia quicunq; baptiZati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptiZati ſumus? Conſepulti enim ſumus cum illo, per baptiſmum in mortẽ, vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.*) Probat mortuos nos eſſe peccato, per hoc quod dum in Chriſto baptizamur, in morte eius baptizamur. (*An ignoratis*, inquit, *fratres,*) ideſt, fugere vos non eſt conſentaneum, quid baptiſmus Chriſti vel efficiat, vel deſignet, (*quia quicunque baptiZati ſumus in Chriſto Ieſu,*) ideſt, in nomine Ieſu Chriſti, (*in morte,*) ideſt, ad ſimilitudinem mortis ipſius, quaſi ipſam mortẽ Chriſti in nobis repræſentantes, vel (*in morte,*) ideſt, per virtutem mortis eius (*baptiZati ſumus?*) Cõmorimur enim vnà cũ illo priſtinis peccatis, illius morte abolitis, neque ſolùm cõmorimur illi, verũ etiam (*conſepulti ſumus,*) ideſt, vnà ſepelimur, idq; (*per eundem baptiſmum in mortem,*) ideſt, ad ſimilitudinem mortis illius (*vt quomodo Chriſtus,*) qui ſcil. nunquam vixerat peccato, tamen pro noſtris ſceleribus mortuus (*ſurrexit à mortuis,*) ideſt, reuocatus ad vitam æternam, (*per gloriam Patris,*) ideſt, non humanis viribus, ſed Patris glorioſa virtute, (*ita & nos*) ſcil. à morte vitiorum excitati per eundem, priſtinis vitijs mortui, (*in nouitate vitæ ambulemus,*) ideſt, nouam agentes vitam, verſemur in pietatis veſtigijs, ſemper ab honeſtis, ad honeſtiora progredientes.

5. *An ignoratis fratres.*) Emphaſim habet hæc Pauli interrogatio, quaſi turpe eſſet rem adeò manifeſtam ignorare. Publicè enim olim prædicabatur myſterium hoc de baptiſmo, vt ait quidam egregius doctor. *Soto.*

6. IN CHRISTO IESV.) ideſt, in nomine & virtute Chriſti, ad differentiam baptiſmi Ioannis, nam Apoſtoli in nomine Chriſti baptizabant. *Act.*

7. IN *morte ipſius.*) Hoc eſt, in virtute & ſimilitudine mortis Chriſti. Intentio enim eſt hìc oſtendere, qualiter baptiſmus in nomine Chriſti, ſpecimen ferat mortis eius, & non ſolùm mortis, ſed etiam ſepulturæ: ideò ſubdit.

8.

8. *Conſepulti enim ſumus.)* Sepulturæ mentionem facit, vt rationem mortis augeret. Sepultura enim, non niſi mortuis debetur. Per baptiſmum homines ſepeliantur Chriſto, ideſt, conformātur ſepulturæ ipſius. Sicut enim qui ſepelitur, ponitur ſub terra, ita ille qui baptizatur immergitur ſub aqua. Quod autem prius dixerat *(in morte)* dicit nunc *(in mortem,)* vt vtrūq; tribuat baptiſmo, nimirùm, & quod fiat in ſimilitudine mortis Chriſti, & hoc inſuper fine, vt eius efficiamur participes. Chriſtus autem Dñs, ſicuti omnes mortui, prius mortuus eſt, quàm ſepultus. Nos autem econuerſo, prius ſepelimur ſubtus aquam, vt participes mortis Chriſti, moriamur peccato. Sacramentum enim

Tho. nouæ legis, vt ait D. Tho. efficit quod ſignificat, vnde cùm ſepultura quæ fit per baptiſmum, ſit ſignum mortis peccati, mortem eius efficit in baptizato. Et hoc eſt quod dicit, quod *(ſumus ſepulti in mortē,)* vt per hoc ipſum, quod ſignum ſepulturæ Chriſti in nobis accipimus, conſequimur mortem peccati.

Dam. li. 4. c. 10. Hinc, vt Damaſcenus docet, inſtituta olim fuit illa forma baptizandi per immerſionem, vt Chriſti Sepultura illic effigiaretur: ac proinde trina illa immerſio, non ſolùm trinitatem Dei, ſed mortis etiam Chriſti triduum ſignificat, & refert. Et ſicut triduum Sepulturæ non facit niſi in vnam ſepulturam, ita trina immerſio non facit, niſi vnū baptiſma. Hinc etiam eſt quod in Sabato ſancto,

Tho. vt ait D. Tho. ſolemnis baptiſmus in eccleſia celebratur, quando cōmemoratur Sepultura Chriſti, ſicut & in vigilia Penthecoſtes, quando ſolemnizatur de Spiritu ſancto, ex cuius virtute aqua baptiſmi accipit vim purgandi: iuxta il-

Ioa. 3. lud, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt, &c. vt igitur omnia vno verbo colligam, baptiſmus, licet non ſit mors corporalis, eſt tamē mors ſpiritualis peccati: & ideò baptizamur, vt peccatum illic occidatur, & ſepeliatur, eiusq; memoria deleatur de terra noſtra, quantum poſsibile eſt.

9. *PER gloriam Patris.)* ideſt, per glorioſam virtutem Patris, ex qua ipſe Pater glorificatur, iuxta illud Pſal. Exurge gloria mea. More ſcripturæ conſueto, quæ vbicunq; inſigne aliquod miraculū maieſtatis Dei effulget, gloriā illic Dei apparere dicitur: vt patet de Manna, & Coturnicum miraculo, ecce, inquit, gloria Dei apparuit in nube. Et de tabernaculo fœderis, opperuit, inquit, illud nubes, & gloria Dei impleuit illud.

10. *ITA & nos in nouitate vitæ ambulemus.)* Secundum verba præcedentia Pauli, videtur quod eſſet additurus, ſic & nos reſurgamus, cuius loco dixit, *(ita & nos in nouitate vitæ ambulemus)* aliā reſurrectionem, vt Græci aiunt, per melioris vitæ conuerſationem afferens, vt ſcil. qui fornicabatur, iam non fornicetur, qui furabatur, iam non furetur, & ſimilia. Nam ſicut Pater glorificatur, in Filij glorioſa reſurrectione, ita etiā per conuerſationis nouitatem, debet in baptizatis honorari. Chriſtus Dominus, ſemel mortuus & ſepultus, ſurrexit ad vitam glorioſam, nunquam amplius moriturus, ipſe ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, purgatione peccatorū facta, ſedet ad dexteram maieſtatis in excelſis: & nos ei per baptiſmum conſepulti, criminibus mortui, priſtinæ vitæ renuntiantes, in ea nouitate vitæ debemus eſſe, vt ne ſigna quidem veteris hominis agnoſcantur in nobis. Neque enim aliquid velle, aut cupere debemus, quod volunt, aut cupiunt qui nondum ſunt baptizati, & quicunque adhuc veteris vitæ erroribus implicantur. Quin potiùs, contemplantibus nobis, nō quæ videntur, ſed quæ non videntur, noſtra conuerſatio in cœlis eſſe oportet: & ea quærere, & ea ſapere, quæ ſurſum ſunt, non quæ ſuper terram, quæ ſurſum, inquam, ſunt, vbi Chriſtus dominus noſter eſt, ad dexteram Dei ſedens. *Heb. 1.*

11. *SI enim complantati facti ſumus, ſimilitudini mortis eius, ſimul et reſurrectionis erimus.)* Probat neceſsitatem conſequentiæ. Chriſtus enim poſtquā fuit mortuus, reſurrexit, vnde conueniens eſt, vt ait D. Th. vt illi qui conformātur Chriſto

Chriſto quantum ad mortem in baptiſmo per mortē peccati, conformentur etiam reſurrectioni, eius, per innocentiam vitæ. Mors namq; Chriſti, & reſurrectio, non ſolùm ſunt res, ſed etiam ſigna quædam aliarum rerū. Mors enī Chriſti, ſignificat veteris ac prauæ cōuerſationis occiſionē. Reſurrectio verò, ſpiritualem mentis renouationem. Cū autem per baptiſmū inſeramur corpori Chriſti, & quodammodo in illum transformemur, quidquid in illo geſtum videmus qui caput eſt, id omne in nobis qui membra ſumus, vel exprimendum eſt, vel ſperandum. Reſurrexit ille, aſcēdit in cœlum, ſedet ad dexterā Patris. Hæc iam in Chriſto peracta, ita demū nobis ſperanda ſunt, ſi hìc eadē, quoad nobis licet, æmulemur ac veluti meditemur. In his verſari debemus per totam vitam perſeuerantes, & conſeruantes ea quæ in baptiſmo accepimus, nēpè mortē peccati, & innocentiam vitæ, quæ eſt reſurrectio animæ noſtræ. Hæc duo, ſimul contingūt, ſcil. mors peccati, & reſurrectio animæ. Quemadmodum per illuminationem, ſimul fit tenebrarum fuga, & acceſſus lucis, ſic per baptiſmum, ſimul morimur peccato, & ſurgimus ad vitam. Et hoc eſt quod dicit Paulus, (*Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius,*) ideſt, ſi in nobis aſſumpſimus ſimilitudinem mortis Chriſti, dum baptiſmo accepto, peccatis priſtinis, & noxijs cupiditatibus mortui, Chriſti mortem retulimus, ſicut ramus inſertus, refert naturā arboris in qua inſertus eſt, (*ſimul & reſurrectionis,*) ſcil. ſimilitudini, (*erimus,*) pro fuimus, complantati, more loquendi conſueto apud vulgares, vt ſi ego ſum homo, etiā ero, rationalis, vbi ponitur futurū pro præſenti. Quemadmodum igitur, per ſimilitudinem mortis Chriſti probauit Apoſtolus, quod ſumus mortui peccatò, atque adeò non debemus amplius peccare, ſic & per ſimilitudinem reſurrectionis eius, probauit quod debemus innocenter viuere, & pijs actibus nos iugiter exercere, quibus & illa hìc exprimitur, & in futuro ad ſimilem gloriam peruenitur. Reformabit enim corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ. Et, Si mortui ſumus, *Phil. 1.*
& conuiuemus. *2.Tim.2*

12. *Complantati.*) Non idem ſonat quod ſimul plantati: nam arborū quæ ſimul ſeruntur, nulla alterius humore nutritur: ſed idē valet quod in arbore plantata, plantati & inſiti: & illuc ſpectare videtur, vbi ait Dominus, Ego ſum vitis vera, & vos palmites, & pater me agricola eſt. Nam idem agricola, & filiū plantauit in cruce, & nos illi complantat in baptiſmo, tāquam ligna ſecus decurſus aquarum, vt de plenitudine eius nos omnes accipiamus. Nam ſicut ramus humorem excipit ab arbore, quo humore in eandem coaleſcit naturam, ita & nos, per intimū diuinæ gratiæ influxū, debemus in Chriſto fructeſcere.

13. *Similitudini mortis eius.*) Per hoc exponitur quod dixerat, in morte ipſi baptizati ſumus. Chrūs Dominus peccatum non fecit, nec contraxit, ſed miſſus in ſimilitudinem carnis peccati, factus eſt pro nobis maledictum, chirographum delicti noſtri affigens cruci, ac deinde ſepultus eſt: nos verò corporaliter quidem non morimur, ſed in aqua ſepelimur baptiſmi, vbi peccata relinquimus, quæ verè aut contraximus, aut fecimus. Sic quoq; baptizari, Chriſti mortem immitamur, non vt verè mortē oppetamus, aut corpus noſtrum violemus, ſed ſi, vt dictū eſt, ad priſtinas cupiditates ſic obſtupeſcamus, vt illis mortui videamur.

14. *HOC ſcientes, quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, vt deſtruatur corpus peccati, vt vltrà non ſeruiamus peccato.*) Oſtendit, facultatem nobis adeſſe non permanendi in peccato. Cum enim dixiſſet, quod debemus in nouitate vitæ ambulare, ne hoc cuiquam impoſsibile videretur, addit (*hoc ſcientes,*) ideſt, diligenter attendentes, (*quòd vetus homo noſter,*) ideſt, terrenus Adam, quem immitando peccamus, (*ſimul crucifixus eſt,*) ideſt, vnà cum Chriſto ſublatus in crucem velut occiſus eſt: hoc contingit nobis

nobis per baptiſmum, in quo membra Chriſti efficimur. Et ille quidem innoxium corpus appendit, vt noxium nos à vitijs ſuſpendamus: in cuius myſterio Moyſes Serpentem Æneum in deſerto exaltauit, vel ſuſpendit. (*vt destruatur corpus peccati,*) id eſt, vt omnia vitia deſtruantur. Nam vnum vitium, membrũ eſt peccati: omnia verò, corpus totum. Chriſtus non ex parte, ſed integer eſt crucifixus. Vel (*destruatur,*) id eſt, extinguatur (*corpus peccati,*) id eſt, omnis rerum caducarum cupiditas, quam in vniuerſam vim, corpus peccati meritò quis dixerit. Id ſalubriter moritur in nobis, quoties extinctis noxijs affectibus, non amplius ſeruimus peccato, ideò quaſi exponendo ſubdit, (*vt vltrà non ſeruiamus peccato.*) id eſt, corpus noſtrum deſtruatur à ſeruitute peccati, & fiat iuſtitiæ mancipium, quod ſolebat eſſe delicti. Quemadmodum ramus inſitus, nõ viuit amplius vita propria, ſed illa quam ei truncus ſubminiſtrat, ita qui per baptiſmum inſeritur Chriſto, non debet amplius viuere vita culpæ, ſed gratiæ,
Apoc. quam ei Chriſtus copioſè largitur: ſtat enim ad oſtium & pulſat.

Spiritualis autẽ inſitio noſtri in Chrõ, eſt valde longè diuerſa, ab ea quæ fit per artem agriculturæ. Nemo enim inſerit ſylueſtrem arborem in prætioſa, ſed vice verſa pirum in quercu, nempè vt inſitus ramus humorem quem ſugit degeneris trũci, in bonum fructum digerat. Nos verò contrà in baptiſmo, veluti ſteriles rami inſerimur prætioſiſſimæ arbori, quæ Chriſtus eſt, vt ſuo ipſi[us] diuino humore, fructus gratiæ profetamus.

15. *VETVS HOMO.*) Iuxta duplicẽ originem, duos in nobis homines oportet imaginari, alterum veterem & craſsioriorem, & Adæ terrenum ſimilitudine reddentem, eſt qualis per Adæ genituram procreatur, vtpotè nõ modo in peccato, ſed in peccati fomite, cum alijsq; mortis legibus natus: eſt deniq; fomes peccati, & veteris Adæ reliquiæ. Alterum nouum & cœleſtium appetentem, vt qui à Chriſto cœleſti duxit originem.

SED ex his iam occurrit dubium non contemnendum. Si per baptiſmum, vt dictum eſt, inſerimur Chriſto, in quo vetus homo crucifixus eſt, vnde nobis tot moleſtiæ carnis noſtræ, & acerba ipſi[us], aſsiduaq; pugna aduerſus ſpiritum, & lex membrorum legi mentis repugnãs, vt Paulũ etiam ipſum cogeret clamare, Quis me liberabit de corpore mortis huius? ſed dicẽdũ, quod gratia Chriſti, non adimit nobis libertatem, neq; naturã carnis, nec Paulus dicit, quod ſtatim deſtruitur corpus peccati, ſed quod crucifigitur, hoc eſt, debilitatur, ac viribus imminuitur vetus homo, vt exercitio deſtruatur corpus peccati. Nec ait quod non peccemus, hoc enim pro humana fragilitate, eſt nobis impoſsibile, ſed ne amplius ſeruiamus peccato tanquam Domino, cuius tyrãnidi nos ſubijciamus. Facultas igitur gratiæ & ingenium eſt, armare nos, & conſtabilire aduerſus carnis concupiſcentiam, quam ſuaptè natura eneruare, extinguereq́ue conatur. Hoc tamen vt perficiat, plurimo negotio opus eſt, & indefeſſo conatu: & hac quidem via poteſt Chriſtianus homo, veterem in ſe hominem confodere & crucifigere, vt dicat tandem cum D. Paulo, Viuo ego, iam non ego, Gal. 2.
viuit verò in me Chriſtus. Hanc gratiam meruit nobis Chrũs in cruce per debitam placationem, & condignam ſatisfactionem ante Patrem, datq́; in baptiſmo per quem Chriſto cõmorimur. At verò victoria conſummata veteris hominis, non niſi aſsidua exercitatione eiuſdem gratiæ comparatur. Quamobrem videat Chriſtianus homo, & caueat, ne gratiam Chriſti in vacuũ receperit, ſed eam potius colat aſsiduis pietatis officijs, vt ad perfectionem Chriſtianam perueniat.

16. *QVI enim mortuus eſt, iuſtificatus eſt à peccato.*) Congeries peccatorum deſtruitur, quando peccata homini remittuntur: hoc itaque modo deſtructionem corporis peccati manifeſtat dum ait, (*qui enim mortuus eſt,*) ſcilic. per baptiſmum quo Chrõ cõmorimur, (*iuſtificatus eſt à peccato,*) hoc eſt, à ſtatu pecca-

peccati cõmiſsi, tranſlatus eſt in ſtatũ iuſtitiæ: in numerumq́; iuſtorum cooptatus, deſijt eſſe peccato obnoxius, à cuius tyrannide iam eſt aſſertus. Mira ra pulchritudo fontis baptiſmatis, pulchrioris vtique illo qui erat in medio Paradiſi, ex quo non aqua elementaris, ſed vera emanat iuſtitia, per quam ad cœleſtem beatitudinem peruenitur. Sũma igitur cura ac diligentia, cuſtodiẽda eſt iuſtitia hæc, ne ſi amittatur, fiant nouiſsima hominis peiora prioribus: ſi autem firmiter teneatur, cœleſtis illa fœlicitas deeſſe non poteſt. Vnde dicit,

17. *SI autem mortui ſumus cum Chriſto, credimus quia ſimul viuemus cum illo.)* Hoc eſt, ſi ſumus commortui Chriſto mortuo, à priſtinis vitijs liberi *(credimus,)* ideſt, confidimus fore, eiuſdem. ſ. beneficio. *(quia)* pro quod, per vitæ inculpatæ innocentiam, *(ſimul viuemus cum illo,)* ideſt, cum Chriſto viuente viuemus, hîc vitam gratiæ, & in futuro vitam gloriæ, vitam inquam gratiæ, nã ita debemus viuere per gratiam baptiſmalem, ne vnquam relabamur in mortem peccati, & in hoc, Chriſti ſimulachrum quoad fieri poteſt, referentes. Vnde dicit,

18. *Scientes, quod Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur: quod enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel, quod autem viuit, viuit DEO. Ita & vos, exiſtimate vos mortuos quidem eſſe peccato, viuentes autem Deo, in CHRISTO IESV.)* Corroborat ſententiam ſuam, & perurget nos ad perſeuerandum in noua vita, exemplo Chriſti reſurrectionis. Neque enim ille ſic reſurrexit, vt denuò ius aliquod morti in ſe permitteret, ſed reuixit immortalis deinceps futurus. *(Nam quod mortuus eſt peccato,)* ideſt, pro peccato tollendo, *(ſemel)* ſcil. dumtaxat *(mortuus eſt,)* cæterùm *(quod nunc viuit, viuit Deo,)* ideſt, ad conformitatem Dei, cuius virtute reuocatus eſt ad vitam immortalem. Effectus enim conforma-
Th. tur cauſæ, vt ait. D. Tho. vnde & vita quam Chrũs reſurgens acquiſiuit, eſt Deiformis, ſicut ergo vita Dei eſt ſempiterna, & abſque corruptione, ita & vita Chriſti eſt immortalis. *(Ita & vos,)* ideſt, ad exemplum Chriſti, *(exiſtimate vos)* quoque ſemel, *(mortuos eſſe peccato)* extinctis per baptiſmum priſtinis vitijs & cupiditatibus, tanquam ad eadem nunquam ſitis reuerſuri; nũc autẽ alios factos, ac veluti reſuſcitatos, *(viuentes)* quaſi vitam immortalem, *(Deo,)* ideſt, ad honorem, vel ſimilitudinem Dei, cuius beneficio contigit innocentia. Neque enim Deo viuit, niſi qui viuit pietati, niſiq; iuſtitiæ cæteris virtutibus. Cum enim inſiti corpori Chriſti, idem facti ſimus cum illo, neceſſe eſt, vt capiti membra reſpondeant. Caput autem Chriſtus eſt: is cum Deo viuat iugiter, conuenit vt nos item eidem viuamus, *(in Chriſto Ieſu,)* ideſt, per Ieſũ Chriſtum Dominum noſtrum, ſine quo nihil boni poteſt nobis contingere.

19. *Scientes.)* Certitudinem fidei dicit, nam ſcientia, euidẽtia quædam eſt.

20. *Reſurgens.)* In Græco eſt excitatus, ſeu qui ſurrexit, pro quo ponitur, reſurgens. Nam verbum reſurgo, non habet latinè participium præteriti: vertit autem interpres, reſurgens, vt doceat, Chrũm non tam excitatũ aliena virtute, quàm propria: virtute enim diuinitatis ſuæ ſurrexit ad immortalitatem.

21. *MORS illi vltrà non dominabitur.)* Dominatur mors in homine, non ſolùm dum moritur per ſeparationem animę à corpore, ſed etiam dum viuit in hoc mundo, per ægritudines, calamitates, ærumnas, miſerias, dolores, quæ ſatellites ſunt mortis, quibus concutimur & affligimur, & ſuo nos iure fatigat, macerat, atterit, & tandem vitam abſumit. Sed ab his omnibus libera eſt vita Chriſti reſurgentis, & ideò non ſubijcitur dominio mortis, ſed potius ipſe dominium habet ſuper eam. Habet enim cla- *Apo.1.*
uem mortis, & inferni. Semper habuit Chrũs hoc dominiũ, & potuit, ſi vellet, nunquam mori, erat enim Deus verus,

&

& dominus vitæ, & mortis, qui mortificat, & viuificat, occidit, & viuere facit: tamen propter homines ſe ſubiecit morti, vt morte ſua, eos liberaret à morte, cuius dominatum iam reſurgendo reiecit.

22. *QVOD enim mortuum eſt, vel mortuus eſt.)* Vtrunq; legitur, & non variat ſenſum, Primùm refertur ad corpus, melius autem legitur mortuus, ac ſi diceret, hoc ipſum quod mortuus eſt, non ob ſuam ipſius neceſsitatem illi contigit, ſed propter delicta noſtra mortuus eſt, vt aiunt Petrus, &, Paulus. Vnde dicit.

23. *Peccato mortuus eſt.)* Idem quod de nobis, aſſerit de Chriſto, vt eius clementiam oſtendat, qui per omnia voluit fratribus aſsimilari. Sed eſt diſcrimen, quòd ipſe mortuus eſt in cruce, morte iuſtificante à peccato. Nos verò in baptiſmo, morte qua iuſtificamur à peccato. Deinde nos morimur peccato, ideſt, in pœnam peccati proprij: Chrũs verò in pœnã alieni. Fuit itaq; mors clementiſsimi filij Dei, & pœna, & prætium: pœna, culpæ alienæ: prætium, etiam debiti alieni.

24. *Semel mortuus eſt.)* Non debuit Chrũs mori niſi ſemel, vna enim morte, perſoluit debitũ naturæ aſſumptæ,
Heb.9. cui ſtatutum erat ſemel mori, & prætiũ
quoque redemptionis mundi. Cum enĩ
illud eſſet infinitum, vna oblatione cõ
Heb.10. ſummauit in ſempiternum ſanctificatos. Et per proprium ſanguinẽ introi-
Heb.2. uit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta, hoc eſt, redemptione quæ non eſſet iteranda, & integranda, ſed quæ vniuerſis peccatis abolendis ſufficeret, tàm præteritis, quàm futuris. Vnde manifeſtè colligitur, ſacramentũ baptiſmi, cum ſit imago crucifixionis Chriſti, non poſſe iterari, nec innocentia baptiſmalis ſemel amiſſa, poſſe recuperari: ſed currendum eſt ad pœnitentiam, quæ eſt poſt naufragium ſecunda tabula, qua ad littora cœleſtia venire neceſſe eſt. Conſule circa hoc, Ioannẽ
Joa.Cli. Climacum.

25. *ITA & vos exiſtimate.)* Non vtcũq; cogitandum myſterium hoc, ſed vehementi animi attẽtione aſsiduè meditandum: nempe, quid fuimus ante baptiſmum, quid poſt baptiſmũ, & per quem, & quomodo. Eramus enim viuẽtes peccato, & filij iræ, & perditionis: nunc autem mortui priſtinis vitijs, viuentes Deo, filij Dei nominamur & ſumus, per filium Dei vnigenitũ, qui cauſa huius rei, factus eſt obediens vſque ad mortem crucis.

26. *NON ergo regnet peccatum, in veſtro mortali corpore.)* Ex proximè nũc dictis, colligit hanc moralem exhortationem, videlicet, (*Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore.*) Cuius eſt ſenſus: quemadmodum Chrũs caput noſtrum, ſemel excitatus à morte, non patitur rurſum vllam mortis tyrannidẽ, ita vobis enitendum eſt, ne (*peccatum*) ſemel profligatum in baptiſmo, (*regnet in veſtro mortali corpore,*) hoc eſt, tyrannidem amiſſam in vobis recuperet, mortisq; ius iteret. Deformitas peccati, ſatis conſtat ex diffinitione Aug. qui ait, *Aug.*
eſſe dictum, vel factum, vel concupitũ contra legem Dei. Nullum eſt monſtrũ deformius. Nullus tyrannus crudelior. Seductor manifeſtior. Promittit magna, ex quibus nonquã apparet niſi ridiculus mus, aut quædam bulla. Nam omnia peccati bona, momẽtanea ſunt, proptereà, hortatur nos Paulus, vt non regnet in noſtro mortali corpore. Nam omnia eius bona, cum mortali corpore pereunt, quantum ad actum: manent tamen quantum ad reatum pœnæ. Nã in æternum punientur, niſi prius hîc puniantur per pœnitentiam. Vult ergo diuinus Apoſtolus, vt in corpore mortali, viuamus quaſi immortales, nolimusq; peccatum habere regem, ſed potiùs eũ perdere tanquam inimicum manifeſtũ, cuius virtus in cruce adeò per Chrũm fuit debilitata, vt nobis dominari non poſsit, ſi velimus.

27. *VT obediatis concupiſcentijs eius.)* Primus regnãdi modus peccati, eſt per interiorem animi conſenſum: hunc excludit

cludit Paulus dum ait, *(vt obediatis cõcupiſcentijs eius.)* ſcil. impijs & fœdis, non obediatis, quibus vos diabolus in priſtinã ſeruitutem illectat. Sic enim obedire, lege illa Dei eſt prohibitum, poſt concupiſcentias tuas non eas. Nã in hoc videtur eſſe initium regni peccati. Conſummatio verò in operis executione. Vnde dicit,

Pro. 18.

28. *SED neque exhibeatis membra veſtra, arma iniquitatis peccato.)* ideſt, ne cõmittatis vt *(membra veſtra,)* ſcil. corporis veſtri iam Chriſto cõſecrata, poſthàc ſint, *(arma,)* ideſt, inſtrumenta *(peccato,)* ideſt, in obſequium peccati, vel militent ſub peccato, aut diaboli arbitrio à Chriſto deuicti. Arma inquam *(iniquitatis,)* ideſt, ad patrandam iniquitatem. Diſcrimen inter animam & corpus, videtur eſſe illud, quod inter arma & armatum: membra corporis ſunt arma, quibus armatur animus, ad benè vel malè agendum: vnde ſi membrum corporis noſtri in malos vſus exhibeamus, arma iniquitatis illud efficitur ad iuſtitiam expugnandam, & introducendum peccatum. Penes quod, atrocius ſcelus quàm explicari valeat, cõmitti videtur. Nam ſi ciuis qui hoſtẽ patriæ, vel armis inſtruit, vel intra mœnia recipit, proditor Reipub. iure pronũtiatur: eum qui in ſeipſum hoſtem Dei admittit, vt Deum inde propellat, quo nomine dignè cenſendum putamus? Videat ergo deinceps quid agat homo, oculis, manibus, lingua, & cæteris ſui corporis membris. Nam ſi malè egerit, certè incidet in illud horrendum iudicium Ezechielis Prophetæ dicentis. Cum armis ſuis ad inferos deſcenderunt. Si autem benè, oculus non vidit, nec auris audiuit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe. Ad hoc autem ſecundum exhortatur ſtatim dicens,

Eze. 32.

29. *SED exhibete vos DEO.)* Hoc eſt honeſtum, vtile, & delectabile. Deus enim eſt omnium perfectio, gaudium, & lætitia: *(exhibete vos Deo:)* creaturæ, creatori: ſerui, Domino: imperfecti, perfectioni. *(exhibete,)* præſtate *(vos Deo,)* ideſt, ſummæ bonitati, ſummæ lætitiæ, ſummæ exultationi. *(Exhibete vos)* illi, non in parte ſed in totũ, tàm interius, quàm exterius, tota anima & tota mẽte, & totis viribus, nos illi exhibere debemus.

30. *Tamquam ex mortuis viuentes.)* Sic nos Deo exhibere debemus, videlicet, *(tamquam ex mortuis viuentes,)* æquum eſt enim, vt qui viuit, iam nõ ſibi viuat, ſed ei qui pro omnibus mortuus eſt, vt omnes illi viuerent: illiusq́; ſit, per quem & vitam obtinnit, & ſine quo nemo poteſt viuere. Fuimus aliquando mortui, miſeri, & miſerabiles, ſed per Chrũm vitam noſtram, ſuſcitati ſumus ad vitam & fœlicitatem tantam, & ecce ſumus *(viuentes tamquam ex mortuis,)* ideſt, tamquam reducti ad vitam gratiæ, de morte culpæ: ergo viuentes exhibeamus nos ei, per quem in ſpiritu facti ſumus viuentes. *2. c. 5.*

31. *ET membra veſtra, arma iuſtitiæ Deo.)* Non ſolùm potentias animæ noſtræ, ſed etiam omnia corporis membra debemus exhibere Deo, ideſt, ad obſequium Dei, *(arma iuſtitiæ,)* ideſt, inſtrumenta quædam ad exequendam iuſtitiam, quibus ſcil. pugnemus contra inimicos Dei, vt oculus qui ante videbat ad concupiſcendum, nunc videat nudum ad veſtiendum. Labia iniqua, & lingua doloſa, neſciant loqui, niſi laudes Dei, & confeſsionem ſcelerum ſuorum, & ſic de reliquis membris. Militemus ergo nos deinceps, non vitijs ad ſeruiendum diabolo, ſed iuſtitiæ ad ſeruiendum Deo. Æquum enim eſt, nos totos ei militare, cui ſemel nomina dedimus, neque quidquam habere cõmercij cũm eo, à quo iam deſciuimus. Libertatem arbitrij noſtri, oportet hic obiter adnotare, contra perfidos hæreticos eam prorſus abolentes, cum homo membra ſua, cui vult parti per eam exhibeat, ſiue in bonum ſiue in malũ. Et ſecundum Orig. inter concupiſcentiam peccati, quæ eſt in carne, & concupiſcentiam ſpiritus, quæ eſt in mente, media eſt anima, quæ per voluntatis *Hier.* *Orig.*

 aſſen-

aſſenſum, vel regnum conſtituit peccati, vt obediamus concupiſcentijs eius: vel regnum Dei, vt pareamus ipſius mandatis. Vt enim ſine diuina ope nihil poſſumus, ita niſi illi aſſenſum præbeamus, non erit eius auxiliũ in nobis efficax.

32. *Peccatum enim vobis non dominabitur.*) Hoc facit contra ignauos, & malignitate præditos, qui per excuſationẽ nolunt euitare mala, & eorum quæ cõmiſerunt, primorum hominum inſtar, non omnino fatentur culpam: ſed fruſtrà excuſantur in peccatis, cũ non deſint vires ad fugandum malum, & ſectã dum bonum. Acerrimus hoſtis eſt diabolus, qui tamquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret: ſed reſiſtite diabolo, ait Iacobus, & fugiet à vobis. Iac. 4. Sublimis eſt Deus qui in altis habitat, imò lucem habitat inacceſſibilem, ſed apropinquate Deo, inquit idem, & apropinquabit vobis. Pſal. Fortis eſt caro, quæ pugnat pro peccato contra ſpiritum, ſed (*peccatum Chriſtianis non dominabitur*) ſi ipſi volunt. Verè enim liberi ſunt, cũ filius Dei eos liberauerit in cruce, vbi peccatũ ſimul crucifixũ eſt. Cõfiguramur autem Chriſto per baptiſmum, & ſic libertate ab ipſo data gaudemus.

33. *NON enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia.*) Ac ſi diceret, nullum iam periculum eſt, ne peccatum, vos nolentes, in priſtinam retrahat ſeruitutem, quandoquidem iam non eſtis obnoxij legi, quæ cupiditates irritabat, potius quàm coercebat: ſed gratiæ Dei, quæ ſicuti præſtare potuit, vt à peccati tyrannide liberaremur, ita præſtare poteſt ne reuoluamur in peccati tyrannidem.

PER Legem intelligitur in hoc loco ſtatus antiquorum, quorũ lex ſiue naturalis, ſiue ſcripta, dici nõ poterat lex gratiæ. Pretium enim redemptionis nondum erat datum, ianua cœli erat clauſa, fides obſcura, ſacramenta grauia & infirma, (de ſacramentis in genere loquor, deq; eorum vi & energia) quoniam non ignoro, fidem per circunciſionem, id circuncisis contuliſſe, quod nobis baptiſmus: per ſe tamen efficatia non erant vllius gratiæ, auxilij ve, aut fauoris, ad legis iuſſa facienda.

PER gratiam verò intelligitur ſtatus Chriſtianorum, quorum lex, dicitur lex gratiæ, tùm quia à latore gratiæ prolata, & eiuſdem ſanguine rubricata eſt: tùm etiam, quia fides manifeſtiſsima, præcepta rariſsima, auxilia quàmplurima ad ea implenda: tùm denique, quia ianua regni cœlorũ olim omnibus clauſa, iam his temporibus, omnibus Chriſtianis per Chriſtum eſt apperta, vt meritò dicat Ioannes, Lex per Moyſem data eſt, gratia & veritas per IESVM Chriſtum facta eſt: Ioa. 1. in cuius ſignum, dum Chriſtus baptizaretur, cœli apperti ſunt. Exhortatur igitur nunc Paulus omnem Chriſtianum ad perſeuerandũ in gratia accepta contra peccatum, & ſi ceciderit, ad reſurgendum per pœnitentiam: pro omnibus enim eſt remedium copioſius, quàm olim in lege naturali, & ſcripta. Vnde Chryſoſt. Chry. Ante Chriſti aduentum, inquit, quando lex erat tantummodo præcipiens, facillimũ erat corpus noſtrum mancipatu in ſeruitutem peccati: nunc autem per gratiam, quæ & priora dimittit, & ad futura quoque cauenda nos munit, facilius illi reſiſtere poſſumus. Aug. in lib. de grã. & lib. arb. Et D. Aug. peccatum dominatur ſub lege, non quia lex mala eſt, ſed quia ſub illa ſunt, quos reos facit iubendo, & non adiuuando.

34. *QVID ergo? peccabimus quoniam non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia?*) Quoniam poterat verbum præmiſſum malè Tho. inteligi ab aliquibus, vt ſcil. fideles Chriſti non ſint ſub lege quantum ad debitum obſeruandi præcepta moralia, ex quo ſequeretur quod fidelibus Chriſti licitum eſſet peccare, ſcil. contra præcepta moralia faciendo: ideò ſub hoc ſenſu quæſtionẽ mouet dicens, (*quid ergo*) ſcil. dicemus? nunquid (*peccabimus*) contra præcepta moralia legis faciẽdo? (*quoniam*) dictum eſt, quod (*non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia.*) id eſt, quoniam à me dictum eſt, nos eſſe à lege liberos, exiſtimatis forſan lege ſublata, impunè peccandum eſſe, aut Dei gratiſ, quæ priſtina cõmiſſa condonauit, pariter

ter & in poſterum delinquendi indulſiſſe impunitatem? Reſpondet, talem deteſtando calumniam, dicens.

35. *Abſit.*) Ideſt, longè ſit à fidelium mentibus, vt occaſione gratiæ Dei, licentiores fiant ad peccandum. Neque enim ita intelexerat liberos eſſe ab illa priſca lege, vt nulla deinceps obligarentur noua: quin potius pariter per eandem baptiſmi profeſsionem, vbi veterẽ hominem exuimus in nouam vitã, legi quoque addicimur nouæ. Vnde dicit.

36. *AN neſcitis quoniam cui exhibetis vos ſeruos ad obediendum, ſerui eſtis eius cui obediſtis, ſiue peccati ad mortem, ſiue obeditionis ad iuſtitiam?*) Non ſumus nos Chriſtiani ſine lege, quia per obedientiã fidei, facti ſumus ſerui Chriſti, qui lege ignea gubernat ſuos fideles. Mutata eſt itaque ſeruitus, non protſus adempta. Ita deſiuimus eſſe ſerui legis antiquæ, vt cœperimus eſſe ſerui Chriſti, cui ſeruire, fœlicitatis eſt ſumma. Non debemus peccare, quia peccando, amitteremus verum Dominum, efficeremurq; ſerui tyranni crudeliſsimi, nẽpe peccati, cui per obedientiam nos ſubijcimus: cuius merces eſt mors culpæ in via, & mors pœnæ æternæ in gehenna. Merces verò fidelium ſanctorũ, eſt proculdubio magna nimis. Nam eſt ipſemet Chriſtus, qui eſt pulcher viſu, & aſpectu deſiderabilis. In ipſum enim deſiderant Angeli proſpicere. Eſt videntib⁹ vita æterna, & credentibus vita iuſtitiæ. Nam iuſtus ex fide viuit. Hoc eſt ergo quod dicit Paulus, (*Abſit,*) à vobis fratres, vt libertatem Chriſtianam in occaſionem peccandi habeatis. *An neſcitis,* ideſt, pro certo habere debetis. Vel res eſt manifeſtior, quàm vt eam ignorare debeatis; videlicet (*quoniam,*) pro quòd, (*cui vos*) propria voluntate (*exhibetis ſeruos ad obediendum*) ſpontaneè. (*Serui eſtis eius cui obediſtis,*) quia cùm aliquis obedit alicui, ſe ſeruum eius profitetur obediendo. Diuerſo tamen ſtipendio, vt dictum eſt, diuerſis dominis obeditur. Stipendium peccati, mors: ideò dicit, (*ſiue peccati in mortem*) accipiendam. Stipendium autem obeditionis diuinorum præceptorum, eſt iuſtitia, quæ eſt omnium virtutũ chorus, & concentus: ideò dicit, (*ſiue obeditionis ad iuſtitiam,*) accipiendam in viam, per quam peruenitur ad gloriam ſempiternam in patria. Rectè oppoſuit obeditionem peccato, vt ait D. Tho. Nam obeditio in hoc loco, eſt obſeruantia diuinarum præceptionum: peccatum verò, vt ait Ambro. eſt tranſgreſsio legis diuinæ, & cœleſtium inobedientia mandatorum. Videat igitur vnuſquiſq; cui Domino ſe ſubijcit per obedientiam, illius enim eſt ſeruus. Videat cuius fuit ante baptiſmum, & cuius eſt baptizatus, audiatq; Apoſtolum hæc nos docẽtem, dum ait, Tho. Amb.

Abac. 2.

37. *GRATIAS autem Deo, quod fuiſtis ſerui peccati, obediſtis autem ex corde, in eam formam doctrinæ, in quam traditi eſtis: liberati autem à peccato, ſerui facti eſtis iuſtitiæ*) Tria dicit, & quid fuerunt ante baptiſmum, & quid iam erant baptizati, & qua via ad hoc peruenerunt. Ante baptiſmum, fuerunt quidem ſerui peccati, (miſerrima ſeruitus) ſeruientes Simulachris, & fœdis cupiditatibus addicti. Poſt verò & per baptiſmum, facti ſunt ſerui iuſtitiæ, vt ei ſeruirent, & illius imperata facerent, iuxta nouam Euangelicæ doctrinæ formam. Ad baptiſmum autem venerunt, non vi coacti, ſed per obedientiam voluntariam. Pro his omnibus beatus Paulus, non ſolùm gratias agit Deo, ſed etiã lætus animo, videtur gratulari eis, dicendo: (*Gratias ago Deo,*) ideſt, gratulor vobis, & hoc nomine gratias ago Deo (*quod*) olim, (*fuiſtis ſerui peccati,*) nam qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati, ac etiam diaboli, qui eſt autor & inuentor peccati, nunc ab huius tyrannide deſciſcentes (*obediſtis ex corde,*) ideſt, vltrò, & ex animo vos dediſtis ſ. Chriſti imperio, (*in*) pro ad, (*eam formam doctrinæ*) Euangelicæ accipiendam, (*in quam traditi eſtis,*) ideſt, cui vos totaliter ſubdidiſtis, vel (*in*) pro ad (*quam*) à priſtinis vitijs (*traditi,*) ideſt, traducti (*eſtis,*) & ita traducti, vt prorſus in aliud ipſi trã-

ſieritis. Nam (*liberati à peccato,*) id eſt, à dominio peccati manumiſsi, (*ſerui facti eſtis iuſtitiæ*) Chriſtianæ, quæ eſt omnis virtus, vt ei ſeruiatis. Nam ſeruire virtuti, eſt ſeruire Deo, cuius eſt fructus magnus. Seruire autem vitijs, eſt ſeruire diabolo. Proinde nemo deſerat virtutem cuius factus eſt ſeruus.

38. *GRATIAS ago DEO.*) Verus gaudendi & gratulandi modus, laudandiq; virtutem & bona proximorum, eſt per diuinarum gratiarum actionẽ, per quam tamquam omnium autori reſferenda ſunt Deo opt. max. ideò præcipit Paulus in omnibus gratias agere, non hominibus, ſed Deo. Sic enim melius cauetur nociua adulatio, & periculum innanis gloriæ, veriusq; laudatur proximus, & ſecuriùs in Deo, quàm in ſeipſo. Propterea, inquit, qui gloriatur in Domino glorietur. Nam vt in ipſo eſt firmiſsima, & magni ponderis, ita extra ipſum eſt nullius, & innanis omnis gloriatio. Gratias agit Paulus, non pro diuitijs aut honoribus ſecularibus, ſed pro ſalute animarum. Sic fecit in initio huius epiſtolæ, pro fide accepta Romanorum quæ annuntiabatur in vniuerſo mundo. Gaudium enim ſanctorum tūc eſt maius, quādo eſt de virtutibus, quàm de alijs rebus proximorum. Inſtar beatorum Angelorum, qui lætantur in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. Vnde Ioannes, Non habeo, inquit, maiorem horum gratiam, quàm vt audiam filios meos ambulare in veritate. *Ioa.*

39. *Obediſtis ex corde.*) Obedientia fidei debet eſſe libera, non coacta, nec armorum metu introducenda. Ideò enim Dominus, primos illos prædicatores, miſit nudos & inermes, & tamquam agnos in medio luporum, vt prædicarent Euangelium per vniuerſum mundum.

40. *IN eam formam doctrinæ.*) Forma hæc doctrinæ, eſt Chriſti Euangelium, quod amplectitur omnes fidei articulos, ſeptem Eccleſiæ ſacramenta, & decem præcepta decalogi, & quidquid ab his pendet. Huic doctrinæ tradimur, & ſubijcimur, cum in baptiſmo damus nomina Chriſto.

41. *Liberati à peccato, ſerui facti eſtis iuſtitiæ.*) Datiuus eſt caſus, Iuſtitię, quaſi à dominio peccati manumiſsi, vt ſeruiamus iuſtitiæ. In cuius obſequio in id ſanctitatis culmen poteſt quis prouehi, vt nullam renitentiam ſenſualitatis præſentiat: vbi iam charitas foras miſerit timorem, omniaq; ex amore filiali ſuauiter fiant, vt de ipſo dici poſsit, quod de viro iuſto dicitur, quod non ſit ei poſita lex: nam metu legis non indiget ad ſeruiendum virtuti. At verò quod aliqui, vel ipſi confirmati Apoſtoli, ita ſint exempti à vinculo legis, vt liceat illam tranſgrederentur non peccarent; hæreſis eſt manifeſta. In patria vtique faciet nos illa beata viſio prorſus impeccabiles, gratia verò huius vitæ, non item, vt ait quidam Doctor. *Soto.* Nam ſeruus iuſtitiæ, obnoxius eſt legi Euangelicæ, iuxta illud, Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, & docẽtes facere omnia quæ mandaui vobis. Et vnicuiq; quantumvis iuſto pertinet illud, Si vis ad vitam ingredi, ſerua mādata. Adam primus parens, in illo fœlicitatis culmine fuit legi obnoxius, & potuit cadere, & cecidit.

42. *Humanum dico propter infirmitatem carnis veſtræ; ſicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ, in ſanctificationem.*) Exhortatur adhuc Romanos ad virtutem, ratione ſumpta ex priſtina vita: excuſatq; ſe de comparatione virtutis ad vitium, eo quod rem exigat facilem qui maiora poſſet exigere, vt ſcil. tantum iuſtitiæ præſtarent, quātum iniuſtitiæ præſtiterunt: quod dicit ſe facere, propter eorum imbecillitatem, & imperfectionem. Vnde ait, (*humanum dico,*) id eſt, exigo, poteram exigere diuinū aliquid, & ſupra humanū, tamen non exigo à vobis, niſi humanū, congruens imbecillitati veſtræ, vnde ait, (pro-

(*propter infirmitatẽ carnis veſtræ.*) ideſt, propter veſtram imbecillitatem, cui me attemperaui, cum in vobis nondum adoleuerit ſpiritus, & adhuc repullulare meditentur affectus. Illud modo requirã, vt parem habeat apud vos iuſtitia conditionem cum peccato. Itaque (*ſicut*) antehac (*exhibuiſtis,*) ideſt, præbuiſtis (*membra veſtra ſeruire,*) ideſt, ad ſeruiẽdum (*immunditiæ, & iniquitati,*) ideſt, ſpurcitijs, & vitijs (*ad iniquitatem*) aliã, & aliam perpetrandam, ſic vt libidinũ arbitrio, à turpitudine, ad turpitudinẽ prolaberemini, ſemper inquinatiores: (*ita nunc exhibete,*) ideſt, par eſt vt itidem exhibeatis (*membra veſtra ſeruire.*) ideſt, ad ſeruiendum (*iuſtitiæ*) Chriſtianæ, in cuius ius vltrò vos aſſeruiſtis, & hoc (*in ſanctificationem*) ideſt, ſanctitatem maiorem obtinendam, vt ſcil. à virtute in virtutem, vſque proficientes, ſemper puriores, emendatioresq; reddamini. Vehementer enim iniquum videtur, non hoc ſaltem ius apud nos obtinere Chriſtum, quod pridẽ obtinebat diabolus, & non idem obſequium præſtari dominæ iuſtitiæ, quod tyranno peccato præſtitiſtis. Dicit autem hoc eſſe humanum, quia ſecundum rectum
Tho. iudicium, vt ait D. Tho. exigeretur vt homo plus ſeruiret iuſtitiæ, quàm ante
Baruc.4 ſeruierit peccato. Vnde per Prophetã dicitur, Sicut fuit ſenſus veſter, vt erraretis à Deo, decies tantum iterum conuertentes requiretis eum.

43. *Humanum dico.*) Sumitur aliquãdo homo, pro re fragili, & vulgò frequenter dicitur illud Comici, homo ſũ, humani à me nihil alienum puto. Huic
Sap.9. conſonat & illud Sap. Homo infirmus, & exigui temporis, & minor ad intellectum iudicij & legum. Et Apoſt. cum
1.C.3. ſit inter vos zelus & cõtentio, nõne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis. Et ita ſumitur in hoc loco, humanum dico, ideſt, congruens infirmitati veſtræ.

44. *Propter infirmitatem.*) Perfectis, perfectiora ſunt tradenda præcepta, infirmis verò leuiora ſunt danda: iuxta illud Apoſtoli, Sapientiam loquimur 1.C.2.
inter perfectos. Et illud, Perfectorum Heb.5.
eſt ſolidus cibus. Et illud, Tamquã par- 1.C.3.
uulis in Chriſto, lac vobis potum dedi, non eſcam. Et illud, Facti eſtis, quibus Heb.5.
lac opus eſt.

45. *Carnis veſtræ.*) Infirmitas humana, non ex ſpiritu, ſed ex carne procedit: quia corpus quod corrumpitur ag- Sap.9.
grauat animam, ait Sapiens: & ipſamet Sapientia Dei, Chriſtus, dixit, quod Mat.26
ſpiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma.

46. *Immunditiæ, & iniquitati.*) Immũditia refertur ad peccata carnalia, iniquitas verò ad ſpiritualia, maximè quibus læditur proximus, vt ait S.Tho. Tho.

47. *Ad iniquitatem.*) Hic ſumitur iniquitas, pro omni peccato, quia omne peccatum eſt iniquitas, quatenus diſcordat ab æquitate diuinæ legis.

48. *Seruire iuſtitiæ.*) ſcil. in lege diuina propoſitæ.

49. *IN ſanctificationem.*) Executionem, & augmẽtum ſanctitatis deſignat, vt ait D.Tho. & apud Theologos idem ferè valet quod iuſtificatio, vt accipia- Tho.
tur pro emundatione à priori peccato, & pro confirmatione in bono, & pro augmento ipſius: qua de cauſa ambo ſimul componuntur in Apocaly. vbi dicitur, Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc: & ſanctus, ſanctificetur adhuc. Apo.22
Ad hanc ſanctitatẽ nos inuitat Pater, dum ait, Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum. Et pro eadem orat Filius, Leu.9.
dicens, Sanctifica eos in veritate. Et de conſecratione per ſanguinem ſuum ait, Et pro eis ego ſanctifico meipſum, vt ſint & ipſi ſanctificati in veritate. Pro Ioa.7.
hac ſanctitate Spiritus ſanctus facit nos clamare, Abba, pater. Ad hanc denique tamquam ad finem vltimatum præſen- Rom.8.
tis vitæ vocati ſumus omnes Chriſtiani. Vnde Apoſt. Elegit, inquit, nos, vt eſſemus ſancti, & immaculati. Et iterũ, Eph.1.
Deus vocabit nos, non ad immundi- 1.Th.4.
tiam, ſed ad ſanctificationem. Sed heu,

 quam

quàm longè, & quantos cernimus diſtare ab hoc propoſito fine.

50. *Cum enim ſerui eſſetis peccati, liberi fuiſtis iuſtitiæ. Quem ergo fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis? Nam finis illorum mors eſt. Nunc verò liberati à peccato, ſerui autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam.)* Perſiſtit in exhortatione ad virtutem, ratione ſumpta ex qualitate vtriuſque ſtatus; priſtini, ſcil. quandò erant ſub Paganiſmo: & nouiſsimi, cum iam ſunt conuerſi ad fidem. De primo, inquit, dico quod debetis ſeruire iuſtitiæ, ſicut olim ſeruiebatis peccato: effectus enim vtriuſque, longè inter ſeſe diſtant: effectus iuſtitiæ faciunt pro nobis, peccati verò contra nos, videamus vtrunque. (*Cum enim ſerui eſſetis peccati,*) dum in paganiſmo verſantes ei ſeruiebatis (*liberi fuiſtis iuſtitiæ,*) idèſt, liberi ab ea, nihil ei ſeruiebatis. Dicite ergo qui vtrunque ſeruitutis genus eſtis experti, fructum obſequij longè diuerſiſsimum expendite, & dicite, (*quem fructum habuiſtis tunc in illis; in quibus nunc erubeſcitis,*) quaſi dicat, redeat vobis in memoriam cum vitijs ſeruiretis, & obſcœnis cupiditatibus, ceù mancipia obſecundaretis, quod tandem præmij reportabatis? Fructus eſt pudor & ignominia, nam illis nunc vos erubeſcitis. Nō poteſt eſſe quidquam boni in illis quæ pereunt, & faciunt perire, peccata ſunt huiuſmodi, (*nam finis illorum mors eſt,*) & ſui ipſorum, & animarum. Voluptas enim peccati velocius tranſit quàm ſagitta, tranſiensq; percutit, & occidit ſuo veneno animam, non quidem quoad vitam naturæ, in qua eſt immortalis, ſed quoad vitam gratiæ, & damnat ad gehênam ignis, quæ eſt mors ſecunda. Perijt anima cum conſenſit peccato, ſed propter voluptatem, quæ eſt venenum peccati, conſenſit. Talis eſt merces, talia ſunt ſtipendia ſeruientium peccato. Supereſt vt videamus de ſeruientibus iuſtitiæ, quid boni illis accreſcat. Audi Apoſtolum loquentem, (*Nunc verò liberati à peccato,*) ecce vera libertas (*ſerui autem facti Deo*) ecce verum & magnum imperium, nam ſeruire Deo regnare eſt, (*habetis fructum veſtrum in ſanctificationem*) ecce vera vita. Solus enim ille verè viuit, qui ſanctè & innocenter viuit, quod ſignificat habere fructum (*in ſanctificationem,*) ideſt, ſanctificationem pro fructu, vel fructum, quæ eſt ſanctificatio. (*finem verò vitam æternam*) ideſt, immortalem, & glorioſam, quæ eſt ſummum, verumq; ſanctitatis præſentis ſtipendium.

51. *Cum ſerui eſſetis peccati, liberi fuiſtis iuſtitiæ.*) Sentētia eſt Proſperi, quod Proſp.
vt nemo poteſt duobus dominis ſeruire, ita neque eſſe poteſt abſq; domino: nec dari poteſt ſeruitus reſpectu vnius, abſque libertate, reſpectu alterius: & èconuerſo, non datur libertas reſpectu vnius, abſque ſeruitute reſpectu alterius. Qui autem iniquos, primùm vocauit ſeruos peccati, fuit Chrūs Domi- Ioa. 8.
nus. Vnde Apoſtoli id prædicatione ſua celebrarūt aduerſus gentes, qui pro libertate ducebant viuere prout libitū eſſet. Dicit hoc etiam vt pudore eos confundat, deteſtariq; faciat talem ſeruitutem. Nam ſi opprobrioſum eſt inſeruire homini vili & iniquo, quāto magis ipſi vilitati & iniquitati.

52. *Liberi fuiſtis iuſtitiæ.*) Qui reiecto iuſtitiæ iugo, liberè ſeruiunt peccato, dicuntur liberi iuſtitiæ, in datiuo caſu, in quos, vt dictum eſt, regnat peccatū: quia nec pœnæ metus, nec pudor delicti eos retrahit à male agendo. Qui ideò meritò dicuntur iuſtitiæ legibus exempti, & liberi: non quod hæc ſit vera libertas, ſed duriſsima & miſerrima ſeruitus. Cum enim homo ſit rationale, ſecundum propriam naturam, tunc erit ei vera libertas, quando viuat iuxta ſuā naturam, ſcil. rationalem. Eſt autē duplex pars hominis, nimirum ſenſualis & rationalis, ſiue animalis carnaliſque, & ſpiritualis intellectualiſque, media eſt voluntas, quæ ſi à rationis lege & ordine ſemota, partes corporis ſequatur, verè captiua tenetur, quoniam in hoc nata eſt, vt rationem ſemper ſequatur

non

non carnem. At quandiù rationi ſubdita eſt, tunc vtique ſua fruitur genuina, naturaliq; libertate, quæ illi conuenit ratione ſpecificæ formæ. Vnde fit, vt quo quis eſt magis in bono confirmatus, qualis fuit Virgo beatiſsima, & Apoſtoli ſancti, eo eſt magis liber: qua de cauſa beati in patria, diuino amore firmati, vera, ſecura, & integra libertate fruuntur: maxima autem omnium libertas inuenitur in Deo, cui peccare eſt impoſsibile. Nam peccare, non eſt poteſtas, ſed infirmitas.

53. *Quem fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis?*) Ipſa quidem vitia & peccata, ſecum adferre videntur ſupplicium ſuum, dum ſtatim hominem, conſpurcant & contaminant, & talibus probris ac dedecoribus deformant, vt poſtea quàm reſipuerit, velut à vitiorum temulentia, pudeat eum ſui ipſius, & animus à cogitatione quoque priſtinarum voluptatum aborreat. Ideò inquit, quem fructum habuiſtis, &c. vt ſuprà expoſitum eſt.

54. *Liberati à peccato, ſerui autem facti Deo.*) Quos dixerat ſeruos iuſtitiæ, dicit nunc ſeruos Deo, idem enim eſt. Ac proinde ſumma libertas. Nam ſeruire Deo, regnare eſt. è contrà, ſeruire peccato, eſt ſeruire diabolo, ac proinde ſumma infœlicitas, & miſerrima ſeruitus. Soli igitur iuſti & boni, ſunt verè liberi; iniqui autem & peccatores, ſerui infœlices.

55. *Habetis fructum veſtrum,*) id eſt, profectum, vel perfectionem vobis congruentem. (*in ſanctificationem.*) Animarum veſtrarum: iuxta phraſim ſcripturæ, dicit in ſanctificationem, ſecundū illud, Ego ero illi in patrem, pro pater, & ipſe erit mihi in filium, pro filius: ſic, habere fructum in ſanctificationem, pro ſanctificationem, ita quod fructus veſter ſit ſanctificatio veſtra, ſeu puritas animæ. Fructus haud dubiè pretioſus, ſpectabilis, & amabilis valde, quo ſpirituales & ſanctè delectantur iuſti. *Heb. 1.*

56. *Finem verò vitam æternam.*) Poſtremus arboris finis, videtur eſſe fructus illius, hominis verò non quidem fructus ſed fruitio, eſt ſummus finis, hoc eſt, fructuum perceptio. Atque adeò hic diſtinxit inter fructum voluntatis noſtræ, quæ eſt arbor bona, vel mala, ferensq; proinde bonos, malosq; fructus, & finem ipſius hominis, qui eſt æterna, vel mors, vel vita. Et Sapienter quidem dicit, vitam æternam eſſe finē ſanctificationis. Nam cum ratio videndi Deum, in qua vita æterna conſiſtit, iuxta illud, Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te, & quē miſiſti Ieſum Christum, ſit puritas, & munditieſ cordis, iuxta illud, Beati mundo corde, quoniā ipſi Deum videbunt, puritas autem & munditieſ cordis eſt ſanctificatio per opera iuſtitiæ, quæ ex charitate fiunt, vnde quo mundius & puriùs eſt cor in via, eo erit in patria viſio clarior, ac perſpicatior, benè ergo vita æterna reſpondet ſanctificationi, tanquam finis, proportionatus ſuo medio. *Ioa. 17.* *Mat. 5.*

EST autem fruitio, ipſamet Dei viſio, quæ quidem vtriusq; potentiæ, ſcil. intellectus, & voluntatis eſt actus, voluntatis quidem mouentis, intellectus verò elicientis: vt ſic componatur lis theologorum diſsidentium de actu, in quo beatitudo conſiſtit. Quid eſt aliud, inquit Aug. id quod dicimus frui, niſi præſto habere quod diligis. Non dixit, diligere quod habes, ſed habere quod diligis. Habetur autem Deus præſens, per intellectualem conſpectū, quocirca, inquit D. Tho. viſio in quantum eſt viſio, actus eſt intellectus, in quantum verò eſt bonum & finis, eſt volūtatis obiectum, & hoc modo eſt eius fruitio. Vnde finem, inquit, hunc, intellectus conſequitur tanquam potentia agens, voluntas autem tanquam potentia mouens ad finē, & fruens fine iam adepto, ſcil. per intellectum, quemadmodū per guſtum, fruitur pomo: Et per viſum, pulchro: & per odoratum, odore, &c. tanquam per actiones à ſe ipſa, non quidem elicitas, ſed imperatas. Eſt igitur vtriusq; potentiæ actus fruitio, & eſt idem quod viſio: quæ quidem iuxta Aug. eſt ſumma merces, quæ promittitur, *Aug. in de mori. eccle.* *Th. 1. 2. q. 11.* *Aug. in epi. deni.*

rur, diligentibus Deum. Nam ſiquis diligit me, ait Saluator, ego diligam eũ, & oſtendam meipſum illi: & alibi, Viſio, inquit, ſola, eſt ſummũ bonum. Item, Deum videre, ſumma fœlicitas eſt, ſumma iocunditas, vita æterna, vita beata. Vnde apperrè conſtat, quod licet charitas in hac vita præſtantior ſit fide per quam tamquam in ænigmate, cernũtur etiam futura & inuiſibilia, & poteſt quis tantam habere fidem, vt etiam montes transferat, mortuos ſuſcitet, & alia ingẽtia miracula faciat, tamen ſine charitate nihil prorſus erit ille. At verò, in patria longe præſtantior eſt viſio charitate, ſicuti intelectus præſtantior eſt voluntate, vt docet Ariſt. Nam per intellectum Deum vidẽmus ſicuti eſt, & illũ habemus, quem voluntate amamus, perq; eundem intelectum concupitis in cœlo potimur. Nam per appetitiuam potentiam ferimur in obiectum, quod apprehendimus per apprehenſiuam: beatitudo in comprehenſione, & poſſeſsione Dei conſiſtit, iuxta illud, Sic currite, vt comprehendatis. Et D. Auguſt. Beatus, inquit, eſt, qui habet quidquid vult, & nihil mali vult: non ergo beatitudo eſt amare quod habes, ſed habere quod amas, & ſic in viſione, poſita eſt ipſa.

Aug. li. 1 de tr. & in de ſpũ. et lrã c. 37. — *Philoſ.* — *1. C. 9.* — *Aug. 13. de tr.*

Supereſt nunc vel obiter tangere quodam dubium, circa ea quæ paulò ſuperius dicta ſunt. Cur ſcil. cum homo natura ſit liberi arbitrij, propter rationem & voluntatem, quæ cogi non poteſt, dicitur ab Apoſtolo ſeruus iuſtitiæ, aut peccati: quoniam ſeruus libertatem nõ habet, ſed quidquid eſt, domini ſui eſt? Dicendum ad hoc, quod homo quantum ad arbitrium rationis attinet, ſemper eſt liber à coactione, non tamen ab inclinatione: inclinatur autem arbitriũ noſtrum aliquando ad bonum per habitum gratiæ vel iuſtitiæ, & tunc homo dicitur ſeruus iuſtitiæ, & eſt liber à peccato: aliquando verò inclinatur ad malum per habitum peccati, & tunc dicitur peccati ſeruus, quia trahitur ad cõſentiendum peccato, contra iudiciũ rationis, & liber à iuſtitia, cui obtemperare contemnit. Hæc D. Tho.

Tho.

57. *Stipendia enim peccati, mors: gratia autem Dei, vita æterna.*) Manifeſtat quod dixerat, de finibus malorum, & bonorum. Dictum eſt enim, quod finis peccatorum eſt mors: (*ſtipendia enim peccati, mors.*) ideſt, ſtipendium diaboli, quod ipſe pro miſero, turpiq; ſeruitio rependit ſuis, eſt mors, ècontrà de fine bonorũ, qui pro ſua virili Deo ſeruiũt, inquit, (*gratia autem Dei vita æterna.*) ideſt, immortalitas .ſ. repoſita eſt illis, beneficio ſummi, ac pijſsimi Dei.

Stipendia, iuxta D. Tho. dicuntur mercedes militum, à ſtipe pendenda, ideſt, ponderanda, quia pecunia diſtribuenda militibus ponderabatur. Quia ergo peccatores, ſub vexillis peccati militant, membra ſua exhibentes arma peccato, mors dicitur ſtipendium peccati, ideſt, retributio quã diabolus retribuit ſibi ſeruientibus: vnde ſit, quod finis peccatorum eſt mors, non quem ipſi peccatores quærunt, ſed qui eis rependitur: iuxta illud Pſalm. Ignis, ſulphur, ſpiritus procellarum, pars calicis eorum. *Tho.* *Pſal.*

58. *Gratia autem Dei, vita æterna.*) Si conſiderentur opera noſtra in ſui ipſorum natura, & ſecundum quod procedunt ex libero noſtro arbitrio, nõ merentur quidem ex condigno vitam æternam, quia non ſunt condignæ paſsiones huius temporis, ad futuram gloriã quæ reuelabitur in nobis, ſed ſolùm ſecundum quòd procedunt ex gratia Spiritus ſancti, qui eſt fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Hinc iuſtis cum per gratiam Dei ſint iuſtitiæ milites, ſuis ſtrenuis operibus, fidem q; ſeruantibus, & curſum conſummantibus, tamquam merces debita, repoſita eſt à propitio patre corona iuſtitiæ in vita æterna. Vt autem non ſibi, aut ſuis operibus, proprijsq; viribus, tantum præmium aſcribant, ſed gratiæ Dei, loquitur in hunc modũ dicens, (*Gratia Dei vita æterna:*) Nam per gratiam Dei in talem militiã aſciti ſumus, in eiusq; acie dirigimur, atque de ipſo Deo benè meremur. Vita autem æterna, eſt propter merita: hæc, propter gratiam: gratia autem, gratis datur:

Ro. 8. *Ioa. 4.*

datur: ergo gratia Dei vita æterna, quia propter gratiam meremur illam.

Luth. Abeant ergo deteſtabiles hæretici Lutherani, qui hinc ſibi anſam arripiunt negandi meritum iuſtorum operum, contra veritatem euangelicam docentem multis in locis, virum iuſtum mereri ſibi vitam æternam. Hoc ipſum
Aug. epl. docet Auguſt. vbi air, quod merita iu-
ad Sixt. ſtorum ſunt, quia iuſti ſunt: ſed vt iu-
105. ſti fierent, merita non fuerunt. Et idẽ,
& de grã ipſa vita æterna quæ in fine, ſine fine
& li. arb. habebitur, & ideò meritis præcedenti-
c. 7. bus reddirur, tamen quia eadem merita quibus reddirur, non in nobis parata ſunt per noſtram ſufficientiam, ſed in nobis facta per gratiam, etiam ipſa, (ſcil. vita æterna) gratia nuncupatur, neque ideò quia meritis non datur, ſed quia data ſunt & ipſa merita quibus datur. Et idem, cum dixiſſet ſcil. Paulus ſtipendium peccati, mors: quis nõ congruentiſsimè & conuenienter addere iudicaret, Stipendiũ autem iuſtitiæ, vita æterna? Et verum eſt, inquit, quod ſicut merito peccati, tamquam ſtipendium redditur mors, ita merito iuſtitiæ tamquam ſtipendium vita æterna. Vnde etiam & merces apellatur, plurimis ſanctarũ ſcripturarum locis. Hæc Aug. quibus manifeſtum relinquitur, vitam æternam eſſe quoque militantiũ ſtipendium. Ad amputandum tamen omnem innanem gloriationem, vtitur tali modo dicendi, (*Gratia Dei vita æterna,*) in gratia nanq; Dei innituntur merita, quibus ipſa datur immortalitas.

59. *IN CHRISTO IESV Domino noſtro.*) ideſt, ipſa immortalitas & vita æterna, datur non quidẽ per Moyſem, ſed per IESVM CHRISTVM Dominum noſtrum, gratiæ authorem, cui proinde voluit acceptum ferri Pater quidquid nobis largiri placuit, potiùs quàm per vllam legem, aut circuncißionem.

ARGVMENTVM SEPTIMI CAP.

Parabola viri & vxoris oſtendit Apoſtolus, à lege liberos eſſe Iudęos. Quandiu enim viuit vir, obnoxia eſt legi illius mulier, mortuo autem viro, impunè alteri nubit: ita ante Chriſtum viuente lege, populus Iudæorum, quem veluti vxorem legis facit, ad illius præſcriptum obnoxius erat viuere: mortua verò per Chriſti mortem lege, alteri viro, ideſt, Chriſto nubere deber. Docet præterea, quòd licet lex vetus in ſe bona, & ſpiritualis eſſet, occaſione tamen ſumpta, peccatum auxit, dum iuberet facere, & non iuuaret ad faciendum: demonſtraret peccata, & non preberet vires ad cauendum illa, quemadmodum lex Euangelica, quæ in omnibus iuuat per gratiam Chriſti. Demum vim, energiamque habitantis in vnoquoque peccati manifeſtat.

CAPVT. VII.

AN ignoratis fratres, (ſcientibus enim legẽ loquor) quia lex in homine dominatur, quanto tẽpore viuit.

EXPLANATIO.

1. *AN ignoratis fratres, (ſcientibus enim legem loquor) quia lex in homine dominatur, quanto tempore viuit?*) Inter præcipuos Iudæorum errores, ille videtur

tur

tur fuiſſe, quòd ſcil. lex vetus non eſſet per Euangelium antiquanda. Tanti enī ſuam legem faciebant, vt, veluti quæ à Deo fuiſſet etiam lata, ſic digna eſſet, quæ ſimul cum Euāgelica cuſtodiretur. At verò Apoſtolus, non ſolùm à peccato & morte, verumetiam ab ipſius legis Moſaicæ ſeruitute, ad tempus Iudæis datæ, nos liberaſſe Chriſtum oſtēdit. Nos, inquam, non gentes tantùm quæ huic legi non fuerunt obnoxiæ, verumetiam ipſos Iudæos, qui ei fuerant obnoxij, vt hortetur omnes ad gratiam, ſine legis timore tranſire. Ad hoc autem oſtendendum proponit documētum, ex quo ſumit argumentum, quo probat intentum. Documentum eſt notum, ideo inquit (*an ignoratis*,) quaſi dicat, non eſt cur ignoretis (*ſcientibus enim legem loquor*,) ideſt, Iudæis ad fidē conuerſis, quos ego nunc appello, qui cum legis præcepta teneatis, non poteſtis neſcire, hoc ſcil. (*quod lex in homine dominatur*,) ideſt, tantiſper homo tenetur legi, (*quanto tempore*,) ideſt, donec (*viuit*) ipſe homo. Nam ſi moriatur ille, deſijt eſſe obnoxius legi. Data eſt enim lex, vt ait S. Tho. ad dirigendos homines in via huius vitæ, iuxta illud, Legē ſtatuit ei, in via quam elegit. Ideò legis obligatio, morte ſoluitur.

Tho.
Pſal.

2. *Nam quæ ſub viro eſt mulier, viuente viro, alligata eſt legi: ſi autē mortuus fuerit vir eius, ſoluta eſt à lege viri. Igitur viuente viro, vocabitur adultera ſi fuerit cum alio viro: ſi autem mortuus fuerit vir eius, liberata eſt à lege viri, vt non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro. Itaq́, fratres mei, & vos mortificati eſtis per corpus Chriſti, vt ſitis alterius, qui ex mortuis reſurrexit, vt fructificetis Deo.*) Manifeſtat quod dixerat, per exemplū in lege matrimonij. Neque enim aliud ſeruandum videtur in legis obligatione, quàm in obligatione mulieris viro iunctæ, lex ipſa iubet ſeruari. (*Nam quæ ſub viro eſt mulier*,) ideſt, viro nupta, & maritali ſubiecta dominio, (*viuente viro, alligata eſt legi*,) qua tenetur illi conuiuere, ideſt, tantiſper obligata eſt viro, quoad vixerit vir. (*Si autem mortuus*,) ideſt, ſimulatq; mortuus (*fuerit vir eius*,) ſcil. mulieris, (*ſoluta*,) exempta (*eſt*) vxor (*à lege viri*,) ideſt, à vinculo matrimonij illius, ſuiq́; iuris fit, illico ab obitu mariti. (*Igitur viuente viro*,) ideſt, ſi viuo marito in cuius ius ſemel venit, (*fuerit cum alio viro*,) ideſt, nupſerit alteri, vel ei carnaliter ſe cōmiſcendo, (*vocabitur*,) ideſt, cenſebitur (*adultera*,) quæ reliquerit virum, à quo ſola morte liberari poterat. Contrà, (*ſi mortuus fuerit vir*,) ideſt, maritus eius, (*liberata eſt à lege viri*,) ideſt, deſijt illi eſſe obſtricta (*vt non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro*,) nam ſibi iam reddita, ius habet, alteri viro, cui volet nubēdi. (*Itaque*) ideſt, proinde (*fratres mes*) vobis cum lege Moyſi, iam nihil eſt cōmercij, nam (*& vos eſtis mortificati*,) ideſt, mortui (*legi*) & illa viciſsim vobis emortua eſt, quantum ad hoc quod ceſſat in vobis illius obligatio: ſed quonammodo? vtique (*per corpus Chriſti*) in quod eſtis inſiti per baptiſmū, (*vt ſitis alterius*,) ideſt, ipſius Chriſti, eiuſq́; legi ſubiecti (*qui ex mortuis reſurrexit*,) in quo & vos reſurgentes, nouam vitam aſſumpſiſtis: & ita non lege prioris vitæ tenemini obligati. Nam eſtis veluti ſponſa ſponſo, iuncti Chriſto, & liberi à priori vinculo per mortem crucis. In baptiſmo, in noui ſponſi ius ceſsiſtis, Spōſi, inquam, immortalis, vt qui ſemel à mortuis reſurrexerit, in æuum victurus. Quorſum hæc tandem, ſcil. membra facti eſtis corporis Chriſti? nimirùm, (*vt fructificetis Deo*.) ideſt, vt fructum boni operis, deinceps faciatis ad honorem Dei.

3. *Quæ ſub viro eſt mulier*.) ex lege diuina eſt, vt mulier ſit ſubdita viro
ſuo: iuxta illud, ſub viri poteſtate eris. *Gen. 3.*

4. *Alligata eſt legi*.) ſcil, conuiuendi viro. Et hoc eſt etiam ex diuina lege: iuxta illud, quos Deus coniunxit, homo non ſeparet. Quæ quidem inſeparabilitas inde prouenit, quod matrimonium eſt Sacramentum coniunctionis indiſſolubilis Chriſti & Eccleſiæ: aut verbi & humanæ naturæ in perſona Chriſti.

Chriſti. Vnde etiam matrimonium, magnum Sacramentũ vocatur ab Apoſtolo, dum ait, Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia. *Eph. 5.*

5. *SI autem mortuus fuerit vir eius, ſoluta eſt à lege viri.)* Nuptiæ, inquit Aug. ſunt bona mortalium, ideò non ſe extendit earum obligatio poſt vitam mortalem: vnde in reſurrectione quando vita erit immortalis, neque nubent, neque nubentur: ac proinde, ſi aliquis mortuus reſurgeret (ſicut in Lazaro accidit) non erit vxor, quæ fuerat niſi de nouo cum ipſo contrahat. Nec refert quod in ſcriptura legitur de mulietibus quæ acceperũt de reſurrectione mortuos ſuos, quia non inteligitur quod acceperunt maritos ſuos. Non enim illos acceperunt, ſed filios ſuos: vt fuit mulier quædam per Heliam prophetam, & alia per Eliſæum. Per hos enim Prophetas, redditi ſunt ad vitam filij earum mulierum. *Aug. de nup. & conc.* *Mat. 22* *Heb. 11.* *3. Re. 17.* *4. Re. 4.*

Aliter autem contingit in ſacramentis imprimentibus characterem, quæ, vt ait S. Tho. eſt quædam conſecratio animæ immortalis: omnis autem conſecratio manet, quandiu manet res conſecrata, vt patet in conſecratione Eccleſiæ, vel altaris: proinde ſi baptizatus, vel confirmatus, vel ordinatus, moriatur & reſurgat, non debet iterum eadem Sacramenta recipere. *Tho.*

6. *Vocabitur adultera, ſi viuo marito, nupſerit alteri viro.)* Hoc non inteligitur de repudiata. Apoſtolus enim tantùm loquitur de natura & lege ipſius matrimonij, abſque vlla diſpenſatione conſiderata, ſiue in veteri teſtamento, tempeſtates; ſiue in Euangelio.

7. *Si autem mortuus fuerit vir eius, &c.)* In priori ad Corinthios ait etiam Paulus, ſi dormierit vir eius, ſcil. mulieris, liberata eſt, cui volt nubat. Vnde patet, vt ait S. Th. quod ſecũdæ nuptiæ, vel tertiæ, vel quartæ, ſunt ſecũdum ſe licitæ, & non ſolùm per diſpenſationẽ, vt videtur dicere Chryſoſt. qui ſuper Matth. dicit, quòd ſicut Moyſes permiſit libellum repudij, ita Apoſtolus permiſit ſecundas nuptias. Nulla eſt enim ratio, ſi lex matrimonialis ſoluitur per mortem, quare non liceat coniugi remanenti, ad ſecunda vota tranſire. Neque enim vt ius herile, tranſit ad hæredem, & ſeruus morte heri, non mutat ſtatum, ſed dominium: ita mariti ius in vxorem, tranſit ad alium, ſed vltra ipſius vitam non porrigitur: quod ſi maritus eſſet immortalis, ſemper maneret obligata mulier. *1. C. 7.*

Quod autem Apoſtolus dicit de Epiſcopo, quòd oportet eum eſſe vnius vxoris virum, non dicitur quia ſecũdæ nuptiæ ſint illicitæ, ſed propter defectum Sacramenti, quia non eſſet vnus vnius, ſicut Chriſtus eſt ſponſus vnius Eccleſiæ. *Tho.*

8. *Itaque & vos mortificati eſtis legi, &c.)* Quicunque viuit in aliquo ſtatu & ordine, quamdiu viuit in illo, ſubiectus eſt legi illius ſtatus: ſed cum primùm de illo deceſſerit, ſolutus eſt illa lege. Vt miles quamdiu eſt bello adſcriptus, mancipatus eſt legi militari, vnde ſi abſceſſerit, emancipatur quoq; à lege. Ergo Iudæus quamdiu vixit in Iudaiſmo ante Chriſtum paſſum, obligabatur legi Moyſi: cum primum autẽ mortuus fuerit Iudaiſmo, ſtatim relaxatur illa lege: moritur autem Iudaiſmo, cum Sacramentum ſuſcipit baptiſmi: illic ergo abſoluitur illa lege, quod eſt legi mortificari. Illa enim moritur nobis, & nos vicíſsim illi. Propterea, inquit (*& vos mortificati eſtis legi.)* Nec refert quod in præcedenti exemplo, vir moriebatur, & remanebat mulier abſq; obligatione legis: Hic autem ille qui ſoluitur ab obligatione dicitur mori. Quoniam, vt ait D. Tho. cùm matrimoniũ ſit inter duos ſicut quædam relatio, quicunque eorum moriatur, tollitur lex matrimonij. Ita etiam per mortem, qua cõmorimur Chriſto, ceſſat obligatio veteris legis. Et meritò id quidem, nam lex Moyſi, quoniam typis, ac ceremonijs Chriſtum adumbrabat, ad tempus aliquod modò data eſt, donec exoriẽte *Tho.*

luce,

luce, cederent vmbræ, & apparentibus veris, faceſſerent Simulachra veterum: atque ob id lex Moſaica, quoniam (vt ita loquar) mortalis erat, non mirum, ſi iam mortua eſt. Quandiù autem legis tempus durabat, viguit lex, & ius habebat in eos qui ſeſe illi addixerant.

9. *Per corpus Chriſti.*) Durum erat Iudæis ad fidem conuerſis, audire mortem ſuæ legis: tamen ſuaue & delectabile reddebatur per id quod ſequitur, videlicet, (*per corpus Chriſti,*) cui inſerimur, & efficimur membra eius, in baptiſmo. Hæc mutatio dexteræ excelſi. Eramus enim olim ſteriles oleaſtri rami, nunc verò in bonam oliuam, ideſt, in Chriſtum inſerti, vita priori terrea, & amara dimiſſa, vitam Chriſti cœleſtem viuimus. Nam quemadmodum alimenta, dum in membra coaleſcunt, propriam relinquunt ſubſtantiam, vt vita hominis viuant: ita in baptiſmo, mortificari nos, ait Paulus, per corpus Chriſti, quod, vt dictum eſt, efficimur. Repræſentat hoc clariùs & ſacroſanctũ Euchariſtiæ Sacramentum cibi & potus, vbi non ipſe in nos (vt ait Aug.) ſed nos in ipſum mutamur. Mutatio profectò (iterum dico) dexteræ excelſi.

Pſal. *Aug.* *Pſal.*

10. *VT ſitis alterius qui ex mortuis reſurrexit.*) Fœlices, & verè fœlices Chriſtiani, quia non ſumus cuiusvis domini ſerui, non hominis, non Angeli, ſed ipſius Domini Angelorũ, & hominum: cuius vitam agimus, & acturi ſumus, nunc quidem in ſpe, poſtmodum verò in re. Sumus enim & ipſius corporis mẽbra, Paulo areſtante, qui ait, Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius. Vita igitur Chriſtiana, eſt vita glorioſa, & immortalis. Mors enim corporis, non mors, ſed ſomniũ potius in ſcriptura dicitur, vt pius Chriſtianus poſt mortem, verè poſſit dicere, Ego quidem dormio, ſed cor meum vigilat. Dormio corpore, vigilo autem corde, vigilia proculdubio ſempiterna & beata, videndo patris pulchritudinẽ, eiusq; faciem deſiderabilem.

Eph. 1. *Cant.*

11. *VT fructificetis Deo.*) Senſus eſt, quemadmodum olim ex lege ceu marito, fructum qualemcunque, & à marito non degenerem produxiſtis, ita nũc fœlicius nacti matrimonium, fructum edaris Deo ſocero, Chriſtoq; ſponſo dignum. Hic autem fructus producitur, ſi cõmoriamur Chriſto, qui damnauit peccatum in carne.

12. *Cum enim eſſemus in carne, paßiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris, vt fructificarent morti.*) Oſtendit quod iſte fructus impediebatur, quando eramus ſub ſeruitute legis, dicens, (*cum enim eſſemus,*) ideſt, quamdiù eramus (*in carne,*) ideſt, ſubditi concupiſcentijs carnis, vel legi craſſæ, carnaliq;, ceu marito obnoxij, (*paßiones,*) ideſt, affectiones (*peccatorum,*) quæ (*per legem erant,*) vel notificatæ, vel augmentatæ occaſionaliter, (*operabantur in membris noſtris,*) ideſt, mouebant membra noſtra (*vt fructificarent morti,*) ideſt, vt fructum facerẽt mortis. Ac ſi clariùs diceret, in ſtatu illo veteris legis, cui eramus aſtricti, lex ipſa viſa eſt nobis, veluti maritali iure dominari, dum cupiditates per legis occaſionem irritatiores, tantum valebãt in membris noſtris, vt mancipiorũ ritu pertraheremur ad peccandum, atque ita ex infœlici matrimonio, infœlices fœtus ſuſtulimus, quidquid naſceretur morti, exitioq; gignentes. *Iac. 1.*

13. *Cum enim eſſemus in carne.*) Status carnis, & veteris hominis, & peccati, idem prorſus videntur eſſe apud Paulum. Eſſe igitur (*in carne*) hoc in loco, ſignificat eſſe ſub poteſtate & tyrannide carnis, ideſt, ſub ea lege, quæ non iubabat ſubditos, ad faciendum quod iubebat, ſed carnis concupiſcentiam occaſionaliter potiùs inflãmabat. Item, (*in carne eſſe*) etiam eſt, carnis voluntate duci, quò ipſa velit, legi autem Dei obedire nolle: quia nemo, poteſt duobus dominis ſeruire.

14. *Paßiones peccatorum.*) Sunt morbi, & ægritudines animorum, quæ & cauſæ

ſunt

ſunt peccatorum, & ipſorum etiam effe-ctus, dum & aſſuetudine peccandi paſ-ſiones creſcant & augentur, fortiusq́; moleſtant.

15. *Quæ per legem erant.*) Inhæret ad-huc ſuperius traditæ ſententiæ, quod lex ſubintrauit, vt abundaret delictũ. Per legem igitur creſcebant animi paſ-ſiones, dum oſtenderet peccata, & nihil iuuaret ad cauendum illa.

16. *Operabantur in membris noſtris.*) In oculis, & in cæteris corporis membris, cæteræ paſsiones operabantur peccata. Et alludit ad illud ſuperiùs dictum, (*nõ exhibeatis membra veſtra ſeruire iniqui-tati ad iniquitatem:*) quò etiam perti-net illud Iacobi, Vnde bella & lites, nõ-ne ex concupiſcentijs veſtris. Iac. 4.

17. *VT fructificetis morti.*) Quemad-modum virtutis opera, dicũtur fructus vitæ, ſic & vitia ſunt fructus mortis. Fructificare ergo morti, eſt malè, iniu-ſtèq́; viuere: quæ quidem iniuſtitia, mor-te ſiue temporali, ſiue æterna, punien-da eſt.

18. *NVNC autem ſoluti ſumus à lege mortis in qua detinebamur, ita vt ſerui-amus in nouitate ſpiritus, & non in vetu-ſtate literæ.*) Fructum iuſtitiæ cœleſtis, illi Deo ferunt, qui relicta omni alia prohibita lege, ſub Euangelio Chriſti viuunt. Propterea, inquit, (*nunc autem*) ſcil. his temporibus nouiſsimis, (*ſoluti ſumus,*) per gratiam Chriſti, ideſt, po-ſteaquàm liberati ſumus, (*à lege mortis*) ideſt, à lege Moyſi, ſub qua viximus anteà, imò non viximus, ſed mortui fuimus, quia lex mortis, erat lex illa (*in qua*) tamen (*detinebamur,*) quaſi ſerui ſub lege, vſque ad tempus præfi-nitum: (*ita*) ſcil. ſumus ab ea ſoluti (*vt ſeruiamus,*) ideſt, vt ſeruire debea-mus Deo (*in nouitate,*) ideſt, per noui-tatem (*ſpiritus*) per quem ſumus, & à lege liberati, & noui facti in baptiſmo, (*& non*) ſcil. ſeruiamus amplius (*in vetuſtate literæ,*) ideſt, in literali legis obſeruantia. Non enim phas eſt, am-plius obtemperare literæ legis, quam diximus fuiſſe carnalem maritum: ſed nouo ſponſo Chriſto, qui cœleſtis & ſpiritualis eſt, ſeruiendum potius, à quo ſpiritum nouitatis & libertatis, ceù nu-ptiale pignus accepimus.

19. *A lege mortis.*) Lex Moyſi dici-tur lex mortis, tùm, quia corporaliter occidebat abſque miſericordia: tùm e-tiam, quia ſpiritualiter occidebat per occaſionem. Propterea, inquit Paulus, litera occidit, non ſolùm quantum ad legis ceremonias, ſed etiam quantum ad ipſum decalogum, dum non iuua-ret ad faciendum ea quæ præcipiebat. *Aug. lib. de ſpũ. et lrã. c. 14.* Nam mundi redemptio nondum erat facta, ex qua ſacramenta gratiæ profi-ciſci opportebat, ſine qua, lex, fuit pec-cati virtus, vt ait Paulus. Nam peccatũ, *1. C. 15.* occaſione accepta per mandatum, ope-ratum eſt concupiſcentiam, vt infrà di-cturus eſt. Denique, lex mortis etiam dicitur, propter eius grauitatem, & o-nus & iugum intolerabile, quod neque ipſi pij homines portare potuerunt, vt teſtatur beatus Apoſtolus Petrus. Hæc autem lex protſus abrogata eſt, ab eo temporis momento, quo Chriſtus in cruce clamauit dicens. Conſũmatum eſt. Ipſe impleuit illam perfectè, ceſ-ſauit vmbra, abolita eſt figura per Euã-gelij veritatem. Verè ergo conſũmatũ eſt, quoad veterem attinet legem, cuius idcirco ceremoniæ ſi adhuc ad literam ſeruarentur, animam per culpam occi-derent. Quantum autem ad vinculum obligandi, non ſolùm ceremoniæ, ſed *Soto.* etiam moralia præcepta, & iudicialia, abolita, & antiquata ſunt. Status enim illius legis, vt docet Apoſtolus, fuit im-perfectus, vtpote qui iubebat, & non iuuabat: & ſic fauorem videbatur præ-ſtare peccato, & carni, & morti, dum li-teraliter per occaſionem occidebat: & ideò, translato ſacerdotio, vt ait Pau-*Heb. 7.* lus, neceſſe fuit vt legis tranſlatio fie-ret, & vt per Chriſti gloriam, euacua-*2. C. 3.* retur Moyſi gloria. Et per Chriſti be-neficium, ad eum gradũ & ordinẽ leua-remur, qui eſt gratiæ & iuſtitiæ, & ſpũs noſtri dimicãtis, & ſpũs Dei viuificãtis.

M AT

AT verò, quoniam moralia præcepta, ſunt naturæ ius, quod vniuerſum ſemper obliget orbem, iuſſa ſunt denuò, explicatiusq; ſancita per Chriſtum. Iudicialia autem, quamquàm non ſunt per Chriſtum inſtaurata, licitum tamen eſt Chriſtianis ea rurſus cócedere, vt perſoluatur furtum ad quadruplum, vel ſeptuplum. Ceremonialia verò, quoniam figuræ erant futurorũ, adeò ceſſauerunt, vt non liceat iam illa amplius ſeruare, neque rurſus innouare, eſſent quippe nunc falſa ſigna.

20. *IN nouitate ſpiritus, non in vetuſtate literæ.*) Vetuſtas literæ diſtinguitur contra ſpiritualem ſenſum. Illa dicitur vetuſta, quia prior eſt, & quia occidit:
1. C. 15. omniaq; opera hypocritarum, & quidquid ſine ſpiritu fit, neque ob Dei gratiam, dici poteſt vetuſtas literæ. Spiritus autem, dicitur nouus, quia poſterior, & quia renouat animum, & viuificat. Quapropter reuelato, patefactoq; ſpiritu, vetuſtas literæ ſenio confecta, expirauit, cum Chriſtus in cruce clamauit, Conſummatum eſt.

21. *IN qua detinebamur.*) Ideſt, in cuius obſeruantia obligati eramus, vſq; ad ſufficientem obligationem legis Euangelicæ.

22. *QVID ergo dicemus? Lex peccatum eſt? abſit*) Dicto de liberatione à legis ſeruitute, & quod iſta liberatio ſit vtilis, reſpondet cuidam obiectioni, quæ ex præmiſsis occaſionem habet, per quam alicui homini calumnioſo, venire in mentem poterat, quod lex vetus non ſit bona: exiſtimaretq; Paulũ, cũ dixerit, legi ſeruientes, abijſſe in peccatum & mortem, legem ipſam damnare, veluti autorem peccati. Nam ſicuti proprium eſt, inquiet, iuſtitiæ parere vitam, ita peccati proprium eſt parere mortem, ſi lex mortem adfert, aut ipſa peccatum videri poteſt, aut certè cũ peccato coniuncta. Et hoc eſt quod dicit. Dictum eſt quod paſsiones peccatorum erant per legem, & quod eſt lex mortis: (*quid ergo dicemus,*) ex his ſequi? Nunquid dicemus quod (*Lex peccatum eſt?*) hoc eſt, poſitio legis, aut ipſius obſeruatio, aut certe, quia Cōtr. bla-
occaſio peccati, peccatum dicitur? Ad ph. Ma-
hanc verò quæſtionem reſpondens, omnes nub.
interdicit rationes, quibus aliqua impingi poteſt legi macula culpæ, vel legiſlatori Deo, vel eiuſdem legis cultoribus, dum ait, *Abſit*, vt ſcil. quis ita ſentiat. Lex enim directè & per ſe, cauſa paſsionum, peccati, & mortis, eſſe non poteſt. Cum non ſit lex, niſi quædam regula, quæ ſi iniqua ſit, peccatũ quidem eſſe poteſt, eo dumtaxat modo quo curuitas lineæ, quæ recta eſſe debet, peccatum dicitur. Abſit ergo, vt lex Domini immaculata, ſit peccatũ. Nec Pſal.
ille per quem Reges regnant, & legũ conditores iuſta decernunt, peccauerit eam ferendo. Occaſio tamen eſſe pec- Pro. 8.
cati & mortis poteſt, vt dictum eſt.

23. *SED peccatum non cognoui, niſi per legem.*) Verba hæc videntur dicta ab Apoſtolo in perſona eius hominis, qui legem ſcriptam accipit, per quam Dei mandata, & ſua peccata cognoſcit, quæ non cognoſcebat, tamquam excæcatus nimia conſuetudine delinquendi. Nam ſine lege ſcripta, ſolo lumine naturali poterat quidem peccatum cognoſci ſecundum quod habet rationem inhoneſti, ideſt, contra rationem exiſtens. Et hæc eſt prima deformitas, quam Ethnici naturæ lege irradiati, attigerunt in peccato. Deinde, plurima ſcelerum genera, perturbationes pacis eſſe, tranquillitatisq; Reipub. aduerſus illud naturæ præceptum, Quod tibi non vis, alteri non facias. Itaque omnes ciuiũ iniuriæ, vbiq; gentium vindicabantur: quinimo eouſque philoſophando venerunt, vt cognoſcerent & deorum iram, irritari hominum malefactis, quos ideò placare propitiareque curabant. Nam ille naturæ radius quo Deus per creaturas, cognoſcebatur prima eſſe rerum cauſa, ſupremusq; naturalis finis, ſatis erat vt gentes inteligerent, ſeruitium illi, eadem ratione, cultumq; deberi. Et non ſolum in hac vita pœnas Deo pēdere ſceleratos homines putabant, verũ & in

& in futuro ſeculo. At verò, cum naturaliter Deus non cognoſcatur vt finis ſupernaturalis, in cuius præſentia & cõſortio vera conſiſtit fœlicitas, legitimã ignorabant rationem peccati, quod, *Aug.* iuxta Aug. eſt dictum, vel factum, vel concupitum, contra legem DEI.

Quæ quidem peccati ratio, auerſio eſt à Deo, propter quam dignus fit homo, & exilio à regno cœlorum, & cruciatibus æternis inferni. Vnde rectè inquit, *Tho.* D. Tho. quod cognitio hæc peccati per legem, inteligenda eſt, quantum ad reatum pœnæ, & offenſam Dei. Quinimo nec interna peccata, quæ intùs cogitatione conſummantur, ſatis nouerunt. Nec omnia externa quæ conſiſtunt in opere, qualia ſunt quæ citra iniuriam, & damnum alterius perpetrantur, vt libera venus, & ſi quæ ſunt alia. Lex autem ſcripta hæc omnia explicatius docuit, per quam manifeſtatur homini apertè, quod Deo peccata diſplicẽãt, in hoc quòd ea prohibet & mandat puniri.

SED hæc tamen quæ dicta ſunt inteliguntur tantùm de gentibus in genere: quoniam fuerunt in lege naturæ viri præſtantiſsimi, quibus Deus altiori gradu ſapientiæ ſuæ affulſerit, vt Noe, Abraham, Iob, Cornelius, & huiuſmodi, de quibus hic non fit ſermo.

Quod igitur per ſe pertinet ad legem, eſt, quid ſit rectum, quidue prauum oſtendere. Eſt enim rationis norma, viam apperiens volũtati, qua debet recta, actiones ſuas dirigere. Vndè, & lu- *Pro. 6.* cerna, & lux, & via dicitur, & præceptũ *Pſal. 18.* Domini lucidum illuminans oculos. Et cum lex omnis iuſta, ſplendor quidam ſit, & ſcintilla legis æternæ, cuius ideò authoritati lex omnis ſubijcitur, ait Sa- *Prou. 8.* pientia, Per me Reges regnant, & legũ ditores iuſta decernunt. Qua etiam de cauſa, Chriſtus Dominus, Dei virtus, & Dei Sapientia, qui tamquam verus legiſlator illuxit orbi, nunc lucem mundi, nunc viam, veritatem, & vitam, prædicabat ſeſe. Non ergo lex, autor eſt peccandi, ſed index peccati, vt rectè dicat Paulus, (*Peccatum non cognoui, niſi per legem,*) quoniam peccatum nec excogitari quidem poteſt, niſi ſit contra legem: ſicuti nec obliquũ quidpiam, aut deuium, niſi in ordine ad certam normam & rectitudinem. Vnde Philo- *Philoſ.* ſophus, Rectum, inquit, iudex eſt ſui, & obliqui. Propterea, ſicut lumen in tenebris, vel offendiculum, vel foueam oſtendit, ita & lex oſtendit peccata, vt caueamus illa. Quapropter lex bona & ſancta dicenda eſt, contra blaſphemos Manichæos.

24. *NAM concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret mihi, non concupiſces.*) Oſtendit quòd peccatum non cognoſcebatur in quantum ſcil. pertinet ad offenſam Dei, dum lex prohibet concupiſcentiam, quæ ab homine nõ prohibetur. Solus enim Deus hominem reum facit propter cordis concupiſcentiam, cum homines videant ea quæ parent, ipſe verò intueatur cor, vt dicitur *1. R. 16.* in lib. Reg. Ideò autem lex Dei potius prohibuit concupiſcentiam rei alienæ, vt ait S. Tho. quæ furto aufer- *Tho.* tur, & vxoris alienæ, quæ per adulterium violatur, quàm concupiſcentiam aliorum peccatorum, quia iſta peccata præter opus, ſingularem habent voluptatem, quæ intus ſola cogitatione captatur de re venerea, & de re vtili, quod non contingit de alijs peccatis. Dicit itaque nunc Paulus, in perſona hominis peccatoris. Peccatum fallebat, ac latebat nos quodãmodo, priusquã lex extaret, dum ſuis quiſque cupiditatibus blandiens, putabat ſibi licere, quod valde libebat, & rectum eſſe ducebat illud concupiſcere, quo frui dulce ſit. Igitur indulgens mihi, veluti, (*neſciebam*) eſſe peccatum (*concupiſcentiam*) rei alienæ, (*niſi lex diceret mihi, non concupiſces,*) ideſt, vetuiſſet ne concupiſcerem. Circa quod eſt valde notandum, quod non dixit, non habebam, ſed (*neſciebam,*) nemo enim eſt ſine concupiſcentia carnis aduerſus ſpiritũ, nec præceptum vetat hanc carnis pugnam, quæ naturalis eſt, ſed ſolam inhibet voluntatem, vt ſcil. non obediamus concupiſcentijs noſtris, nec eamus poſt illas. Voluntate enim ſola tranſ-

gredimur præceptum, & per voluntatẽ in nobis regnare incipit peccatum. Pari quoque modo Chriſtus Dominus, non docuit nos orare, ne tentemur, ſed ne inducamur in tentationem.

Vbi autem lumen intellectus fuit clariùs & perſpicatius, neminem latere poterat, concupiſcentiam eſſe peccatum, cum illud ſit prohibitum de iure naturali. At verò cum tenebris peccatorũ obſcurari cœpit mens humana, non ducebatur pro peccato cõcupiſcere: quod & ſub lege etiam ſcripta, vſu etiam iam venerat tempore Redemptoris. Nam ipſe de hoc hortabatur Iudæos dicens, Audiſtis quia dictum eſt antiquis, non mœchaberis, ego autem dico vobis, quicunque viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. *Exo. 20. Mat. 5.*

Concupiſcentia autem auaritæ, eſt quodam malum generale, non quidem generalitate generis, vel ſpeciei, ſed cauſalitatis, iuxta illud Apoſtoli, Cupiditas eſt radix omnium malorum. Et hoc ideò, quia pecuniæ obediunt omnia. *Eccl. 10.* Quatenus ergo rerum opulentia eſt inſtrumentum, fomentumq́; , & adminiculum omnium cupiditatum, dicitur cupiditas radix & cauſa omnium malorum. Nec eſt huic contrarium, quod alibi dicitur, videlicet, Initium omnis peccati ſuperbia. Nam ſuperbia, vt docet S. Tho. eſt initium peccati, ex parte auerſionis à Deo. *Tho.* Cupiditas verò ex parte conuerſionis ad bonum cõmutabile.

25. *Occaſione autem accepta peccatum per mandatum, operatum eſt in me omnem concupiſcentiam.*) Poſtquàm docuit in directam legis intentionem eſſe peccatum oſtendere, & hoc fit, manifeſtando virtutem, ſeu vitam ſubditis, quos ad bonum rationis tamquam ad ſcopum rectà perducit. Nunc docet quid occaſionaliter ſequatur ex lege, ideſt, quid contingat per legẽ prauis hominibus. Nam iuſtis non niſi bonum prouenit. Ait igitur, lex quidem adhibita eſt, vt vitium & virtutem oſtenderet, virtutẽ ſuaderet, vitium coerceret: at res noſtro vitio in diuerſum exijt. Dum enĩ lex prodit peccatum, nec addit robur, quo vitijs impugnemus, factum eſt, vt, (*peccatum,*) ideſt, diabolus, vel peccatũ Adæ, quod in hunc mundum intrauit, vel libido peccandi (*occaſione accepta per mandatum,*) legis prohibentis peccatũ, (*operatum eſt in me omnem concupiſcentiam,*) quæ fuerat lege prohibita, quãdo ardentius cœpi vetita concupiſcere.

26. *Occaſione autem accepta.*) Non dicit quòd lex occaſionem dederit peccandi, ſed quòd ipſum peccatum eam accepit ex lege. Qui enim occaſionem dat, ſcandalizat & peccat, quemadmodum ſi quis faciat opus minus rectum, vnde proximus offenditur, aut ſcandalizatur, frequentando, verbi gratia, loca inhoneſta, licet non mala intẽtione, tenetur huiuſmodi vitare ſcandalum, iuxta illud, hoc iudicate magis ne ponatis offendiculum fratribus, aut ſcandalum. *Ro. 14.* Si verò opus eſt rectum, vt dare eleemoſynam, audire rem ſacram, &c. *Tho.* & alius inde ſcandalizatur, ipſe non dat occaſionem peccandi, nec ſcandalizat: ſed qui ſcandalizatur, ipſe accipit ſibi occaſionem peccandi, & ipſe peccat. Nulla igitur culpa refundi poteſt in legem ſanctam, quæ rectum vndique docet: nec in legislatorem, qui eſt ipſamet rectitudo: magis quàm ob id quod ſenſus nobis dederit, quibus male vtimur. Vel magis quàm in medicum, qui *Chry.* febricitanti nocuam aquam interdicit, vnde accenſa peius ſitis, ægrotum vincit, vt perculoſius bibat. Eo præſertim quod fidelis eſt Deus, qui humeris noſtris non imponit quidquam ſupra vires noſtras: imò quidquid illud eſt, fauore ſuo redditur leue & ſuaue. Quem & homines inferendis legibus immitari deberent, ne legum numeroſitate grauarent, conſternerentq́; ſubditos.

27. *Peccatum.*) Quidã accipiunt hîc peccatum pro diabolo, qui cauſa fuit homini primumq́; initium peccati, & ſecundum hoc operatur in homine omnem concupiſcentiam peccati, iuxta illud, Qui facit peccatum, ex diabolo eſt, *1. Ioa. 3.*

quia ab initio diabolus peccat. Sed quia Apoſtolus hîc de diabolo mentionem non facit, nec eſt propria hæc vocabuli ſignificatio, quam in omnibus ſemper opportet quærere, poteſt accipi peccatum pro concupiſcentia per legem prohibita, quæ quidem mente cōcepta, eſt cauſa magnæ inflāmationis, & (vt ita dicam) magnæ igneitatis. Vel accipitur pro quocunque peccato actuali, quod vtique per cogitationem aprehenſum, operatur in homine ſui concupiſcentiam: ſicut finis mente cōceptus, cauſa eſt electionis mediorum. Sed melius eſt, vt ait D. Tho. quòd referatur ad originale peccatum, quod per vnum hominem in hunc mundum intrauit, hoc, ante gratiam Chriſti, eſt in homine ſecundum culpam, & pœnā, ſed veniente gratia tranſit reatu, & permanet actu, quantum ad fomitem peccati, ſeu concupiſcentiam habitualem. Diluto enim reatu culpæ in baptiſmo, remanet concupiſcentia, quæ eſt velut adminiſtra virtus primi illius peccati Protoparentis, per quam idem ipſum cēſetur exiſtere, vigereq; in noſtro mortali corpore, ad oppugnandum ſpiritū.

28. *Per mandatum.*) Idem valet quod per legem, nam mandatum quodam, eſt lex.

29. *Operatur in me.*) Sub perſona hominis à Deo ſeparati, videtur loqui.

30. *Omnem concupiſcentiam.*) Omnes prauas affectiones in omni peccatorū genere ſignificat, ſiue à radice concupiſcibili, ſiue ab iraſcibili proficiſcantur. Vel refertur ad diuerſos concupiſcentiæ gradus, videlicet, cogitationis, delectationis, conſenſus, & operis. Cum igitur lex iuſta rectum aliquid ſemper doceat, & iubeat, dici non poteſt quod lex ſit peccatum, vel cauſa peccati: eſt tamen occaſio mali, non bonis quidem, ſed malis. Nam bonis, cauſa eſt maioris bonitatis dum eam obſeruant: malis autem, occaſio ingentis malitiæ propter tranſgreſsionem illius. Et non ſolùm de lege veteri dicendum eſt hoc, ſed etiam de omni lege etiam Euangelica ſi gratiam ſepares: quin & de omni cōſilio & exhortatione, dum ille qui conſulit, inuiſus, ingratusque eſt audientibus, qualis fuit Chriſtus Iudæis, vt illa ipſius verba præſeferre videntur, ſi non veniſſem, & locutus ei non fuiſſem, peccatum non haberent. Sancta quoque propoſita nonnunquam occaſio ſunt habentibus, maioris ruinæ: tùm, propter innanem gloriam, quæ operibus ſanctis inſidiantur: tùm etiam, propter ſolicitudinem aduerſarij, qui maiori conatu, & nequiori dæmonum comitatu, inuadit ſanctificatos in pugna. Omnis igitur prauus affectus, omnis ruina & peccatum, non ex lege Dei, cum ſit iuſta & ſancta, nec ex legiſlatore, cum ſit ipſa rectitudo & iuſtitia, ſed ex nobis malè affectis erga virtutem, proficiſcitur. *Chry.* *Ioa. 15.*

31. *Sine lege enim peccatum mortuum erat, ego autē viuebam ſine lege aliquando.*) Oſtendit, ſtatum peccati, & hominis ante legem proditam, qualis ſcil. fuerit: & quonam modo lex fuerit hominibus occaſio augendi peccatum. Dictum eſt enim, quod cum peccatum quatenus eſt Dei offenſa, neſciret homo per rationem naturalem tenebris ignorantiæ obſcuratam, nec per legem ſcriptam nondum datam, leuius ac languidius ſolicitabatur animus ad peccādum, vt frigidius amamus ea, quibus vbi libeat, potiri phas ſit. Cæterum legis indicio proditis tot peccandi modis, vniuerſa cupiditatum cohors irritata, prohibitione, cœpit acrius ad peccandum ſolicitare: atque hac occaſione (*peccatum,*) ideſt, fomes peccati robor ac vigorem accepit, quod quidem (*ſine lege*) ideſt, priuſquàm lex ſcripta eſſet, (*mortuum erat,*) ideſt, torpebat, & veluti mortuum erat, (*ego autem viuebam ſine lege,*) ideſt, videbar mihi viuere, cum re vera eſſem mortuus per peccatum ignoratum: Vel (*viuebam ſine lege,*) comparatione ad mortem, quæ occaſione legis ſecuta eſt. Dicuntur enim minus peccantes viuere, relati ad eos qui magis peccant.

M 3 32. *Pecca-*

32. *Peccatum mortuum erat.)* Non ſimpliciter & abſolutè, ſed ſecundum quid inteligendum eſt. Viuebat quidē peccatum, ſed non in cognitione malorum: viuebat, ſed non in eo vigore & robore quo vixit poſt legem.

33. *EGO autem viuebam ſine lege aliquando.)* Et hoc quoque non abſolutè ſumendum eſt, (*viuebam,*) ſcil. in opinione mea: (*viuebam,*) etiam reſpectu mortis, occaſione legis ſubſecutæ: (*viuebam,*) ideſt, eram minus peccans, & non ita procliuis ad malū, ſine lege, quàm cum lege.
Poſſumus ex dictis colligere, quod ignorantia peccatorum tàm capitaliū, quàm minorum, quæ ſunt contra ius naturæ, non excuſat à culpa: licet in aliquibus, ratione aliqua, poſsit illam minuere.

34. *Sed cum veniſſet mandatum, peccatum reuixit.)* Deſcribit ſtatum peccati poſt legem, dicens, (*cum veniſſet mandatum,*) ideſt, præceptum vetans ne peccarem (*peccatum*) non ſolùm coercitū non eſt, verumetiam (*reuixit*) in cognitione & vigore, ideſt, reuiuiſcere viſum eſt, & nouum vigorem accipere. & ſignanter dicit reuixit, quia vt ait S. Tho.
Tho. in paradiſo plenam notitiam homo habuerat de peccato, licet non per experientiam.

35. *EGO autem mortuus ſum.)* Statū hominis poſt legem deſcribit, & agit perſonam hominis ſub poteſtate peccati conſtituti dicens, (*ego autē mortuus ſum,*) intelecto per legem peccati comite ſuplicio, me mortuum ſenſi, & mor ti magis obligatum, quàm antè, nam reatum meum agnoſco per legem, & nihilominus pecco. Circa quod miſeriā hominis à gratia deſtituti conſiderare opportet, qui & pro mortuo habetur, & dum lege coercetur, peior euadit. Quia lex ſine gratia vetādo, illud quod iubet, libidinem auget: & manifeſtando peccatum, excuſationem adimit, præſertim diuina lex quæ indicat peccatum, & aduerſari Deo, & priuatione diuinæ fœlicitatis, & punitione æterna eſſe dignum. Hoc enim modo, peccatum, robor & vigorem accipit, & hominem interimit. Quocirca ſi peccatum ea ratione mortuum erat, quod nōn ſatis cognoſcebatur, ea quoque ratione moritur homo reuiuente peccato, Aug.
quod cognoſcit ſe peccare, & nihilominus peccat: vt dictum eſt.

36. *ET inuentum eſt, mihi, mandatum quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem.)* Ex vtriusque ſtatus, ſcil. hominis & peccati comparatione, colligit euentum legis. Quo iugiter Romanos habeat admonitos, hanc peccati reſuſcitationem, hominisq́; mortem, non legis, ſed praui hominis vitio, contigiſſe. Vnde ait, (*& inuentum eſt,*) ideſt, ſecundum prædicta ita factum eſt, vt (*mandatum quod erat ad vitam,*) ideſt, ad vitæ ſubſidium inſtitutum (*hoc mihi eſſe ad mortem,*) ideſt, mihi ceſsiſſe in mortem. Haud tamen legis vitio, ſed meo ipſius vitio.
Notandum diligenter, quod ex intentione dantis mandatum, & obedientia implentis illud, Semper mandatum refertur ad vitam, iuxta illud Prophetæ Ezec. 20
dicentis, Dedi eis præcepta bona, & iudicia, quæ faciens homo viuet in eis. Bona, inquit, quia enormitatem peccati, quod eſt Dei offenſio: & ſublimitatem præmij, quod virtuti debetur: & accerbitatem ſuplicij, quo peccatoribus comminatur: & viam iuſtitiæ, qua peruenitur vſque ad conſpectum Dei: & viam perditionis, qua itur ad tartara, oſtendunt. Sed mandatum bonum vitæ, ceſsit malis in mortem, vitio ipſorum, vt dictum eſt.

37. *NAM peccatum, occaſione accepta per mandatum, ſeduxit me, & per illud occidit.)* Oratoris mos eſt, repetere cō cluſionem, vt hic facit Apoſtolus. Collegerat enim mandatum, quod ad vitæ ſubſidium fuerat inſtitutum, ceſsiſſe illi ad mortem. Nam cum in homine à gratia deſtituto, ſit propenſio ad peccandum inſita, animus æger à lege occaſionē arripit, auidius peccandi, quod vtique mors animæ dicitur. Et hoc eſt quod

quod dicit, mandatum vitæ inuentum eſt mihi ad mortem. *(nam peccatum,)* ideſt, concupiſcentia,ſeu fomes,aut diabolus *(occaſione accepta per mandatum.)* ideſt, per legis occaſionem, veluti bono organo malè vtens, *(ſeduxit,)* ideſt, illexit *(me)* ad peccandum, ſubuertens cor meum, vt potius inhærerer vanitati & mendacio, quàm verò & ſummo, increatoq; bono, *(& per illud)* mandatum occaſionaliter me *(occidit,)* vt iam me reum, & alieni iuris me agnoſcerẽ, & ſine charitate,in quâ, animæ vita conſiſtit.

Aug lib. 83.q. 38. *Seduxit me.)* Suaſio delectationis, vt ait Aug. vehementior eſt, dum adeſt prohibitio, vti in adulterio quàm in matrimonio : vnde concupiſcentia, per legem prohibentem,agitata, & inflãmata, non reputando peccatum vt opportet,delectationem verò pluſquàm opportet, decipit intellectum, ſuadens ei, vt imperet quæ non opportet. Qua *Philoſ.* de cauſa dixit Ariſt. quod omnis peccans, eſt ignorans. Quo etiam ſpectat Euæ ſeductio, per Serpentem facta: nõ enim ſatis fuiſſet verbũ mendacij,quod ei diabolus obiecerat, dicens, nequaquã moriemini, niſi cupido pomi vetiti acceſsiſſet, quod pulchrum erat viſu,& ad veſcendum ſuaue. Quo quidem prototypo, omne diaboli tentamentum eſt adumbratum. Ille enim per paſsionem & prauam noſtram inclinationem,attenuare, & exinanire conatur grauitatem culpæ : & ſic decipit, & excæcat, excæcatosq; occidit, & deuorat.

39. *Occidit.)* Idem eſt, quod litera occidit, hoc eſt, lex iubens & non iuuans,non autem iuuando, inflamatur animus ad peccandum, & ſic lex per occaſionem, interficit animam, nunc in culpa, poſtea in pœna inferni, quæ *Apo.5.* iuxta beatum Ioan. eſt mors ſecunda, quam nemo iuſtus videbit. Mors verò corporis in reprobis, tranſitus eſt ad hanc inferni mortem.

40. *Itaque & lex quidem ſancta,& mandatum ſanctum, & iuſtum, & bonum.)* Colligit ex dictis in deffenſionem legis, quod ipſa non ſolum non ſit peccatũ, ſed vlterius quòd ſit bona tamquam faciens cognoſcere peccatum, & prohibens illud. Quod enim malum prohibet, id bonum ſit opportet. Proinde nihil eſt quod eam calũnietur quiſquã, nam vt à bono Deo data eſt, ita ipſa & bona & *(ſancta)* eſt, *(& mandatum ſanctum, & iuſtum, & bonum,)* ideſt, præcepta proponit ſancta, & iuſta, & bona. *(ſancta)* inquam, ideſt, pura, & incorrupta,alludens ad verbum ſancire. Omnia enim legis præcepta, ad ſanctitatem populi ordinata erant : *(iuſta)* ideſt, æqua, propter æquitatem & rectitudinem præcepti, in ſe ipſo continentis. *(bona,)* ab effectu, qui iuxta Philoſophum, eſt bonos facere ciues. *2.Eth.* Hæc omnia exactè Dauid, in Pſal. Lex *Pſ.18.* Domini immaculata, &c.

Hic locus facit contra Marcioniſtas, & Manichæos hæreticos,diffamantes quidem legem, & tamquam malam proſcribentes. Nam quod habetur in Ezechi. Dedi eis præcepta non bona, illuc *Ezech.* ſanè tendit, quod præcepta ceremonialia, cum gratiam non conferrent, nec eſſent perpetuò duratura, erant quaſi imperfecta. Vnde & de iudicialibus addit, & iudicia in quibus non viuent.

41. *Quod ergo bonum eſt, mihi factum eſt mors ? abſit.)* Ex verbis paulò antè dictis, videlicet, *Et inuentum eſt mihi mandatum quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem,)* mouet nunc talem quæſtionem, dicens, *(quod ergo bonum eſt, factum eſt mihi mors ?)* ideſt, lex, quæ per ſe bona eſt, facta eſt mihi mors ? Nam ſimile, gignit ſimile, ſi lex bona eſt, quomodo mihi mortem peperit ? Quæ vtique mala eſt, & à peccato gigni ſolet. Obſerua hic pie Lector, quanta fide Paulus tueatur bonitatem legis Dei. Non enim ſatis duxit illam ſanctam, & iuſtam, & bonam prædicare, ſed etiam nunc per hanc quæſtionem, eam immunem oſtendere ab omni malicia, ſi fortè quis objiciat, vitio ſaltem hominum deturpatam, mortiferamq; factam eſſe.

42.

42. *Abſit.)* Soluit quæſtionem per interemptionem dicens, *(abſit,)* vt ſcil. hoc de ſancta Dei lege, impiè quis aſſerat. Illa quippè ita ſuaptè natura viuifica erat, dataq; adeò in ſubſidiũ vitæ, vt nullo modo, neque per hominum corruptelam, facta ſit mortis cauſa. Illud enim quod per ſe eſt bonum & viuificum, non poteſt eſſe cauſa mali, & mortis, iuxta illud Saluatoris, Non poteſt arbor bona, fructus malos facere. *Matt. 7.*

43. *SED peccatum, vt appareat peccatũ, per bonum operatum eſt mihi mortem)* Concordat id quod nunc dicitur, cum eo quod ſuprà dictum eſt. Non enim mandatum, ſic inuenitur eſſe ad mortem, quod ipſum mortem operetur. Sed dicimus quod *(peccatum,)* ideſt, ipſe fomes peccati, *(per bonum,)* ideſt, per occaſionem bonæ legis, *(operatum eſt mihi mortem,)* ideſt, hominibus effecerit mortẽ, *(vt appareat peccatum,)* ideſt, vt ſic apparens & validius fieret *(peccatum,)* ideſt, fomes peccati, quod ante latebat, priuſquam per legem indicaretur. Vel ſic. lex cum eſſet bona & ſancta, non fuit hominibus mortis parens, ſed ipſum verius peccatum, exitium eis dedit, quod adeò malum eſt, vt rem per ſe bonam, nempè Dei legem, in perniciem eis verterit, *(vt appereat peccatum,)* ideſt, vt hoc modo fieret euidentius, quàm res ſit ſceleſta peccatum, cuius vitio, quæ optima ſunt, cedant in rem peſsimam. Vnde dicit.

44. *VT fiat ſupra modum peccans, peccatum per mandatum.)* Hoc ideò etiam dicit, vt oſtendat, quod etiam ante legem erat peccatum, & erat mors. Nam per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatũ mors: & regnauit mors ab Adam vſque ad Moyſem, cum lex non eſſet. At verò, poſt legem, aliter ſe res habuit. Nam *(peccatum,)* ideſt, fomes peccati, *(eſt ſupra modum peccans,)* vt totum ipſius venenum, & vniuerſa manifeſtetur malitia, id enim ſignificat *(fiat,)* vt ſcil. manifeſtetur. *(per mandatum,)* ideſt, per legis occaſionem. *(& mors,)* ideſt, damnatio mortis eſt augmentata, lege adueniente. Quare? quia fomes peccati, & diabolus poſt legem datam, magis ſolicitat & inducit hominem ad vetita: & quia propter expreſſam legis prohibitionem, grauiora ſunt peccata, quæ committit homo, & ſic per legis occaſionem, grauius & in pluribus delinquit.

45. *Scimus enim quod lex ſpiritualis eſt, ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato.)* Progreditur ad oſtendendum bonitatem, & æquitatem legis Dei, ex eo quod ipſa ſit inimica inimicorum ſpiritus & mentis noſtræ, & quod ſemper vult bonum rationis contra carnẽ, vnde & ſpiritualis dicitur. Duæ enim in nobis ſunt partes contrariæ, nempè caro & ſpiritus: inter hæc eſt bellum perpetuum, nam caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem: lex autem Dei, eſt ex parte ſpiritus, peccatum, ſeu fomes peccati, ex parte carnis. Ergo lex & peccatum ſibi inuicem aduerſantur, & non poteſt ex lege, quidquam mali proficiſci, ſed ex nobis ipſis, qui procliues ſumus ad illud. Cum igitur dixiſſet Paulus, quod lex eſſet ſancta & bona, aſsignat modo rationem dicens: *(ſcimus enim,)* nos qui in diuinis ſumus inſtructi *(quod lex,)* ſcil. vetus *(ſpiritualis eſt,)* ideſt, à Spiritu ſancto data, & ad honeſta inuitans: verùm quominus efficiat, quod ſtudet, non ipſa inculpa eſt: ſed *(ego,)* vt exẽpli gratia de me loquar, *(qui carnalis ſum,)* ſcil. ex vna parte, & ad inhoneſta procliuis, *(venundatus,)* ideſt, venditus vili prætio delectationis, *(ſub peccato,)* ideſt, ſub tyrannide peccati degens, tamquam ſeruus eius emptitius. Nam qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Peccati, inquam, aut primi parentis, in quo peccauimus omnes, ſed per baptiſmũ hac dimiſſa noxa, manet rebellio ſenſualitatis, quæ ab effectu, etiam peccatum dicitur: & reperitur etiam in viris iuſtis citra crimen. In hanc ſeruitutem nos vendidit primus parens, cuius præuaricatione expoliati ſumus dono originalis iuſtitiæ. Aut accipitur *Gal. 5.*

pro

pro peccato proprio vniuſcuiuſq;, cui homo peccator ſic eſt obnoxius, & obſtrictus, vt mancipium emptitium obſtrictum eſt hero ſuo.

46. *Lex ſpiritualis.*) Ad differentiam Euangelij, appellat Moyſi legem, ſpiritualem. Nam lex Euangelij, lex ſpiritus dicitur, cuius illa fuit prænuntia, atque adeò ſpiritualiter inteligenda, licet ſcripta fuerit in tabulis lapideis digito Dei, ideſt, à Spiritu ſancto, qui, vt *Tho.* ait D. Tho. digitus Dei dicitur in ſcripturis. Euangelium autem, lex ſpiritus dicitur, tùm, quia præſentiam Chriſti *Exo. 31.* continet, tùm etiam, quia per Spiritum *Mat. 11* ſanctum, ſcripta eſt in cordibus noſtris.

47. *QVOD enim operor, non intelige.*) Ecce ſeruitutem peccati. Seruus neſcit quid faciat Dominus eius, propterea vir iuſtus, ex ea parte qua carnalis eſt, & ſub peccati fomite conſtitutus, non inteligit quod operatur, hoc eſt, ipſo ignorante, quoad primos attinet motus, inſurgit caro aduerſus ſpiritum. Talis autem operatio præuenit rationis iudicium, quo adueniente impeditur: & ideò ſignanter dicit, (*non intelligo,*) quia ſcilic. animo indeliberato & non præcipiente, talis operatio concupiſcétiæ inſurgit. Si verò de ſeruitute peccatoris accipiatur, ipſe non inteligit quod operatur, hoc eſt, neſcit quid agere debeat, vitijs peccatorũ excæcatus. Vel, non inteligit quod operatur, quia dum peccat, non conſiderat, quantum mali, ſecum afferat peccatum.

48. *NON enim quod volo bonum, hoc ago, ſed quod odi malum, illud facio.*) Oſtenſa ſeruitute ex parte intelectus, oſtendit nunc eandem ex parte voluntatis. Inuito enim viro iuſto, caro inſurgit contra ſpiritum, & moleſtijs afficit illum: propterea inquit, dictum eſt, quod ſum venundatus ſub peccato: & hoc eſt maxime verum: (*non enim quod volo bonum,*) ſecundum ſpiritum, (*hoc ago,*) ſed (*quod odi malum,*) ſecũdum eundem ſpiritum, odientem carnis concupiſcentias, (*illud facio,*) ſecũdum eam partem qua carnalis dicor. Hæc eſt miſera ſeruitus & opprobrioſa. Nam inuita mente & ratione, aliâs nobili & iuſta, & ad Dei imaginem fabricata, caro putrida & vilis facit quæcunque vult. De homine autem peccatore, ſic exponitur. (*non enim quod volo bonum,*) ideſt, quod mens & ratio dictat eſſe agendum, (*hoc ago*). ratione quidem, ſemper bonum expeto. Sed tamen potius (*quod odi malum,*) ideſt, quod inhoneſtum eſt, & vt inhoneſtum odi, (*illud facio,*) nimirùm, cupiditate victus. Quo fit, vt omnes etiam nocentes, inteligant humanam ſeruitutem, & quod legi Dei nihil imputandũ de malis, quæ homo perpetrat.

49. *Non enim quod volo bonũ, hoc ago.*) In viro iuſto, accipitur hoc de voluntate cõpleta, quæ cõſtans eſt in virtute & veritate, & nullo modo aſſentiri vult carnis ſugeſtionibus, ad ea quæ ſunt contra rationem. Si verò de peccatore accipiatur, voluntas eſt incompleta, qua homines in vniuerſali expetunt bonũ & honeſtum, ſicut & in vniuerſali habent rectum iudicium de bono, & deprauatur talis voluntas in particulari, vt non agat quod in vniuerſali inteligit agendum, & agere vellet. Non eſt igitur, abſoluta talis voluntas, ſed eſt voluntas in genere, & vt more ſcholaſtico loquar, eſt quædam velleitas, dum in particulari non facit homo peccator, quod in genere vult.

50. *SED quod odi malum, illud facio.*) Pari quoque modo, explanandum eſt hoc, de odio, & opere perfecto, & imperfecto. Nam vir iuſtus & in gratia cõſtitutus perfectè odit omne genus flagitiorum, & deteſtatur vitia vſque ad finalem eorum reprobationem, iuxta illud Pſal. Perfecto odio oderam illos, *Tho.* ſcil. malos in quantum ſunt peccatores. Sed peccator, quanuis imperfectè, etiã odit malum, in quantum omnis homo naturaliter odit illud. Rurſus, actio mala viri iuſti, eſt imperfecta, quippe quæ, in ſola appetitus ſenſitiui concupiſcentia conſiſtit. At verò, actio mala

pec-

peccatoris & iniqui, eſt perfectè mala, per operis executionem ſecundum rationis conſenſum: nam illud odium mali in genere, ſeu in vniuerſali, tollitur in ſpecie, ſeu in particulari eligibili, per inclinationem habitus, vel paſſionis: & talem odium, non dicitur ſimpliciter odium, ſed ſecundum quid: voluntas autem dicitur ſimpliciter, quemadmodum (vt Ariſtotelis exẽplo vtar) qui iactat merces in mare, ſecundum quid, nollet, ſed ſimpliciter & in particulari, vult. Odium autem mali in viro iuſto, abſolutè & ſimpliciter dicitur odium.

Tho.

3. Eth.

Circa prædicta eſt hoc valde notandũ, quod in primis motibus ſenſualitatis, quæ rationem inuitam & non aduertentem inuadit, nulla inuenitur, vel leuiſsima culpa. Naturali enim ſurreptione, eam ſubitò impetit. At verò, ſi ratio attendat, & non ſtatim reprimat carnis illecebras, peccat quidem venialiter: ſed ante voluntatis aſſenſum, vel ad rem, vel ad delectationem, non eſt culpa mortalis. Quamobrem ſumma cura & diligentia, cuſtodiendum eſt cor noſtrum, contra hunc inimicum domeſticũ corporis noſtri, ieiunijs & orationibus, & vigilijs multis illud deprimendo, vt non inſurgat, ſcutoq; fidei, comitem eius diabolum proijciendo, qui tamquam leo rugiens circuit, & inſidiatur, vt mentis noſtræ aciem expugnet, occidat, & deuoret vnicam noſtram.

51. *SI autem quod nolo, illud facio, conſentio legi, quoniam bona eſt.)* Ex proximè dictis colligit, quod lex ſit bona, & ſancta, & iuſta. Dicens, *(ſi autem quod nolo)* ſecundum rationem, *(illud facio)* ſecũdum ſenſualitatem, hoc ipſo quod nolo malum *(conſentio legi, quoniam bona eſt,)* ideſt, legem aprobo, in hoc quod prohibet malum, quod ego naturaliter nolo. Manifeſtum eſt enim, vt ait D. Th. quòd inclinatio hominis ſecundum rationem, ad volendum bonum, & fugiẽdum malum, eſt ſecundum naturam, vel gratiam, & vtraque eſt bona: vnde & lex quæ huic inclinationi conſentit, præcipiendo bonum, & prohibendo malum, eadem ratione eſt bona, & ſic, ex diſpoſitione hominis, ſiue iuſti, ſiue iniuſti, colligitur, quòd lex ſit bona, æqua, & ſancta. Nam lex eſt contra carnem, cui non obtemperat iuſtus. Iniquus verò, cupiditate pellectus, obſequitur carni, & cõmittit id, quod mens & ratio damnat, ac refugit, & per hoc teſtatur legem eſſe bonam, quæ vetuerit ea, quæ ipſe iuxta meliorem animi portionem damnat. Itaque bonam eſſe legem neceſſe eſt, quæ prohibet ea, quæ licet faciat peccator, carni obſequens, tamen inteligit eſſe mala.

Tho.

52. *NVNC autem, iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.)* Ecce miſeram hominis ſeruitutem, qui & legi quæ ad honeſta vocat, & à turpibus deterret, conſentiens, operatur quidem inuitus quod eſt malum: propterea dicit *(nunc autem,)* ideſt, rebus ſic ſtantibus, videlicet, per intelectum & voluntatem legi conſentiens, dum autẽ contra legem facio *(iam non ego operor illud,)* quod ſcilic. facio contra legem, *(ſed peccatum quod in me habitat,)* ex quo patet, me eſſe peccati ſeruum, quatenus in me, quaſi dominium habens, operatur: non per me ago, ſed potius agor. Qui enim liber eſt, ipſe per ſe ipſum agit, & non ab alio agitur.

HÆC de viro iuſto dicta, ſunt plana, qui dum à cupiditate carnis diſſentiens, exhibet inuitus membra ſua arma iniquitatis peccato, non ipſe, ſed peccatũ, hoc eſt, concupiſcentia carnis, citra culpam mortalem ipſius, operatur. Nam illud homo dicitur operari, quod ratio operatur, quia homo eſt id, quod eſt ſecundum rationem: itaque motus concupiſcentiæ, qui non ſunt à ratione, ſed à fomite peccati, non operatur homo, ſed fomes peccati, qui hîc peccatum nominatur: ad quod pertinet illud Iacob. Apoſt. Vnde bella & lites in vobis, nõne ex concupiſcentijs veſtris, quæ militant in membris veſtris? *Iac. 4.*

Ro. 6.

DE homine autem peccatore, vitijs & affectibus obnoxio, non ita rectè & pro-

propriè ſententia hæc explicari poteſt, cum eius ratio peccato conſentiat in particulari, & ſecundum hoc videtur dici non poſſe, quod ipſe non operetur illud: vnde beatus Aug. Multum, inquit, fallitur homo, qui conſentiens eſt concupiſcentiæ carnis ſuæ, & quod illa deſiderat, decernens facere, & ſtatuens putat ſibi adhuc eſſe dicendum, (*non ego operor illud.*) Poteſt tamen licet extortè, vt ait D. Tho. de ipſo etiam exponi peccatore. Pro quo, vt ſuprà tetigimus, opportet imaginari duos in vno homines, alium carnalem & craſſum, alium verò puriorē, minusq; craſſum: illum externum dicere licet, hunc internum: illum veterem, hunc nouum: illum animalem, hunc ſpiritualem: ille affectibus obnoxius ad vitia procliuis eſt, hic honeſti ſemina nonnulla retinens, ad honeſta vtcunque nititur, & in medijs vitijs vt poteſt, reclamat, ac refragatur: hic eſt potior noſtri portio, ſecundū quam ſumus, vocamurq; homines. Nam ſecundum partem craſſiorem, communicamus cum brutis, & eſt nobis inſita peccandi vis, & ad vitia procliuitas, per quam fit, vt cum velimus honeſta, turpia patremus. Quotiens igitur mens conſentiens legi in vniuerſali, nititur ad honeſta, & tamen quod diuerſum eſt agit, conſentiens carni in particulari, tunc non ego operor illud malum, ideſt, non videor agere quod ago, non quod non agam & peccem, ſed quia non ago vt homo rationalis, ſed vt animal brutale, deuictus à peccato: propterea dicit, ſed quod habitat in me peccatum.

Aug. in gloſſa. — Tho.

53. *SED quod habitat in me peccatum.*) Secundum Auguſt. & alios complures, peccatum in hoc loco vſurpatur pro concupiſcentia rebellante contra rationem, tum quia cauſa, tum etiam quia effectus eſt peccati. Poteſt etiam accipi pro peccato ipſius Adæ, eo quod concupiſcentia, virtus & ſeminarium eſt, per quod primi parentis peccatū, habitat in nobis, ex quo cætera noſtra delicta proficiſcuntur. Quemadmodū diabolus dicitur habitare in homine iniquo & doloſo, licet in illo non ſit per eſſentiam.

Aug.

54. *Habitat in me peccatum.*) Non dicitur peccatum habitare in nobis, quaſi illud ſit res aliqua, cum ſit priuatio boni: ſed hoc verbo deſignat Apoſtolus, permanētiam huiuſmodi defectus in homine. Nam ſi principia hominis naturalia conſideremus, vis illa concupiſcentiæ, naturalis eſt nobis, & ideò homini in puris naturalibus cōdito, etiam ineſſet. Sed eſt nihilominus effectus peccati Adæ, per quod iuſtitia originali nudati ſumus, quæ hanc concupiſcentiam rationi ſubijciebat. Quod equidem ad miſeriam hominis facit, toto lachrimarum fonte lugendam. Quid enim infœlicius potuit homini contingere, vt non ſolùm peccati ſeruus, ſed etiam hoſpes, quid dicam hoſpes, imò domus & habitaculum illius dicatur, nec pro vno, aut duobus annis, ſed pro omnibus diebus & annis vitæ præſentis: cuius ſocietas quantum nobis adferat incommodi, ex verbis quæ ſubſequuntur Apoſtoli, facilè comprehendes. Vnde dicit,

55. *Scio enim quod non habitat in me, hoc eſt, in carne mea, bonum.*) Iniquus hoſpes & triſtis valde, à quo nihil boni habetur, ideò inquit, (*ſcio.*) ideſt, experimento comperui & certus ſum, (*quod in me, hoc eſt, in carne mea, non habitat bonum,*) ideſt, in me ſecundum carnem, & in iſta carne corrupta (*non habitat bonum,*) ideſt, nulla eſt ad bonum inclinatio, ſed procliuitas ad omne malum. Non loquitur hîc de bono naturæ, ſecundum quam omnia ſunt bona, & valde bona, contra Manichæos: propterea non dicit, quod caro non eſt bona, ſed quod non habitat in ea bonum. Loquitur autem impreſentiarum de bono gratiæ, quod, vt ait S. Tho. non habitat in carne hominis quantumuis iuſti, ſed potius in corde ipſius per fidem habitat Chriſtus, qui eſt verum & ſummum bonum: & ſic primo & directè intelligitur hoc de homine Gen. 1.

mine iuſto. Indirectè verò de eo qui peccandi habet conſuetudinem, & peccatis tenetur obnoxius. Nam peccatũ, quod eſt priuatio gratiæ, à carne deriuatur quodammodo ad mentem, vt *Tho.* ait S. Tho. & ex ea tamquam ex magna fornace aſcendit fumus multarum paſſionum, nimirùm, ſuperbiæ, iræ, auaritiæ, inuidiæ, luxuriæ, odij, & cætera id genus. Indirectè, inquam, de homine peccatore ſumendum eſſe hoc, propter id quod addit Apoſtolus, (*hoc eſt, in carne mea,*) Nam in homine peccatore, nec quantũ ad carnem, nec quantum ad mentem, habitat bonum gratiæ. Inteligatur ergo indirectè, modo iam dicto.

56. *HOC eſt, in carne mea.*) Ex his verbis ſumitur, id quod eſt in carne, non eſſe ſimpliciter in homine, quatenus homo eſt, ideſt, rationalis: propterea, cum dixiſſet, non eſt bonum in me, adiecit correctionem dicens, hoc eſt, in carne mea.

¶ Notandum circa hoc, non eſſe huic ſententiæ contrarium, quod infrà dicturus eſt de Spiritu ſancto in nobis habitante, quiq; per ſanctum lauacrum effuſus eſt. Nec illud quod idem ad *1.C.6.* Corinthios dicit, Neſcitis quoniam mẽbra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti? Quoniam in his ius tantum exprimitur, quod Deus ratione creationis, & redemptionis habet in corporea noſtra, ne exhibeamus illa quæ ſua ſunt, ſeruire Sathanæ: ſed potius ei, cuius manibus editi ſumus in templum ipſius viuum, & tandem eius cruore in priſtinum ſtatum reſtituti: idcirco enim, inquit, empti eſtis prætio magno, glorificate & portate Deum in corpore veſtro. Hic verò prodit malum ex peccato Adæ, in noſtra carne relictum.

57. *NAM velle adiacet mihi, perficere autem bonum, non inuenio.*) Ex hominis facultate oſtendit appertè, quod non eſt in carne noſtra bonum. Facultas quidem eſt magna ex parte voluntatis, nam iuxta *Aug.* Aug. nihil eſt tam in hominis voluntate conſtitutum, quàm hominis voluntas: difficultas verò, eſt ex parte operis. Nam caro, amat ſe plusquàm Deum, & omnia, & non obſequitur rationi, quin potius reſiſtit ei, vt non faciat honeſtum quod optat. Poteſt autem ſententia hæc, multifariam exponi: primò quidem de homine iuſto, & in gratia conſtituto, in hunc modum, dictum eſt quod non habitat in carne mea bonum, & hoc, experimento comperui, (*nam velle adiacet,*) ideſt, præſto eſt, propinquum eſt, (*mihi,*) per gratiam reperato. Eſt enī ſanctis per DEI fauorem in promptu velle quidquid honeſtum eſt, conſuetudine beneuolendi bonum, iam ferè in naturam verſa. Et nõ ſolùm per gratiam quam habent, volunt quod bonum & honeſtum eſt, ſed etiam aliquid boni faciunt, repugnantes concupiſcentiæ, & contra eam agentes, ducti ſpiritũ: ſed non valent eam prorſus extinguere, & abolere, propterea, inquit, (*perficere autem non inuenio*) ideſt, non inuenio in me facultatem excludendi omnem concupiſcentiam, nam perficere in hoc loco, iuxta Aug. idem pollet, quod nullatenus concupiſcere: id quod impoſſibile eſt, quamdiu ſumus in hoc corpore mortali, & corruptibili, à quo proinde optabat liberari Paulus, propter eũ quem patiebatur angelum Sathanæ, eum colaphizantem, & hac etiam de cauſa, caſtigabat illud, & in ſeruitutem redigebat. Hinc igitur patet manifeſtè, quòd bonum gratiæ non habitat in carne: quia ſi in carne habitaret, ſicut habeo facultatem volendi bonum per gratiam habitantem in mente, ita haberem facultatem perficiendi, per gratiam habitantem in carne. *Aug. cõ. Pelag. ad Boniſ.*

¶ Ad hæc, duplex eſt perfectio, altera eſt perfectio patriæ, altera perfectio viæ, illa dicitur triumphantium, hæc militantium: illa, eſt prorſus immunis à peccato, etiam veniali, hæc, tantùm à mortalibus: de illa, inquit Paulus, nõ *Phil. 3.* quod iam perfecti ſimus, perfectione ſcil. beatorum: de hac verò ſtatim ſubiungit, quicunque ergo perfecti ſumus, perfectione ſcil. viæ: de qua etiam beatus

1.*Ioa.*1. tus Euangeliſta Ioannes, Si dixerimus, inquit, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & ſtatim, Qui ſeruat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta eſt : illa demum, corpus habet ſpirituale, menti prorſus ſubiectum, hæc verò rectà tendit in cœlum, quoniam leuis culpa, non eſt declinatio à recta via, ſed eſt quædam demoratio, quæ perfectioni huius ſeculi non repugnat. Velle igitur, adiacet iuſto viatori, cauendi ſcil. omnia pecata quãtumuis leuia, perficere autem non poteſt ſuam voluntatem, quia videtur impoſsibile pro ſtatu præſentis vitæ, & nihilominus ille erit perfectus, perfectione viæ, quam, vt dictum eſt, peccatum veniale non aufert.

Soto de natu. & gratia li. 3.c.4. ¶ Doctrina hæc facit contra Lutheranos, qui veritati repugnantes, negant præceptum dilectionis Dei, perfectè in hac vita impleri poſſe, quominus quauis actione noſtra contra illud peccemus, neſcientes diſtinguere inter perfectionem viæ & patriæ, quarum altera, meritum eſt per legis impletionem, altera verò præmium, per fructus perceptionem.

¶ Incipientes, promptum quoque habent animũ ad virtutem, veluti intemperatus qui timore Dei tactus proponit emendationem vitæ, & incontinens non aſſentiri paſsionibus : at verò, experientia conſtat quantum laboris habeant in operis impletione, quoadusq; virtus in eis altas radices iecerit, & amore ſectentur, quod timore cœperũt. Præfiguratum eſt hoc in Euangelij parabola de ſemine iacto, quod aliud cecidit ſecus viam, aliud in petroſis, aut inter ſpinas, quod vtique ob varia rerum impedimenta, nullum retulit fructum. Neceſſaria eſt igitur aſsidua in virtute exercitatio, ſicut & in cæteris artibus, pro ipſa comparanda virtute. Non enim ſatis eſt, vt ſapiens, aut diues fias, ſapientiam, aut diuitias velle, ſed cum hoc adhibendus eſt labor nõ modicus, ſtudium, ſolicitudo, vigiliæ, doctrina, & inſtitutio: ita equidem & amplius, hæc neceſſaria videntur ad virtutem. Fortes enim ſunt, virtutis aduerſarij: ad quos debellandos, non paruo negotio opus eſt. Si in ſola voluntate eſſet virtus, nullus credo careret illa, cum illius pulchritudo ſit tanta, vt à nemine contemni poſſet, qui oculis patentibus eam cerneret, & liberè conſideraret : eſt tamen etiam in opere maximè conſtituta, ad quod non tepidi, ſed ſpiritu feruentes, & diligentes accedere opportet. Nam tepidi in virtute, malè audiunt apud Deum, mouentes illi nauſeam, citiùs quàm ſi frigidi eſsẽt, aut calidi, ſicut aqua tepida citius mouet illam, quàm frigida, aut calida.

58. *Velle adiacet mihi, perficere autem bonum, non inuenio.*) Quadrat ſententia hæc, etiam peccatoribus & iniuſtis, quibus, voluntate ſcil. incompleta, quæ ex inſtinctu rationalis naturæ eſt, in quibuſcunque peccantibus, ad bonum & honeſtum, (*adiacet velle,*) ideſt, iuxta eos iacet (*velle*) quaſi infirmum, niſi gratia Chriſti, efficatiam voluntati tribuat ad perficiendũ. Eſt igitur ſenſus, quamuis iuxta rationis inſtinctum, cupio quod honeſtum eſt, non tamen adeſt facultas præſtandi quod probo.

59. *Perficere autem non inuenio.*) Sumi poteſt in hoc loco (*perficere,*) pro perſeuerare vſque in finem, ad quod plus negotij, & cœleſtis fauoris requiritur, quàm ad volendum & operandum bonum. Nam hoc eſt viam ſalutis ingredi, curſum inchoare : illud verò conſũmare, ad metam peruenire, & arripere brauium.

¶ Occaſione huius ſententiæ, hæretici Pelagiani auſi ſunt dicere, initium boni operis, ideſt, operis iuſtitiæ apud Deum, eſſe à nobis in quantum bonũ volumus, nam (*velle*) inquit, (*adiacet nobis.*) At verò hęretici illi ſicut & omnes, iniqui erant & praui, claudentes oculos luci veritatis eis inuiſæ, pro qua, ſancta ſcriptura omnibus ſatisfacit, & difficultas vnius loci, per aliem explanatur. Itaque nolebant iſti auſcultare Paulum, alibi reſpondentem illis. Philipenſibus enim ſcribens, dicit : Deus *Phili.*2.

qui operatur in nobis & velle, & perficere. 2.C.3. Corinthijs quoque dicit, Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, quæ cogitatio, etiam voluntatem antecedit. Quando igitur Paulus ait, velle adiacet mihi, non negat, quin illud quoque ſit donum Dei, (nam iuxta vnam expoſitionem, gerit ibi perſonam viri iuſti, & loquitur de illa voluntate, quæ grata eſt Deo, qui proinde initium eſt operis iuſti, illius ſcil. iuſtitiæ, quæ apud ipſum dicitur iuſtitia,) ſed illud prorſus in his verbis Apoſtolus ſibi vult, quod velle multis donatur, quibus non protinus donatur perficere, quemadmodum dictum eſt.

Si verò de voluntate incompleta fiat ſermo, illius ſcil. qui peccatis inuolutus, mente clamat, cupiens ab illis, carne refragante, liberari: poſſumus congruẽter dicere, huiuſmodi deſiderium quãuis imperfectum, donum etiam eſſe Chriſti, qui ſtat ad oſtium & pulſat, cuius audita voce, timor ſubitus occupat animum iniquè agentium, conſcientia clamat, irrumpunt ſuſpiria, cor mœrore conficitur, mens optat Chriſto aperire, & tantæ maieſtatis pedibus inuolui, & oſculari. Sed contradicit caro, falſisq; amplexibus, & oſculis fraudulentis decipiens mentem, non ſinit eam ſurgere à lectulo ſuæ voluptatis, nec à dulcedine carnalium cogitationũ: vt tandem ſic mens ipſa deuicta, nolit carne inuita, poſtmodum quidquam facere. Hinc tepiditas ad bonum, proclinitas ad omne malum: hinc cordis induratio, mentis obſcuratio, voluntatis præcipitatio procedunt. Quapropter clamores conſcientiæ peccatoris, non erunt pro nobis in tremendo iudicio Dei, ſed potius contra nos, eo quod nec nos ipſos in re noſtra auſcultare voluimus. Et huic ſenſui reſpondet quod ſubditur.

60. *NON enim quod volo bonum, hoc facio, ſed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo illud facio, iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatũ.)* Fit enim, vt dum plus valet cupiditas ad turpia pellicens, quàm ratio ad honeſta inuitans, non id faciã *(quod volo,)* ideſt, cupio *(bonum,)* ſcil. honeſtum, ſed id potius *(quod nolo,)* ideſt, damno *(malum,)* hoc ago. *(ſi autem quod nolo,)* ſecundum ſpiritũ, *(illud facio, iam non ego operor illud,)* ſecundum ſpiritum qui eſt potior in homine pars, *(ſed quod habitat in me peccatum,)* ideſt, caro ipſa, ſeu fomes peccati, qui in carne regnat, donec per gratiam Chriſti deuincatur; & repugnante ſpiritu, & contradicente voluntate, mala exſuſcitat, & ſuadet rationi vt aſſentiatur: quæ dum aſſentitur ei, non opus hominis propriè, quatenus homo eſt rationalis, ſed quatenus carnalis & animalis potius dicitur: ac proinde dicit, non ego operor illud, ſecundum partem in me meliorem, ſed ſecundum deteriorem, nempe, carnalẽ. Si autem de viro iuſto accipiatur, iam ſatis ſuperq́ue dictum eſt ſuperius. Caro enim, inuita ratione, concupiſcit quæ ſibi placent, quam cupiditatem ratio, minime valet extinguere: atque adeò homo iuſtus *(facit,)* ideſt, concupiſcit ſecundum carnem *(quod non vult)* ſecũdum rationem. Quod ſi facere non videtur, quod quis facit inuitus, cum homo facit, quod iuxta meliorem hominis partem non vult, iam non ipſe videtur facere quod facit, ſed ipſa potius peccandi vis, inſita craſsiori hominis parti, nempe carni.

Obſerua, quod ex hoc ſolo medio, nempe, *(quod nolo, illud facio,)* ſapienter Apoſtolus colligit duo ſuperius propoſita, videlicet bonitatem legis, & dominium peccati. Primum elicitur ex eo quod dicit, *(nolo,)* quoniam ratio non vult malum, quod lex prohibet, & ex hac conformitate legis ad rationem, conſtat legem eſſe bonam. Secundum verò infertur ex eo quod dicit *(illud facio,)* propterea quod fomes peccati operatur in homine contra voluntatem rationis, tanquam dominium habens in carne hominis. Harum duarum concluſionum, prima quæ eſt de bonitate legis, refertur ad illud ſupra dictum, *(lex ſpiritualis eſt,)* propter conformitatem vtriuſque ſcil. legis & rationis, ad

volendum bonum, & deteſtandum malum. Secunda verò quæ eſt de dominio peccati, refertur ad illud etiam ſupradictum, (*ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato,*) propter eandem conformitatem carnis & peccati, aduerſus legem & rationem. Nam corpus quod corrũpitur, agrauat animam. Et veluti acerbus tyrannus, deprimit ſenſũ multa cogitantem.

61. *Inuenio igitur legem volenti mihi facere bonum.*) Infert ex dictis duas leges in vno eodemq; homine contrarias: altera in malum, altera in bonũ tendens: & hæ quidem leges ſunt ſecũdum duas partes, ex quibus homo cõponitur, carnis ſcil. & mentis. Cum autem in ſententia præcedenti proximè dicta, aſſeruiſſet Paulus, peccatum quod habitat in homine eſſe cauſam malorum quæ fiunt ab homine, colligit inde dicens, (*inuenio igitur legem volenti mihi facere bonum,*) ideſt. cum volo facere aliquid boni & honeſti, inuenio legem. Non dicit autem qualitatẽ legis, ſiue an ſit pro ratione, ſiue contra rationem, ſed tantùm dicit nunc, quòd legem innenerit, ſtatim dicturus cuius ſit qualitatis hæc inuẽta lex: reddente prius rationem, & illius inuentionis, & ſuæ voluntatis ad bonum. De primo inquit.

62. *Quoniam mihi malum adiacet.*) Quadrat hoc cum illo ſuperiùs dicto, (*quod habitat in me peccatum,*) hoc enim (*malum,*) ideſt, peccatum, vel fomes peccati, eſt quod (*adiacet,*) ideſt, iuxta rationem iacet, quaſi carnem inhabitans. Sed precor, ò diuine Apoſtole, vnde colligis legem tibi eſſe, dum cupis aliquid patrare boni? Taces etiam qualitatem legis, non enim dicis an ſit pro te, an contra te lex quam inueniſti, dũ bonum & honeſtum facere deſideras. Vtrumq; dicam, legem colligo in me eſſe, ex malo quod mihi adiacet, ſiue, quod idem eſt, ex peccato quod in me habitat. Cæterùm lex mala eſt & iniqua, quoniam ex malo principio, & ad malum procedit finem, hoc eſt, ex peccato ad peccatum. Deinde reddit rationem ſuæ voluntatis ad bonum opus dicens.

63. *Condelector enim legi Dei, ſecundum interiorem hominem.*) Cauſa boni deſiderij humanæ voluntatis, videtur eſſe honeſtum quod lex Dei præcipit, cuius tanta eſt vis & energia, vt rapiat ad ſe mentem noſtram: propterea dicit (*condelector legi Dei,*) ideſt, complaceo, & delector in lege Dei, (*ſecundum interiorem hominem,*) ideſt, ſecundum ſpiritũ, qui eſt interior homo, & præcipua hominis pars, quæ quidem naturali dictamine eadem eligit, quæ lex Dei apertè præcipit tanquam bona, & propter hanc conformitatem, ſpiritus hominis delectatur in lege Dei: & propter hanc delectationem quam ſecum adfert honeſtum quod lex præcipit, homo deſiderat facere bonum. Et hoc ſit ſatis pro declaratione illius (*inuenio legem volenti mihi facere bonum.*) Volo equidem bonum propter ſeipſum, & propter delectationem quam ſecum affert, ſed huic voluntati inuenio legem nimis aduerſam, (*quoniam mihi malum adiacet.*)

64. *Secundum interiorem hominem.*) Partem puriorem hominis, nempè ſpiritum, ſeu rationem, ſeu mentem in qua eſt Dei imago, vocat interiorem *Tho.*
hominem: non quòd anima ſit effigiata ſecundum formam hominis, vt Tertulianus poſuit. vel quod ipſa ſola *Tertul.*
ſit homo, iuxta Platonem dicentem: *Plato.*
quod homo eſt anima vtens corpore, ſed quia id quod eſt principalius in homine dicitur homo, vt ſpiritus & mens hominis, quæ iuxta veritatem eſt pars principalior. & dicitur homo interior, quia internè munera, & officia ſua implet per voluntatis arbitrium: licet ſecundum apparentiam, id quod eſt exterius, videatur principalius, ſcil. corpus humanum ſic effigiatum, quod dicitur homo exterior. Diſcrimen igitur hominis interioris, & exterioris, non eſt idem quod inter animam & corpus: (nam homo, nomen eſt ſuppoſiti, non partis.) ſed id quod eſt inter hominẽ,

quatenus ratione & intelectu viget, qui-
bus vtitur contra ſenſus inclinationem,
& eundem hominem qnatenus ſenſuali
appetitui obſequitur, præter rationis
Eph. 4. ordinem: quos alibi vocat veterem &
Gal. 5. nouum, quibus eriam diſsidium eſt per-
petuum.

65. *Condelector. legi Dei.*) Duplex eſt
voluptas, altera exterioris, altera in-
terioris hominis: hæc excedit illam,
quantum anima excedir corpus: per
illam fœdatur homo, & fit ſimilis iu-
mentis inſipientibus: per hanc purifi-
catur, & eſt ſimilis Deo & Angelis eius:
per illam minuitur: & infirmatur: per
hanc augetur, & impinguatur, & cor-
roboratur: de illa eſt peccati lex, de hac
eſt lex Dei: per illam colaphizatur iu-
ſtus, per hanc honorificatur: in illa ſer-
uus efficitur, in hac libertate donatur,
Hiero. & filius Dei conſtituitur. Lex itaque
Dei, & interioris hominis, eſt, rationa-
biliter viuere, & non duci irrationabi-
lium animalium paſsionibus. Exterio-
ris verò hominis lex, eſt carnis pruden-
tia, quæ docet edere & potare, & cæ-
teris vti luxurijs, quæ repugnant ratio-
ni, & ſi ſuperauerint, legi peccati ſubij-
ciunt.

66. *VIDEO autem aliam legem in mem-
bris meis, repugnantem legi mentis meæ,
& captiuantem me in lege peccati, quæ eſt
in membris meis.*) Qualitatem legis
inuentæ, munus & officium, in ſe ipſo
moleſtijs carnis & paſsionibus affecto,
manifeſtat. Pro eo autem quod dixerat
(*inuenio*) dicit modo, (*video*,) & quod
indefinitè dixerat, (*legem*,) dicit nunc
appertè, & determinatè, (*in membris
meis*,) (*& repugnantem, &c.*) vt tan-
quàm teſtis ocularus, & expertus do-
ceat nos, quibus circundamur periculis
in hoc ſeculo, vt eius exemplo diſcamus
cauere illa.

Sed pro maiori huius literæ declara-
tione, notandum, quòd lex, iuxta do-
Tho. ctrinam D. Tho. nihil aliud eſt, quàm
regula & præceptio prudentiæ, per quã,
qui curam gerit Reipub. illam guber-
nat, & adminiſtrat: & dicitur à legen-
do, hoc eſt, ab eligendo ſecundum Ci- *Cice.*
ceronem, nam regula, dirigendo docet
eligere: & ideò etiam dicitur, iuſto-
rum, iniuſtorumq; regula. & quod eius
munus ſit præcipere, & prohibere, vt & *l. nam ff.*
ipſius legis forma præſefert, dum ait, *de leg.*
Vnum cole Deum, ne iures vana per *l. legis vir*
illum &c. ex quo manifeſtè habetur, *tus. ff. de*
quod lex ſit res intelectus, non volun- *legib. &*
tatis. Nam regula & menſura noſtra- *ſena. cõſ.*
rum actionum, eſt ratio, cuius etiam *1. 2. q. 17.*
eſt voluntatem cæcam manuducere. *ar. 1. &*
Deinde, præcipere, opus eſt intelectus, *q. 57. ar.*
vt S. Tho. & Ariſt. docent. Nam in *6.*
lib. Ethic. aſignantur tres virtutes in- *6. Eth. c.*
telectus pratici, nempè (*Euboliam*,) *10.*
quæ eſt virtus bene conſultandi, hoc
eſt, inueniendi media ad finem con-
gruentia: nam de fine, nulla eſt conſul-
tatio, eoquòd omnes ſuaptè natura,
fœlicitatem ſuam expetunt. Secunda
eſt (*Syneſis*) quam Latini vocant, ſaga-
citatem, quæ eſt virtus rectè iudican-
di. Multi enim ſunt acutioris ingenij
ad indagandum media, qui tamen illis
inuentis, non valent de optimo iudica-
re. Tertia eſt (*imperium*,) penes quod
differunt ratio pratica & ſpeculatiua.
Nam hæc, cum non referatur ad opus,
duos illos preciſè habet actus, ſcil. diſ-
currere, & iudicare. Illa verò indiget im-
perio, ad quod duo prædicti actus re-
feruntur, & ex quo, iuxta Ariſt. & *Thiloſ.*
omnes philoſophos, prudentia, nomen
virtutis ſortitur. Nam eſt ſummus ac
perfectiſsimus prudentiæ actus, impe-
rare. Conſtat igitur quod lex, ſit res
ab intelectu elicita. & in intelectu po-
ſita, cuius munus ſit imperare, vt di-
ctum eſt.

Prima autem omnium legum, eſt lex
æterna, quæ eſt diuinæ mentis conce-
ptus, & præceptio circa ordinem, &
diſpoſitionem, & regimen vniuerſorum,
& ſecundum Aug. dicitur ſumma ra- *Aug. li.*
tio in Deo exiſtens, cui ſemper eſt ob *de lib. ar.*
temperandum. Dicitur verò æterna,
tùm, quia nec initium habuit, nec ha-
bitura ſit finem: tùm etiam, quia nulla
eſt ratione mutabilis, nec vlli varietati
ſubiecta. Quo fit, vt ipſa ſit fons &
origo omnium legum, iuxta illud, Per

me

me Reges regnant & legum conditores iuſta decernunt. Et illud, Domine Rex omnipotens, in ditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt qui tuæ poſsit reſiſtere voluntati. Nam quemadmodum in naturalibus, primus motor qui immobilis eſt, cauſa eſt omnium motuum ſub ſe longe differentium, (quoniam ſi primus non moueret, reliqui neutiquam mouere valerent) ſic lex æterna, immota perſiſtens, cauſa eſt vt mortalium leges, eorum variabili conditione mutata, permutentur. Ipſa enim vniformis ac maximè vna, iuſsit, vt natura integra, omnia eſſent communia: corrupta verò, in tot diuerſos Dominos diſtribuerentur, Vnde patet, quod lex hæc, à nulla ſit alia deriuata, nec verò à ſe ipſa, talis enim aſſertio ſecum ipſa pugnaret, ſed omnes potius ab ea, dicente Aug. quod nihil eſt iuſtum ac legitimum, quod non ex æterna lege homines detiuauerint. Et ſicuti in artibus illa quæ eſt maxime architectonica, cæteris imperat tanquàm princeps, ſic in legibus lex æterna, vt ſuprema, eſt omnium legum imperatrix. Hæc enim eſt ſecundum Aug. qua iuſtum eſt, vt omnia ſint ordinatiſsima.

Heſt. 13. *1. Phyſ.* *Aug. li. 1. de lib. arb.* *1. Eth.* *Aug. lib. 1. de lib. arb.*

Ab hac, primo lex naturalis proficiſcitur, quæ quidem non eſt aliud quàm lumen vultus Dei, mentibus noſtris impreſſum, per quod, legem eius æternam participantes, actiones noſtras ad debitum finem, quò ſuaptè natura feruntur, dirigeremus. Dicitur autem lex naturalis, lumen vultus Dei, ideſt, ſapientiæ Dei, per quam, ſicuti homo de vultu, cognoſcitur Deus. Talis ergo naturalis impreſsio, dicitur lex naturalis, & dicitur lex mentis, propterea quod in ipſa fiat, vnde Dauid, Signatum, inquit, eſt ſuper nos, ideſt in mente noſtra, quæ eſt pars ſuperior in nobis. Differt à lege æterna, ſicut effectus à ſua cauſa, eſt enim participatio illius, & veſtigium illius, & lux de luce, per quam illa nos ducit & gubernat in cunctis operibus.

Pſal.

Primum & generaliſsimum præceptum legis naturalis eſt, Bonum eſt quærendum, Malum eſt fugiendũ. Quod etiam ſuo modo ad omnes pertinet creaturas, quibus ſua cuiuſque inclinatio ad bonum partis & totius, eſt illis pro lege naturali. Hinc rectè Ariſt. Bonum, inquit, eſt quod omnia appetunt. Naturali enim lege, ſeu inclinatione, omnia appetunt eſſe, grauia deſcendere deorſum, leuia ſurſum aſcendere, plantæ cupiunt vegetari, & augeri, & fructificare, & conſeruari in ſuis ſpeciebus & indiuiduis. At verò in homine quia rationalis, peculiare principium legis naturalis eſt, Honeſtum virtutis bonum eſt amandum, Contrariumque vitiorum malum, eſt deteſtandum, vt ad fœlicitatem perueniatur.

Eth. 1.

Ex hoc principio prodeunt præcepta decalogi primæ tabulæ, nempè, quod Deum Optimum, Maximum, cuius beneficio, & viuimus & mouemur, & ſumus, & ſempiternam vitam expectamus, amemus ſuper omnia. Neque eum iurandi abuſu, vnquam contemnamus, ſed feriatis diebus colamus, & veneremur.

Ex alio autem principio, nempe, id facias alijs quod tibi fieri vis: Idque ne facias, quod tibi non cupis: deducuntur mandata omnia ſecundæ tabulæ, quæ quidem in officijs iuſtitiæ poſita ſunt, de quibus proinde cum nemine poteſt diſpenſari, & nemo in eis poteſt prætexere ignorantiam. Quanuis non defuerint qui ſcelera ſua fuco aliquo linirent, vt fuerunt illi qui religionis gratia, contra interdictum homicidij, humana cæde cogitabant deos ſuos placare, ac venerari: de quibus eſt illud, Immolauerunt filios ſuos, & filias ſuas dæmonijs. Et Cicero in oratione quadam facit etiam huius rei mentionem dicens, ſua ætate Gallicas gentes eodem ritu pollutas. Eademque feritatis immanitas, fertur & partibus noui orbis fuiſſe, & ad huc eſſe ſolemnis. Hoſtis enim generis humani, antiquus Serpens, ea cæcitate dementauit homines, vt humano ſanguine ſuam expleret inuidiam. Et Iulius Cæſar narrat, olim apud Germanos, latrocinia, nullam habuiſſe infamiam, dũ eſſent extra finem

Pſal. *Cic.* *lib. 6. de bello gal.*

cuiusque ciuitatis: cui facinori obtendebant iuuentutis exercitium, ad deſidiam, & torporem excutiendum, belliſq; gerendis ſe adaptandum.

In his denique principijs, omnis virtus humana habet radices ſuas. Et quemadmodum natura ignis ſecũdum ſuam formam, eſt ſurſum tendere, & natura grauis, ſecundum ſuam, eſt centrum petere, ita natura hominis ſecundum animam rationalem, quæ eſt forma illius, eſt ſecundum rationem viuere, penes quod omnis conſiſtit virtus. Vnde M. Tul. Virtus, inquit, eſt animæ habitus, naturæ modo, conſentaneus rationi, & idem, magis ſecundum naturam eſt virtus, purà, cõmitas, iuſtitia, liberalitas, quàm voluptas, quàm vita, quàm diuitiæ. Denique, iuxta eundem, nullo ſignificantius pacto, deffiniri poteſt virtus, quàm quod ſit perfecta, & ad ſũmum perducta natura. *lib. 2. de inu. off. 3. 1. de leg.*

Synderesis. AD his autem principijs aſſentiendum, inclinamur per ſynderesim: ſicuti per habitum intellectus, inclinamur ad aſſentiendum principijs ſpeculatiuis: ſynderesis verò, non eſt lex, ſed virtus aſſentiendi legi naturali, ſeu dictamini practico de rebus agendis: vnde, & ipſa dicitur, inſtigare ad bonum, & murmurare de malo.

EX lege æterna, prodijt quoque lex humana, mediante naturali. Conceſsit enim homini facultatem, vt pro temporum, locorum, ac negotiorum qualitate, per eandem legem naturalem, leges alias, quas expedire iudicaret, ratiocinando ferret: & ſic, iuxta diuerſas rerũ circunſtantias, humana ratio, diuerſas excogitauit leges. Nam poſt naturam corruptam, ius gentium, fecit rerum diuiſiones, & vnaquæque Reſpub. pro ſuæ gentis ac loci qualitate, ſuas inſtituit leges, nempe, venditionis, præſcriptionis, & aliorum contractuũ, ad quæ natura integra primum nõ inclinabat. Huiuſmodi leges, à ſuo autore, humanæ vocantur.

LEX autem humana, differt à naturali, primum, quia hæc vbique eandem vim habet, illa verò, non niſi in illa Repub. pro qua fuerit conſtituta. Deinde, lex naturalis, eſt impreſsio facta, in ipſa creatione naturæ, lex verò humana eſt regula ab homine poſita, per facultatem ſibi diuinitus collatam. Conuenit tamen cum æterna, quia ſicut naturalis, eſt etiam participatio illius, nimirùm, lux de luce: propterea Paulus, Omnis, inquit, anima, poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. *Ro. 13.*

DE æterna etiam proficiſcitur alia quæ diuina dicitur, diuiditurque in nouam & veterem, & eſt lumen quoddam ſupernaturale homini infuſum, quam idcirco Hiere. vocat legem ſcriptam in cordibus. Differt ab æterna, quæ etiam diuina eſt, quod illa ab æterno in Deo exiſtit, hæc verò in nobis, non niſi ex tempore. A naturali verò & humana, differt penes hoc, quod illæ referuntur ad finem tantùm naturalem, qui eſt quietus ac pacificus Reipub. ſtatus: hæc verò, ad ſupernaturalem fœlicitatem, ad quam diuina lex nos inſtruit, & manuducit. *Hier. 31*

EST etiam lex fomitis, quæ eſt in mẽbris noſtris, & nihil aliud videtur eſſe quàm ſenſualitatis pondus in bonum vtile & delectabile, & eſt lex iumentorum propria inſipientium, quibus homo cum in honore eſſet, per iuſtitiam originalem cohibentem & refrenantem appetitum ſenſitiuum, comparatus eſt, & ſimilis factus eſt illis. Ac proinde & lex quoque peccati dicitur, ex eo quòd per illud, & amiſſum eſt tantum donũ, & homo à Deo derelictus, & ad peccatum procliuis. Lex autem hæc in quantum à ratione deuiatur, & ei non ſubijcitur, non deriuatur quidem à lege æterna: in quantũ vero in bonum quoddam ſenſuale inclinat, dicendum eſt, quòd ab illa procedit, ea maximè ratione, qua eſt pœna peccati: nam intẽtio Dei fuit, per illam deſertionem liberi noſtri arbitrij, punire peccatum Adæ.

Similiter dicendum, de legibus alijs iniquis, quæ quidẽ quatenus iniquæ ſunt, à lege æterna non procedunt, nec leges ſunt appellandæ. At verò, quatenus nõ- *Cic. de leg.*

nihil

nihil ſimilitudinis legis habent, in eo ſcil. quod poteſtatem impetandi deſignant, quodammodo influxus ſunt diuinæ poteſtatis, nam, vt ait Paulus, Omnis poteſtas, à Domino Deo eſt. *Ro. 13.*

Tantundem dicendum de lege humana permiſsiua malorum, permiſsiua, inquam, non aprobando quidem mala, ſed permittendo impunè, vtpotè quæ non poteſt omnia coercere flagitia, & propter maius malum euitandum, prudens quidem lex, & à lege æterna procedere, dicenda eſt.

AD locum igitur vnde digreſsi ſumus, regredientes: verba Apoſtoli, diuino fauore explanemus. *(Video*, inquit, *aliam legem in membris meis,)* ideſt, inclinationem naturalē, potentijs ſenſitiuis inditam, per membraq; diffuſam, quæ in ſua obiecta, ſecundum vim ſuam totā, proſiliunt. Nam oculi, pedes, manus, guſtus, tactus, &c. naturali lege quærūt bonum vtile & delectabile, ſicut ignis ſurſum aſcendere, & graue ad centrum peruenire. Huius legis contraria, eſt lex mentis, qua quod bonum & honeſtum eſt quæritur, proptercà dicit, *(repugnantem legi mentis meæ,)* quæ eſt impreſsio quædam in mente illius ſummæ rationis Dei, quæ lex æterna dicitur. Hac procliues ſumus ad bonum ſpiritus, nempè, ad virtutes: illa verò ad bonum carnis, hoc eſt, ad voluptates & delicias ſenſuales: & non ſolum hoc, verumetiam mentem captiuare, & huiuſmodi voluptatibus quaſi ferreis catenis, in obſequium peccati ligare conatur. Vnde dicit, *(& captiuantem me in lege peccati,)* quæ non videtur eſſe aliud, quàm ſenſualitatis impetus, volūtatem à ratione deuians, quoniam in tali linea, ſeu norma, ſeu potius obliquitate, peccati ratio conſiſtit. Et hæc quidem lex, eſt in mēbris noſtris, & eſt eadem prorſus cum lege membrorum. Quatenus enim inclinat ad bonum carnis, vtile, & delectabile, dicitur lex mēbrorum: ſed quatenus auertit voluntatem à ratione, dicitur lex peccati. Vel dicitur lex peccati, vt iam dictum eſt, ex eo quod in pœnam peccati Adæ, poſita eſt illi & ſuis poſteris, dum per illius præuaricationem, diſſoluta eſt cōcupiſcentia freno originalis iuſtitiæ, quo in officijs iuſtitiæ tenebatur: non quod Deus qui hoc fecit, intentus fuerit ad malum, ſed tamquam iuſtus iudex in pœnam peccati, expoliauit eum & nos, dono illo iuſtitiæ præclariſsimo, vt ſic nudi agnoſcentes inopiam, & miſeriam noſtram, leuaremus oculos *Pſal.* in montes vnde veniret nobis contra carnem auxilium, pro quo eſt aſsiduè clamandum ad dominum, vt ſtatim facturus eſt Paulus. Nimia enim carnis moleſtia, vexabatur, vt caperetur à peccato, propterea dicit, & *(captiuantem me in lege,)* ideſt, ſub lege, *(peccati,)* ſub cuius iugo, non ſolum cenſetur ille, qui peccato ſeruit, ſed etiam ille qui moleſtijs carnis afficitur, quas lex peccati, ideſt, fomes, nobis faceſsit. Sed eſt diſcrimen, quod qui peccato ſeruit, eſt eius captiuus, per conſenſum & operationem, & inimicus Dei nominatur. Qui verò moleſtijs carnis afficitur, eſt eius captiuus quantum ad aliquid, nēpe, quantum ad concupiſcētiæ motum, quem mens noſtra non valet extinguere, & abolere, pro quo ſancti, nomen amicorum Dei, non amittunt, mœrore tamen conficiuntur, & contra hanc carnis tyrannidem gementes clamant in cœlum, vt diuinus Apoſtolus facit in hoc loco: dicens.

67. *Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius.)* Pro ſe & cunctis mortalibus, quaſi neceſsitate preſſus beatus Paulus, altiſsimum edit ſuſpiriū, dicens, *(infœlix ego homo,)* ideſt, ò me hominem infœlicem, tam moleſtæ ſeruituti obſtrictum, *(quis me liberabit,)* non quidem de morte corporali, hanc enim libenter amplecterer, vt eſſem cum Chriſto: nec de corpore, quatenus ſedes eſt, & organum animæ meæ, ſic enim & corpus meū amo, & nollem expoliari, ſed ſuperveſtiri. Nemo enim carnem ſuam odio habuit. *2. C. 5.* Sed *(de corpore mortis huius,)* ideſt, de conſuetudine iſta mortifera corporali,

de iſta lege membrorum, & peccati, ab hac carne tot affectibus, tot vitijs, tot pugnis obnoxia, ſemperque ad mortem pertrahente. Quemadmodum enim verba Chriſti, verba vitæ æternæ dicta ſunt à beato Petro, eo quod ad vitam æternam pertrahunt: ſic caro noſtra, corpus mortis dicitur, tùm quia inclinat ad mortem culpæ, tùm etiam, quia exponit periculis æternæ mortis.

Quapropter, agnoſcat peccator ſuam infœlicitatem & miſeriam, illa enim ſola, & verè lamentabilis calamitas dici poteſt, quæ à peccato proficiſcitur. A quodam erudito viro comparatur cum
Thr. 3. nube peccatum, iuxta illud prophetæ, Poſuiſti nubē ne tranſeat oratio. Nam vt nubes, inquit ille, fumus eſt eleuatus, à terra egreſſus, ſic peccatum fumus eſt, à nobis qui terra ſumus conſurgens: & vt nube ſplendor Solis impeditur, ſic peccati caligine & denſitate, diuinæ gratiæ ſplendida lux, qua ſerui Dei colluſtrantur, etiam impeditur. Quo fit, vt anima peccatoris flagitio mortifero cooperti, iaceat in obſcuro quaſi ſepulta, diuino hoc lumine priuata, & à Deo non exaudita. Ingens peccati pondus. Propter peccatum repudiat Deus ſacrificia, quibus anteà placabatur, non exaudit præces, non vult videre manus ad eum leuatas, quin potius oculos auertit: ſic enim ait, cum extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis. Sed ſi Deus nos non videt, ſi nos oculorum ſuorum fauore non fuerit proſecutus, quid faciemus? peribimus certe. Id ita inteligens,
Pſ. 29. clariſsimus ille Vates Dauid, canebat, Auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus. Et idem, pro hoc præ-
Pſ. 26. ces fundens, ait, Ne auertas faciem tuam à me: &, reſpice in me & miſerere mei.
Pſ. 25. Item, beatus Iob, Cur, inquit, faciem tuam abſcondis, & arbitraris me ini-
Iob. 13. micum tuum? Et propheta Hieremi. Intuere, inquit, Domine, & reſpice
Tren. 5. oprobrium noſtrum. Iſti & omnes ſerui Dei, medicinam ſuarum calamitatum in Dei viſu collocabant. Vidit Deus Petrum, qui eum negauerat, & in ſe reuerſus, exiuit foras, & vim lachrimarum profudit. Viſus à Domino Mathæus, reliquit telonium, & caducas opes, eumque ſecutus eſt. Quid opus eſt plura? vt Magnes ad ſe ferrum trahit admirabili vi, ſic Dei viſus, eos quos vult, ad ſe mirabiliter rapit. Derelinquat igitur impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & praua opera ſua, conuertatur ad Deum, vt Deus ad eum ſe conuertat, acceptet ſacrificia, præces exaudiat, reſpiciat, & miſereatur. Nemo peccatis ſuis quantumuis multis & innormibus deſperationem adhibeat cum Cain, ſed potiùs animo pœnitenti & contrito, clamet, Deumque ardenter obſecret cum beato Ionna propheta: qui cum Deum Ion. 2. offendiſſet, & proiectus eſſet in mare, & à piſce magno deuoratus, tamen animum erexit, & ad Deum leuauit, præcationes fudit, & liberatus eſt. Intueamur viri admirabilem fiduciam. Tumebat mare, fluctus ab imis ſedibus, ad cœlum replebantur: ſæuientibus ventis procella terribilis, interitum miſerabilem, ac triſte naufragium minabatur. Proijcitur Ionas in mare, ruit preceps in pelagi profunditatem, deglutiuit eum piſcis, deſcendit ad ima maris, nulla ſpes ſalutis apparebat, & tamen ipſe, vbi omnia deſperata videbantur, ſperauit, Deum vehementer obſecrauit, eumque toto animo quæſiuit, & fuit à periculo ingenti mirabiliter ereptus. Imo id quod eius necis cauſa videbatur, eum eripuit, piſcis qui eum deglutiuit, eum ſeruauit. Talis eſt enim afflictio humana, quæ cum videatur tranquillitatem eripere, eſt ipſius animi tranquillitatis & quietis conſeruatrix. Calamitas qua flagitioſi homines viro iuſto perniciem moliuntur, eum mirabiliter à vera pernicie cuſtodit. Conſidera nunc precor, quid peccatum ſecum afferat ponderis & detrimenti: nec mare immenſum, nec piſcis ingens, nec profundiſsimæ abyſsi cauernæ, impediuerunt Ionnæ præcationes, & peccatum eas impedit, vt dictum eſt. Meritò ergo Paulus tanti mali periculo, quaſi perterritus ingemiſcens ait, (*quis me liberabit de corpore mortis huius?*)

quaſi

quaſi dicat, heu me miſerum, quis me liberabit à tanto aduerſario, vt non vltrà in me dominetur, quis mihi talem hoſtem ſubiugabit, aut infirmabit? Quis extinguet ignem in corpore meo latentem, & ardentem, & comburentem omnia oſſa mea? Nunquid lex vetus Moyſi, in qua gloriatur Iudæus? Nunquid circuncíſio Abrahæ? Nunquid legales obſeruantiæ omnes? Nihil horum ſanè. Sed.

68. *Gratia Dei, per IESVM CHRISTVM.*) hoc eſt Pauli prothema, & ſcopus vnicus epiſtolæ huius: quo pertinet illud, Iuſtificati gratis per gra-
Ro.3. tiam ipſius: & illud, Gratia eſtis ſaluati
per fidem. atque etiam illud, Si filius
Eph.2. vos liberauerit, verè liberi eritis. Non
enim poteſt homo liberari vel à ſe-
Ioa.8. ipſo, niſi Chriſtus eum auxiliatus fuerit. Sola igitur gratia Dei, quæ ſpiritum contra carnis corruptionem corroborat, concupiſcentiæ virtutem infregit, impetumque minuit, & ſpiritui carnem obedire facit. Gratia, inquam, Dei, (*per IESVM CHRISTVM Dominum noſtrum,*) per quem ſunt nobis omnia: quia gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. huc pertinet etiam illud, Sufficit tibi gratia mea, &c.

69. *Igitur ipſe mente ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati.*) Recapitulatio &
Pſal. concluſio dictorum. Lex Dei eſt, Declina à malo, & fac bonum. Lex peccati, contraria huius, Declina à bono, & fac malum: obſequimur huic, carne ſuperante. Illi verò ſeruimus, victrice mente. Vel ſic, ego idemque ſecundum ſpiritus bonam electionem, quæ legis Dei ſunt, Deoque grata, quæro perficere: ſecundum carnem autem, quæ concupiſcentia ſuadet, & ad quæ fomes peccati inſtigat, concupiſco: & hoc eſt prælium inter ſpiritum & carnem. Vnde etiam apertè conſtat, legem mentis eſſe bonam, legem verò carnis non bonam: nam vt illa legi Dei, ita hæc peccati conformis eſt. At verò, quamuis lex mentis & Dei, eſt ſancta, æqua, & bona, parum tamen poſſumus ſine gratia Dei. Eſt igitur gratia Dei per Ieſum Chriſtum nobis collata, ſuper omnem legem, & ſuper omnem virtutem naturalem.

ARGVMENTVM OCTAVI CAPITIS.

OStendit diuinus Apoſtolus, ſolutos nos per Chriſtum à lege mortis, ideſt, peccati occidẽtis, quæ propriè eſt lex membrorum, & carnis, ideſt, ſenſualis noſter appetitus corruptus, fomeſq; concupiſcentiæ in carne noſtra inhabitans, per quam ſemper nitimur in vetitum, cupimuſque negata. Qui ideò dicitur & peccatum, quia omnis peccati eſt initium, & veluti ſeminarium, ſemper ad malum ſolicitans: & lex carnis, ex eo quod carnem ſolicitat, incitat, & modo quodam impellit ad ea quę vult ipſa (etiam contranitente ſpiritu) peragenda: & ſpiritus legi nolens ſubijci, ſemper rebellionem parat, etiam in ſpiritualibus viris, & quodammodo iam perfectis, ita vt ſpiritu bona volente perficere, carnis iſta lex obſtrepet, & impediat frequenter, ſemper autem cum difficultate aliqua, faciat operari bonum. Deinde prudentiam carnis, à prudentia ſpiritus diſtinguens Apoſtolus, ad ferendas cum Chriſto afflictiones, ob ſpem reſurrectionis, quam omnium creaturarũ expectatione aſſeuerat, hortatur. Demùm gratiam Dei erga prædeſtinatos enumerat, quibus nihil ſit adiutore Chriſto verendum.

CAPVT OCTAVVM.

NIHIL

NIHIL ergo nunc dãnationis eſt ijs qui ſunt in CHRISTO IESV, qui non ſecundum carnẽ ambulant. Lex enim ſpiritus vitæ in CHRISTO IESV, liberauit me à lege peccati, & mortis.)

EXPLANATIO.

1. *NIHIL ergo nunc damnationis eſt ijs, qui ſunt in Chriſto Ieſu.)* Ex illa iucunda & gratiſsima reſponſione aduerſus tyrannidem carnis datam, nempè, gratia Dei liberabit me de corpore mortis huius, colligit nũc hanc etiã gratiſsimam pariterq; veriſsimam ſententiam dicens, (*nihil ergo nunc damnationis eſt ijs, qui ſunt in Chriſto Ieſu.*) quid enim damni euenire poteſt ei, qui adhæret virtuti Dei, quæ Chriſtus eſt? nocere huiuſmodi tenebræ non poterunt, quia lux eſt: nec mors, quia vita eſt: nec malum aliquod, quia ſũmum bonum eſt Chriſtus cui adhæret. Adhærere ergo Chriſto bonum eſt, quia (*nihil damnationis eſt ijs, qui ſunt in Chriſto Ieſu.*) In ipſo autem ſumus per gratiam ipſius, quam habemus per fidẽ & ſacramentum, & quanuis nonnullæ etiam reliquiæ priſtinæ ſeruitutis, reſident adhuc in nobis Chriſtianis, tamẽ eas pio ſtudio ſuperabimus, neque pertrahemur nolentes, ad graue crimen vllum, ob quod damnari mereamur, qui ſemel Ieſu Chriſto per fidem, ac baptiſmum ſumus inſiti. Non enim alijs niſi Chriſtianis contingit tantum beneficiũ, qui in ipſo ſumus ſicut palmites in vite, in qua qui non manſerit, non poterit ferre fructum charitatis.

2. *NVNC.)* Hac particula inſinuat eminentem differentiam inter vtrumq; tempus, ſcil. antiquæ & nouæ legis. Tẽpore enim veteris legis, vbi tantùm erat fides Chriſti venturi, eademq; tũc exilis, paſsiones peccatorum, occaſione legis iubentis, & non adiuuantis, exardebant, peccatumq; per mandatũ, reos plurimos faciebat, atque adeò indies acriori damnationi obnoxios reddebat. (*Nunc*) verò tempore Euangelij, per Spiritum ſanctum in nos abundè effuſum, & ſi prælium inter carnem & mentem noſtram adhuc perduret, nihil tamen damnationis (quantum ad ipſam Euangelij gratiam attinet) euenire poteſt Chriſtianis, ipſis inuitis. Eſt enim illis Chriſtus Dominus à dextris ne cõmoueantur. *Pſal.* Robuſtiores itaque & potentiores ſunt homines ſub Euangelio, quàm erant olim ſub antiqua lege, vtpotè qui potentiorem, & copioſiorem gratiam per plura ſacramenta accipiũt hi, quàm illi acceperunt, atque adeò maiori condemnatione digni erimus Chriſtiani, ſi poſt tot auxilia diuinitus nobis conceſſa, ſuperari à carne nos permiſerimus. Licèt non negamus quàmplures antiquorum patrũ, eximia tunc in mundo floruiſſe ſanctitate, hoc tamen non proueniebat illis virtute ſacramentorum, quia non conferebant gratiam, ſed ex ſingulari priuilegio Dei, per eximiam eorum fidem. Nec erant propterea omnino liberi à damnatione, cum eſſet illis adhuc clauſa, regni cœlorum ianua, interimq; relegarentur in limbum, vbi cum ſilentio præſtolarentur ſalutare Dei, ideſt, Chriſtum, qui perſoluens debiti pretium, omnibus regni aditum panderet. Quamobrem liberatio à damnatione, his Chriſti temporibus omnino conſummata eſt.

3. *QVI non ſecundum carnẽ ambulant.)* Exhortatur hoc verbo ſegnes ac deſides Chriſtianos, ne tantùm nomine Chriſtiano glorientur: parũ enim prodeſt Chriſtianum nomine tenus eſſe, niſi res nomini reſpondeat. Non ſatis eſt incorporatum eſſe Chriſto per fidẽ, niſi fides ſit formata charitate, quæ dicitur fides viua, quoniam ille qui fide mortua adhæret Chriſto, membrum eſt mortuum, quod tanquam putridum excidetur, & in inferno cum epulone

ſepe-

ſepelietur. Opus igitur eſt, qui ſemel Chriſto per fidem & ſacramentum copulati ſunt, *(non ſecundum carnem ambulare,)* hoc eſt, non exhibere membra ſua, arma iniquitatis ad iniquitatem, nec ſecundum carnis concupiſcentiam carnaliter viuere, ſed potiùs carnē ſuā crucifigere cum vitijs & concupiſcētijs, gratiæ Dei acquieſcere, conuerſariq; inter homines, ſecundum ſpiritum Dei viuentis.

Tho. ❡ Occaſionem hinc errandi ſumpſerūt quidam, vt ait S. Tho. exiſtimātes omnem concupiſcentiæ motum, etiam rationem præuenientem, in infidelibus eſſe mortale crimen, ex eo quod nō ſunt in Chriſto Ieſu, & ſecundum carnem ambulant, quod eſt ſeruire legi peccati, atque adeò obnoxij ſunt damnationi. Hi tamen omnino falluntur, quia naturales motus vt nullam habent rationem voluntarij, ita neque vllam habere poſſunt rationem peccati, adeò annexum innatumq; e peccato eſt, vt ſit voluntarium. Deinde, ſi in infidelibus huiuſmodi motus cōcupiſcentiæ eſſent peccata, multo magis in Chriſtianis qui præſidijs cœleſtibus multis ſunt præditi, ad deprimendum & præſcindendū eos, ſed hoc eſt falſum, cum Apoſtolus dicat, *(nihil damnationis eſſe ijs, qui ſunt in Chriſto Ieſu.)* Tertiò, ambulare ſecundum carnem, non eſt ſeruire legi peccati per carneos naturæ inſultus citra voluntarium aſſenſum, quia hoc non eſt damnabile: ſed voluntariè obſequi carni, id eſt, concupiſcentijs eius, & ſic ea duce progredi in hoc mundo, eſt ſecūdum carnem ambulare, & hoc eſt damnabile: quia prudentia carnis, inimica eſt Deo. Quartò, opera infidelium quæ genere ſuo ſunt bona, & carent iniquo fine prauaq; circunſtantia, eo tantum quòd fiant extra fidem, non ſunt peccata, veluti parentes colere, amicis ſeruare fidem &c. Animus igitur Pauli in hoc loco, in id ſolum videtur tendere, vt doceat nos, eos qui per fidem viuam non ſunt in Chriſto Ieſu, liberos non eſſe à damnatione. Tum, quia facile vincuntur à carnis concupiſcentijs, tum etiam, quia pro eis damnabuntur æternis cruciatibus.

❡ Aduerſus hanc doctrinam, inſurgūt phrenetici Lutherani, contendentes, vt tradit quidam egregius doctor, motus concupiſcentię adeò indelebilia eſſe peccata in nobis, vt neque per baptiſmū, neque per aliud quoduis ſacramentū remittantur, ſed hoc potiùs effici per fidem, vt non imputentur. Quam quidem amentiam confundit Apoſtolus, dum ait, *(nihil damnationis eſt his, qui ſunt in Chriſto Ieſu,)* ſed econtrà inſtant hæretici dicentes, Apoſtolum non dixiſſe, nihil peccati eſt, ſed *(nihil damnationis.)* Quaſi actus concupiſcentiæ, peccatum ſit damnatione dignum, ſed in viro iuſto non damnatur, quia per fidem non imputatur. Cauillus eſt hæreticorum proprius, ſtultitia & malitia plenus, æquitati Dei valde contrarius. Nam qui fieri poteſt, manere in homine peccatum damnatione dignum, & quod ab ęquiſsimo Deo non damnetur, cum odio ſit Deo ſimul impius & impietas? Facit omnino contra veritatem Chriſtianam, hæc ſtulta & impia ſentētia. Vera enim, per ſacrum baptiſma, fit remiſsio peccatorum, vera cōtingit ſanctitas, vera libertas, vera ſpiritus renouatio. Ait enim Chriſtus Dei filius, pater, ſanctifica eos in veritate, ſermo tuus veritas eſt. Et iterum, Si Filius vos liberauerit, verè liberi eritis. Et ad Eph. Paulus, Renouamini, inquit, in iuſtitia, & ſanctitate veritatis. Sed ſi peccatum in nobis vere relinqueretur, profectò, non vera ſed ficta eſſet ſanctificatio, liberatio, & ſpiritus renouatio. Abeant ergo perfidi & ſtulti hæretici, qui non pro veritate, ſed pro ſuo palato metiūtur ſibi omnia.

Soto. Ioa. 17. Ioa. 8. Eph.

4. *LEX enī ſpiritus vitæ in CHRISTO IESU, liberauit me à lege peccati, & mortis.)* Oſtendit quonammodo Chriſtiani ſint liberi ab omni dānatione & incommodo, quod ex peccato contingit, dicens, *(lex enim ſpiritus vitæ, &c.)* hæc eſt lex Euangelica, per quam eſt vera libertas, pax & ſecuritas, ſalus & vita, diui-

diuitiæ & ſcientia, honor & ſapientia, & omnium virtutum conſummatio. Dicitur per excellentiam (*lex ſpiritus*,) quia non ſolùm, veluti lex Moyſi, à Spiritu ſancto data eſt, vnde & illa quoque ſpiritualis dicitur, verumetiam quia omnibus eam ſuſcipientibus, Spiritum ſanctum abundè impertitur. Deinde, quia non in tabulis lapideis ſicut lex Moyſi, nec atramento aliquo, ſed in tabulis
2.C.3. cordis carnalibus, ſpiritu Dei viui ſcri-
Hier.31 pta eſt, iuxta illud, Dabo legem meã in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam. Præterea, non per hominem purum ſicut lex vetus per Moyſem, magnæ ſanctitatis virum & Prophetam data eſt, ſed per Ieſum Chriſtum Deum verum & hominem, de Spiritu ſancto conceptum, & ex Virgine pura atque ſanctiſsima natum. Hic docuit & docet legem ſuam quam tulit. Vnus eſt enim magiſter noſter Chriſtus, à cuius ore pendebant auditores, & mirabantur eo quod doceret, non ſicut ſcribæ, & phariſæi, ſed ſicut poteſtatem habẽs, ſpiritumq; ſuum fundebat in cordibus credentium, vt faterentur credẽtes, verba eius eſſe vitæ æternæ. Hanc eandẽ Spiritus ſancti poteſtatem conceſsit Apoſtolis ſuis, quibus ideò ſedere in ciuitate iuſsit, donec induerentur virtute ex alto, ne humana facultate crederen-
Ioa.6.et tur prædicare. Et alibi, Sicut miſit me
20. viuens Pater, & ego mitto vos, ideſt, cũ eadem authoritate & potentia, Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remiſſa erunt. Item, quia fauore Spiritus ſancti, qui in lege noua conceditur, implet illa intentionem legislatoris, melius quàm lex vetus, & quàm omnis lex humana: intentio au-
8.Ethi. tem legislatoris, iuxta Philoſophũ eſt, ciues facere bonos, & hoc lex vetus & humana faciunt tantùm notificando quid fieri debeat, nam per legem cognitio peccati: ſed Spiritus ſanctus Chriſtianam mentem inhabitans, non ſolùm docet quid opporteat fieri, intellectum illuminando de agendis, ſed etiam affectum inclinat ad rectè agendum: de
Ioa.14. vtroque enim eſt illud, Paraclitus autẽ Spiritus ſanctus quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis. Ad hæc, fides quæ per cha
ritatem operatur, donumq; Spiritus ſan *Gal.5.*
cti dicitur, eſt nobis Chriſtianis pro vera lege, dum interius docet de agendis,
iuxta illud, Vnctio docebit vos de om- *1.Io.2.*
nibus: & inclinat affectum ad agendũ,
iuxta illud Pauli, Charitas Chriſti vrget *2.C.5.*
nos. Denique in lege noua multa ſunt ſacramenta per Spiritum ſanctum ordinata, per quæ ſicut per quoſdam aquæductus, gratia Dei, merito paſsionis Chriſti, deriuatur ad nos. Quod ſanè non fuit olim, tempore legis veteris, quæ in ceremonijs non viuificantibus, ferè tota erat poſita. Nec refert quod circuncifio Abrahæ, ante legem, tradita, culpam originalẽ deleret eam ſuſcipienti: quia hoc non erat virtute ipſius circunciſionis, ſed fidei ad circũciſionem aplicatæ. Nullum enim ſacra-
mentum veteris legis, iuxta D.Tho. ex *Tho.*
opere operato gratiam conferebat, ſicut noſtra conferunt ſacramenta: Nec fuit aliquod ſacramentum, per quod gratia habita augeretur, aut amiſſa recuperaretur, aut contra carnẽ infeſtantem ſpiritum, preberetur. Non negamus tamen quod eadem fidei aplicatio, etiam nunc eſt neceſſaria ad ſacramenta nouæ legis, ſicut fuit olim ad vetera, vt illius merito conferatur nobis gratia, ſicut conferebatur antiquis: nam
ſine fide, ait Paulus, impoſsibile eſt pla *Heb.11.*
cere Deo. Verum eſt hoc. At verò, præter gratiam, quæ fidei merito confertur, eſt & gratia quæ virtute ſacramenti impenditur, quæ proinde ſacramentalis meritò dici poteſt. Sacramenta autem vetera, erãt proteſtationes fidei Chriſti venturi, ideò non ex ſe, ſed ex fide quã proteſtabantur, gratiam conferebant. Sed ſacramenta nouæ legis, & ſunt proteſtationes fidei Chriſti iam paſsi, & ſunt inſtrumenta paſsionis eius, & veluti canales per quos ſanguis Chriſti permeans, ſpiritualem nobis gratiam ſubminiſtrat. Suſcipienti enim Euchariſtiã ſpiritualiter ſimul & ſacramentaliter, plus gratiæ contingit, quàm ei qui ſpiritualiter tantùm cõmunicat. Et cõtrito

&

& confeſſo, pluſquàm contrito ſolum, propter gratiam quæ ex vi ſacramenti conferrur.

His igitur de cauſis, lex Euangelica, nō ſolùm ſpiritualis, ſed lex ſpiritus per excellentiam quoque dicitur. Et addit (*vitæ,*) quia ſicut ſpiritus naturalis facit vitam naturæ, ita ſpiritus diuinus facit vitam gratiæ, hoc eſt, vitam cœleſtem & diuinā, qualis fuit vita ipſius-
Ioa.6. met Pauli. Nam cum ſpiritus ſit qui viuificat, ipſe viuificauit Paulum, qui dicebat, Viuo ego, iam non ego. Nam ex Saulo turbulento, fecit Paulum gratū & manſuetum, humilem & quietum, ſapientem valde atque diuinum, vas electū dulciſsimi ſui nominis, quod vtiq; per vniuerſum portauit orbem, oſtendens illud gentibus & Regibus, & filijs Iſrael. Raptusq; cum eſſet, in principio ſuæ conuerſionis, vſque ad tertium cœlum & paradiſum, audiſſetq; ibi arcana verba quæ non licet homini loqui, iam deinceps cœpit mundum contemnere, quem propter amorem Chriſti, reputabat vt crucifixum, & bona illius tamquam ſtercora, & in hac peregrinatione ſolo corpore conſtitutus, cogitatione & auiditate in illa æterna patria conuerſatus eſt, vt ipſe fatebatur dicens, conuerſatio noſtra in cœlis eſt.

5. *IN CHRISTO IESV.*) Hoc addit, quia Spiritus ſanctus non datur, niſi his qui ſunt in Chriſto Ieſu. Nam quemadmodū ſpiritus naturalis, vt ait
Tho. S. Tho. non peruenit ad membrum, quod non habet cōnexionē ad caput, ita Spiritus ſanctus nō peruenit ad hominem qui non eſt capiti Chriſto coniūctus: procedit enim Spiritus ſanctus
Ioa. à Chriſto, ſicut à Patre: eſt etiā Chri-
Pſal. ſtus vita, & fons vitæ. Ergo qui manet in Chriſto, viuit in ipſo, & per ipſum, & habet ſpiritum Chriſti in ſeipſo. Cognoſcebat hoc beatus Paulus, cum ad
Gal. verba proximè dicta addidit, Viuit verò in me Chriſtus. Et idem, an experimentum quæritis, eius qui in me loquitur Chriſtus. Et beatus Euangeliſta Ioānes, In hoc ſcimus, inquit, quod ipſe manet in nobis, quia de ſpiritu ſuo dedit nobis. Vides pie Lector quomodo tantorum Apoſtolorum teſtimonio, vita Chriſtiana & ſpiritualis, ſit ſignum certū habitationis & manſionis Chriſti in nobis, quinimo & ab ipſo Domino, idem habemus teſtimonium, dum amicis ſuis promittit amorem Patris, viſitationem vtriusq; , atque eandem manſionem, dicens, Si quis diligit me, Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum facie- *Ioa.14*
mus.

6. *Liberauit me à lege peccati, & mortis.*) Agnoſce ô Chriſtiane, à quo iugo, & onere, & à quo periculo, lex Chriſti ſanctiſsima, & potentiſsima te liberauerit, nimirùm à lege peccati & mortis. Ante profeſsionem Euangelij, id eſt, ante baptiſmum, per quem hanc legem ſpiritus profitemur, eramus natura filij iræ, obnoxij ſeruituti peccati & mortis, horumq; legibus in omnimodam perditionem ducebamur tamquam excæcati. Accedente autē lege ſpiritus quæ ignea eſt, peccatum & mors perierunt à facie
eius, & ſicut cæra fluit à facie ignis, ſic *Pſal.*
deceſſerunt à nobis amentiæ noſtræ Chriſtianis factis. Homo verò infidelis, ſuum carnis appetitum habet pro lege, huic ſubijcitur & obtemperat præcipienti adulteria, furta, homicidia, mēdacia, falſa teſtimonia, periuria, & alia huiuſmodi flagitia. Comes legis peccati, eſt lex mortis. Nam qui talia agunt digni ſunt morte, non ſolùm temporali,
ſed etiam æterna, quæ eſt mors ſecun- *Apoc.*
da, nec ſolùm qui ea faciunt, ſed & qui *Rom.1.*
conſentiunt facientibus. Has tamen leges deſtruxit lex ſpiritus vitæ, hauriens aquàs de fontibus Saluatoris, hoc eſt, remedia ſalutifera multiformis gratiæ Dei ex ſeptem Eccleſiæ ſacramentis, quæ fontes dicuntur Saluatoris, dū per illa, aduerſus carnis & peccati tyrannidem, & contra legem mortis, remedia ſalutis accipimus. In baptiſmo enim liberati ſumus ab his legibus acerbis, vt iam non peccemus, ſi volumus, neque moriamur in æternū, morte ſcil. ſecunda. Nam priori morti temporali, omnes ſumus obnoxij, cum ſpe

tamen certa reſurgendi ad immortalitatem. Per quam legem? Per legem ſpiritus quæ hoc promittit omnibus in
Apoc. Chriſto morientibus: *(Lex igitur ſpiritus vitæ, liberauit me à lege peccati, & mortis.)* me qui per ſacrum baptiſma, membrum Chriſti ſum factus, me qui Chriſtianè viuo, & innocentiam vitæ cõſeruo. Nam ad vomitum ſicut canis reuertor, hoc eſt, ad vitam priſtinam gẽtilitatis, ſi me iterum ſub legibus peccati & mortis conſtituo. Sed nec ad hoc tamen remedium deeſſe poteſt in in ſanctiſsima lege ſpiritus. Quoniam eſt pœnitentia, medicina relapſis aptiſſima, eſt Chriſtus benignus Dominus, ad oſtium mentis noſtræ pulſans, cui, ſi quis apperuerit ianuam cordis ſui, intrabit ad eum, & cenabit cum illo, cenam nimirum admirabilis iocũditatis.

Attendant cuncti fideles ad legẽ quam ſemel profeſſi ſunt, & ſecundum eam agant, metientes per eam officia, & cũcta opera ſua. Non eſt lex corporis, nõ carnis, non mundi, ſed ſpiritus eſt lex. Vita igitur Chriſtiani, non mundana, nec carnalis, nec corporalis debet eſſe, ſed tota ſpiritualis. Nam queadmodũ qui amoris legi ſubijcitur, ſemper amare debet: ſic, qui legem ſpiritus profitetur, debet ſemper ſpiritualiter viuere, ad ſpiritum, & ad bona ſpiritualia & cœleſtia, cogitationes, verba, & opera cũcta referendo. Non enim contemplari debent Chriſtiani quæ videntur, ſed quæ non videntur, quæ enim videntur, temporalia ſunt: quæ non videntur æterna, inquit Paulus. Abeant ergo mũdus & eius comites, animæ noſtræ hoſtes acerrimi, abeant cum ſuis falſis promiſsis, & fœdis voluptatibus. Chriſtianus enim homo, regnum Dei habet intra ſeipſum, cœleſtium vtique gaudiorum vera iocunditate & lætitia plenũ.
Apoc. Habet manna abſconditum, quod nemo nouit, niſi qui accipit.

7. *NAM quod impoſsibile erat legi, in quo infirmatur per carnem, Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iuſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum ſpiritum.)* Aſsignat cauſas vnde lex ſpiritus, ſiue Euangelica obtinuit facultatem liberandi à lege peccati & mortis: hæ nimirum ſunt, Chriſti incarnatio & paſsio, cuius inſtrumenta vitæ ſunt ſeptem Eccleſiæ ſacramenta, per quæ, veluti per quoſdam aquæductus, vt dictum eſt, profluit ſanguis Chriſti, hoc eſt, virtus eius, & impertitur nobis auxilia cœleſtia aduerſus omne peccatum & legem eiũs. Hoc autem tanto bono carebat lex vetus & eius ſacramenta, quia Chriſtus nondũ erat natus, nec paſſus: effectus enim non poſſunt præcedere ſuam cauſam efficientem. Vnde ait, *(Nam quod impoſsibile erat legi)* ſcriptæ, *(in quo,)* ideſt, ea parte qua *(infirmabatur per carnem,)* ideſt, per carnis incurſiones & pugnas infeſtata, infirma & imbecillis reddebatur, & impediebatur ne præſtare homo poſſet quod volebat, ſed id quod nolebat faceret. Hanc verò legis impoſſibilitatem, *(Deus)* ſua infinita bonitate & prouidentia, impleuit *(mittens filium ſuum)* verum & conſubſtantialẽ, & licet ab omni protſus peccati contagio alienum, tamen *(in ſimilitudinem carnis peccati,)* ideſt, eadem indutum carne, qua cæteri peccatores induti ſũt. Communem enim hominum naturam aſſumpſit, & inter peccatores, ceu peccator verſatus eſt, imo inter facinoroſos, vt facinoroſus crucifixus eſt. Atq; ita per filium ſuum, factum velut hoſtiam pro peccato, *(damnauit peccatum de peccato,)* ideſt, ex virtute paſsionis Chriſti & mortis, quæ peccatum dicitur, tùm propter ſimilitudinem, tùm quia hoſtia pro peccato, in Scriptura peccatum dicitur, *(de peccato,* inquam,*)* ideſt, per paſsionem & mortem Chriſti, *(damnauit,)* ideſt, deſtruxit, expiauitq; quoad culpam, *(peccatum quod erat in carne)* noſtra, quaſi viuens, vel *(damnauit,)* ideſt, debilitauit *(peccatum,)* ideſt, fomitem peccati in carne noſtra, *(vt iuſtificatio legis,)* ideſt, iuſtitia quã lex promittebat, & quam ex lege aliqui ſperabant, & quam lex per ſe conferre

non

non poterat. (*impleretur,*) id eſt, perficeretur (*in nobis,*) exiſtentibus in Chriſto Ieſu, & à gentibus ſub eius ſanctiſſima ſpiritus lege (*qui non ſecundum carnem ambulamus,*) id eſt, qui non ſecundum carnis deſideria, concupiſcentiæ adhærentes, neque in carnalibus veteris legis obſeruantijs viuimus, (*ſed ſecundum ſpiritum,*) ſcil. ambulamus, id eſt, in veritate, & libertate ſpiritus, ſpiritualiter conuerſamur, non ſequentes concupiſcentias carnis, ſed inſtinctum Spiritus ſancti, quod propriè eſt ſecundũ ſpiritum ambulare.

8. *Quod impoßibile erat legi.*) Non inquit legem fuiſſe malam, ſed imbecillam, infirmamq; & inefficacem, & ad ſaluandum inualidam, & hoc, non ratione ipſius legis, quæ de ſe bona & æqua erat & ſancta, ſed ratione carnis ei contradicentis. Vnde dicit.

9. *IN quo infirmabatur per carnem.*) Conuenit cum ea ſententia, quam alibi dixit, Cum eſſemus in carne, paſsiones peccatorum quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris. Itaq; lex per carnem, inualidior: caro per legem, occaſionaliter fortior reddebatur. Hinc nimirùm proueniebat, quod lex non opem ferebat ad operandum quod præcipiebat, non ſolùm quoad iuſtitiam apud Deum, ad quam nec in ſtatu naturæ integræ, viribus naturæ ſufficiebat homo, (cum iuſtificationis natura exuperet omnem ſenſum, & omnem virtutem creaturarum, vnde niſi per gratiam, hoc eſt, per ſingulare Dei auxilium, nemo poteſt iuſtificari apud Deum,) ſed etiam quoad ſubſtantiam operum, ad quæ per donum illud originalis iuſtitiæ, ſufficiebat quidem homo in ſtatu innocentiæ, tamen in ſtatu peccati, minimè poteſt etiam quoad ſubſtantiam operis, totam legem implere, ratione carnis contradicentis, & impedientis.

10. *DEVS filium ſuum mittens, in ſimilitudinem carnis peccati.*) Prouidentiam, auiditatem, & charitatem Dei, circa hominum ſalutem conſidera. Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret: & non quidem vtcunque dedit, ſed (*in ſimilitudinem carnis peccati,*) id eſt, indutum carne eiuſdem ſecundum veritatem naturæ cum carne noſtra peccato ſubdita, quanuis eſſet eius caro benedicta, peccatoq; minimè ſubdita, & ipſe eſſet innocentiæ Pater.

11. *Filium ſuum.*) Non adoptiuum, ſed naturalem, vnigenitum, eiuſdemq; ſecum ſubſtantiæ ſignificat, idcirco non creauit aut condidit, ſed miſit, ideò inquit, (*mittens,*) nam qui ſecũ erat coæternus, eundem ad nos delegauit, non vt eſſet, vbi non fuerat, cum ipſe impleret omnia, & ſit ſuper omnia, & in omnibus & vbique. In mundo enim erat, & mundus per ipſum factus eſt. *Ioa. 1.*
Sed vt manifeſte appareret, vbi inuiſibili erat modo.

12. *Mittens.*) Duo ſignificat, miſsio, primo quidem proceſsionem, & hac ratione ſoli Patri conuenit Filiũ mittere, à quo & genitus eſt: ſicuti Patri & Filio Spiritum ſanctum, qui ab vtroq; ſpiratur, & procedit. Deinde, ſignificat opus extra in termino, quod quidem effectus eſt DEI, ea ratione qua eſt in trinitate vnus. Vbi ergo dicit, quod Deus miſit filium ſuum, nominatione Dei, Patrem inteligit, ad quem filius refertur.

13. *IN ſimilitudinem carnis peccati.*) Hebraiſmus eſt, caro peccati, pro caro peccatrix, vel caro peccato obnoxia, ſicuti vas electionis, vas electum, filius perditionis, filius perditus, filij iræ, filij obnoxij iræ. Nec ait præciſè, (*in ſimilitudinem carnis,*) nam verbum, non per ſimilitudinem, ſed verè caro factũ eſt, in qua & verè reſurrexit, prout ipſe etiam teſtatur dicens, Palpate & videte, ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. *Luc. 24.* Aduerſus quam veritatem, exorta poſtmodum fuit, Manichæorum blaſphemia, de Chriſti corpore phantaſtico; ſed ait, (*in ſimilitu-*

dinem carnis peccati,) quod neque contraxit, nec fecit, nec nouit, nec inuẽtus eſt dolus in ore eius, veluti de Spiritu ſancto conceptus, & ſic in innocentia ſua ingreſſus eſt mundum. Aſſumpſit autem vltrò carnem peccatrici ſimilem, in eo quod erat paſsibilis ſicut caro peccatorũ. Nam verè infirmitates noſtras

Iſai. portauit, langoresq; tulit, quos nos in pœnam peccati neceſſariò patimur. Nã caro hominis ante peccatum, paſsioni ſubiecta non erat. Ad infinitam verò eius miſericordiam pertinebat huiuſmodi carnem, & non aliam aſſumere, quia, vt inquit Paulus, debuit per omnia fra-

Heb.2. tribus aſsimilari, vt miſericors fieret. Quin & ſummam eius iuſtitiam vnà cum miſericordia, debemus in Chriſto conſiderare. Cum enim potuiſſet incõprehenſibilem miſericordiæ ſuæ largitatem oſtendere, dando veniam generi humano abſque vllo actu perfectæ ſatisfactionis, hoc tamen non fecit, quia non decebat Deum ſic facere, idcirco aſſumpſit creatam naturam, vt ad iuſtum ſatisfaceret.

¶ Dici tamen non debet, vt quidã volunt, quod Chriſtus venit ſub ſpecie carnis peccato obnoxiæ, nam in ſacramento Altaris venit vtique ſub ſpecie panis, licet naturam panis ipſe non aſſumat: at verò in mundum venit in ſimilitudinem carnis peccati, quod quidem ſignificat, veram eandemq; naturam aſſumpſiſſe, quæ in nobis eſt peccatrix.

14. *ET de peccato damnauit peccatum.*) Coniunctio, et, redundare videtur in hoc loco, ablata enim illa, cõgruentius iunguntur hæc verba cum præcedenti participio, (*mittens,*) cæterum ſententia hæc, emphaſim habet, & repetitur ab Apoſtolo ſæpius alijs in locis, licet alijs

2.C.5. verbis, vt ibi, Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis Deus fecit pecca-

Gal.3. tum. Et ibi, Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Sumitur autem hîc peccatum

lib.3.c.6 cõt. duas ep. Pela. priori loco, iuxta meliorem Aug. expoſitionem, pro ipſa Chriſti humanitate, & eſt expoſitio illius quod dixerat, (*in ſimilitudinem carnis peccati,*) vt (*de peccato,*) idem ſit quod de eadem humanitate, peccatrici, ſimili (*damnauit peccatum,*) eo quod rerum ſimilitudines, nominibus earundem rerum nuncupari ſolent, quarum ſunt ſimilitudines: ſicuti Cæſaris imago, Cæſar nominatur, (*de peccato*) igitur, ideſt, de carne, ſeu per carnem quam induerat, ſpeciem gerentem peccati.

¶ Eſt autem Apoſtoli animus, mirabilem Dei potentiam, atque ineffabilem ſapientiam vbique magnificare, prout facit in hoc loco, oſtendens ordinem pulcherrimum, quem in mundi reparatione Deus ſeruauerit, vtens remedijs quæ eſſent, quantum poſsibilitas ferret, morbis ſimilima. Filius enim Dei carne noſtra indutus, recepit in ſe veluti peccati perſonam, vt peccatum, peccati ſpecie conuinceret, deſtrueret, & aboleret, factus hoſtia pro noſtris cõmiſsis; atque ita moriens ſecundum carnem aſſumptam, mortem ſubegit quæ nobis per carnis affectus, & legem carnalem dominabatur. Mirus profectò redemptionis ordo. Homo hominem redemit, carne ſaluauit carnem, mortem moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparauit.

15. *Damnauit peccatum.*) Rectum Dei iudicium aduerſus peccatum conſideremus, pulchrum quidem viſu, & dignũ auditu. Non enim ſolùm robore & potentia deleuit Deus peccatum, ſed æquiſsima iuſtitiæ ratione ipſum inuadens exterminauit. *Chry.* Inobedientia nimirum Adæ, in quo tota eius poſteritas peccauit, cum cæteris culpis, quæ ex hac radice pullularunt, in iudiciũ Dei quaſi adducta, comparataq; ad obediẽtiam Chriſti, per quam Patri bene cõplacuit, ſicut ille diſplicuit per illam, quaſi lata ſententia, Deus peccatum damnauit, & cum eo princeps mundi huius eiectus eſt foras, vt iam nullum principatum habeat in orbe. Chriſtus verò, merito crucis ſuæ, omnia traxit ad ſeipſum, vt eſſent ſua, licet iure naturali iam erant ſua, vtpotè per quem facta ſunt omnia. Et de hoc quidẽ iure meri-

meritorio ſumendum eſt illud, quod poſt reſurrectionem ſuam dixit, Data *Ioa.* eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Et illud, Poſtula à me, ſcil. meri- *Pſal.* to paſsionis tuæ, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, &c. de iure naturali, eſt illud, Tui ſunt cœli, & tua eſt terra,&c. Itaque Deus ad quem ſumma pertinet authoritas, & quatenus vnus eſt in trinitate, nam opera trinitatis indiuiſa ſunt extrà, licet Patri attribuatur omnipotentia, (*damnauit peccatum,*) per Chriſti meritum,qui ſecundũ quod homo, mortalis erat, ac proinde competit illi meritum. Nam Deus, niſi in natura creata, mereri non poteſt, ſicut nec pati. Vtrumque ergo inuenitur in hoc pulcherrimo iudicio, & ſumma authoritas in Deo, & ſummum meritum in homine. At verò, nomine cauſæ, pariter accipitur effectus. Nam ſicut dãnatio in reo, eſt cauſa ſuſpendij: ita cũ inquit Paulus,(*damnauit.*)intelige quod damnatum interemit peccatum, exterminauitq; illud quoad culpam, ſed debilitauit quoad fomitem carnis, quem non prorſus extinxit, ſed partim reliquit ad exercitationem virtutis, nam virtus, ait Dominus,in infirmitate perficitur.

16. *IN carne.*) Expoſitio eſt illius quod dixit (*de peccato,*) vt ſi quæras, quonammodo, ô diuine Apoſtole, Deus de peccato damnauit peccatum, quid tibi vis dicere, de peccato? Et ipſe reſpondeat, (*de peccato,*) ideſt, in carne, quam propter ſimilitudinem quam habet ad carnem noſtram peccatricem, peccatum dico. Quadrat cum expoſitione Aug. qui propter eandem rationem, Chriſti humanitatẽ vocauit peccatum. Apoſtolus verò ſumit partem pro toto, ſcil. carnem pro humanitate. In Chriſti igitur carne benedicta, patratum eſt hoc horribile iudicium, ibi percuſſum & occiſum eſt peccatum, ibi interfectæ ſunt inimicitiæ, quæ ſcilicet erant inter Deũ & hominem, vt inquit *Eph.2.* ad Epheſ. Paulus. Vel (*in carne*) ſcilic. noſtra, debilitauit &c. vt ſuprà expoſitum eſt. Ante mortem enim Chriſti, validiſsimus erat fomes ad perpetrandum mala, nunc verò imbecillis eſt valde,& nobis inuitis nihil omnino poteſt.

17. *VT iuſtificatio legis impleretur in nobis.*) Sicuti nux ſub cortice nucleum, continebat lex Moyſi iuſtificationem, quæ eſt bonitas hominis apud Deum, & puritas quædam animi abſque peccato. Hanc autem, repugnante carnali conſuetudine, præſtare non potuit lex, (cuius contrarium falſò ſibi perſuaſerant Iudæi) Chriſtus verò, omne abſtulit impedimentum, vt facilè qui velit, gratia ſua poſsit iuſtificari, dum peccatum dãnauit de peccato, hoc eſt, poſtquàm homo & pro hominibus mortuus eſt. Fructus enim incarnationis & paſſionis Chriſti, eſt noſtra iuſtificatio,quę per nouam legem impenditur nobis. Et ſignanter dicit, (*perficeretur*) vt excellentiam Euangelij ſupra legem oſtẽderet. Nam in Epiſtola ad Hebræos di- *Heb.7.* cit, quod nihil ad perfectum adduxit lex: de Euangelio autẽ iam dixit, quod lex ſpiritus vitæ, liberauit me à lege peccati & mortis.

18. *QVI non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum ambulamus.*) Non ſatis eſt ad veram iuſtitiam obtinendam, legem ſpiritus profiteri, niſi ſpiritualiter viuas. Non ſatis eſt ad ſalutẽ, Chriſtianum modo dici, niſi Chriſtianam vitam agas. Ille verè eſt iuſtus, qui non iuxta legis literam, Iudæorum more, ſed iuxta ſpiritum legis viuit, velut in Chriſto renatus. Ille denique ſaluus erit, qui exemplo Chriſti, carnem ſuam crucifixerit & mortificauerit cum vitijs & concupiſcentijs. Ecce vides quàm lõge diſtent inter ſe lex vetus & noua, Iudæi & Chriſtiani: illa per occaſionem gignebat iram, hæc iuſtitiam veram: in illis vmbra quædam iuſtitiæ deliniata fuit, in his vera perfectaq; pietas abſoluta eſt, per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum.

19. *QVI enim ſecundum carnem ſunt, quæ carnis ſunt ſapiunt: qui verò ſecundũ ſpiritum ſunt, quæ ſunt ſpiritus ſentiunt.*

Studia humana declarant manifeſtè qualis vnusquisq; homo ſit. Nam homo, *Hiero.* vt ait Hiero. ex ſpiritu & carne cõſtructus eſt: quando carnalia agit, totus caro dicitur: quando ſpiritualia, totus ſpiritus appellatur. Vnaquæq; enim ſubſtantia, cum eadem alteram in ſuã ditionem erigit, & vim quodammodo propriam, & nomen amittit, nam ſingulæ cognata ſibi, & vicina deſiderant, hæc Hiero. Cum igitur Paulus dixiſſet iuſtificationem legis pertinere ad Chriſtianos qui ambulant ſecundum ſpiritum, & non ſecundum carnem, ponit nunc ſigna vtriusq; vitæ, carnalis ſcil. & ſpiritualis, dicens, *(qui enim ſecundum carnem ſunt,)* ideſt, carnales homines. *(quæ carnis ſunt ſapiunt,)* ideſt, carnalia ſunt illis cordi. & ſectantur, quales ſunt qui in veteri Iudaiſmo adhuc perſeuerant. *(qui verò ſecundum ſpiritum,)* ideſt, ſpirituales *(ſunt)* quæ ſunt ſpiritus *(ſentiunt,)* ideſt, amant, neglectis que his quæ ad carnem pertinent, ad ea quæ ſunt ſpiritus, affectu rapiũtur: nam talia cuique curæ ſunt, qualis eſt ipſe. Huiuſmodi ſunt qui Chriſto per baptiſmum inſiti, ſeruant fidem & *Tho.* charitatem ipſius. Apud D. Tho. ſapere quæ ſunt carnis, eſt aprobare & iudicare bona eſſe quæ ſunt ſecundum carnem, in quo ſenſu accipitur illud, Non *Mat. 16* ſapis quæ Dei ſunt, ſed quæ hominũ. Et illud, Sapientes ſunt, vt facerent mala. Sentire autem quæ ſunt ſpiritus, eſt habere rectum ſenſum in ſpiritualibus, vnde qui Spiritum ſanctum habent ducem, rectè quidem ſentiunt de veris bonis ſpiritualibus cœleſtibus & æternis. Nam iuxta Philoſophum, qualis vnusquisque eſt, talis finis videtur ei. Ergo, ille, cuius animus indutus eſt habitu malitiæ, vel bonitatis exiſtimat de fine, ſecundum exigentiam illius habitus.

20. *NAM prudentia carnis, mors eſt: prudentia autem ſpiritus, vita & pax.)* Quod dixerat ſapere ſecundum carnẽ, dicit nunc prudentiam carnis: & quod dixerat ſentire ea quæ ſunt ſpiritus, vocat nunc prudentiam ſpiritus. Hæ longe inter ſe diſtant, diuerſorum enim effectuum ſunt cauſæ. *(Nam prudentia carnis mors eſt,)* ideſt, cauſa mortis. *(prudentia autem ſpiritus, vita & pax.)* ideſt, cauſa vitæ & pacis, vbi nomen effectus tribuitur cauſæ, eo loquendi modo, quo dicimus linguam Latinam, non *Aug.* membrum oris, ſed orationem eius: & *Pſ. 34.* concupiſcentiam dicimus peccatum, & peccatum mortem, ſic prudentia carnis dicitur mors, quia eſt cauſa mortis. Et cum ſentire ſecundum ſpiritum, ſit operari opera vitæ, & hoc ſit prudentia ſpiritus, fit, vt prudentia ſpiritus, ſit vita & pax, ideſt, cauſa vitæ & pacis. Nõ autem dicit, caro, mors: ſed prudentia carnis, ideſt, aſtutia, vel verſutia, quã alibi Paulus vocat ſtultitiã apud Deũ, *Hiero.* qualis eſt, vt ait Hiero. malo vicem referre: talis ergo prudentia mortem parit, ſcil. æternam, tranſgrediendo præceptum. Prudentia verò ſpiritus, in præſenti pacem habet non reddendo vicẽ, & vitam in futuro.

¶ Prudentia, vt ait Hiero. à prouiden- *Hiero.* do dicta eſt, & eſt, iuxta Philoſophum, *6. Eth.* recta ratio rerum agibiliũ, quod ideò nomen, propriè competit prudentiæ ſpiritus: ſed per tranſlationem, etiam Aſtutia vel verſutia dicitur prudentia. Eſt autem veræ prudentiæ triplex munus, nempè, vt ſuppoſita recta intentione finis, qui eſt ſicut principium in agẽdis: quod neceſſariò ſupponit prudẽtia, ſicut & ratio ſpeculatiua præſuponit principia ex quibus demonſtrat: Suppoſito itaque fine, rectè & ſolerter cõſultat de agendis: deinde, rectè iudicat de conſultis, eligens quod melius eſt: quo electo, citò & conſtanter præcipit quæ agenda ſunt. Vnde Prouerbium elegantiſsimum, *Feſtina lente.* Lentè quidem in conſilio, feſtina in imperio. Qua ſententia vti deberent cũcti mortales, illi maxime, qui curam gerunt adminiſtrandæ Reipub. Rectam autem finis intentionem, virtutes aliæ morales, quæ ſunt in affectu, faciunt. Temperatus enim proponit temperatè viuere, & fortis ſtrenuè agere, & iuſtus iuſtè. Prudentia verò circa media verſatur, vnde colligit Ariſt. veram pruden- *Philoſ.*

tiam

tiam habere cõnexionem cum omnibus virtutibus. Nam qui non eſt bene affectus circa fines omnium virtutum, nequit de illis rectum ferre iudicium, atque adeò neque prudentia vigere. Prudentia tamen carnis ſuppoſito pro fine, carnis delectabile, conſiliatur, iudicat, & præcipit ea quæ ad hunc finẽ pertinẽt: vnde (*talis prudentia eſt mors.*) id eſt, cauſa mortis æternæ, nam qui ſe-
Gal. vl. minat in carne, inquit Paulus, de carne & metet corruptionem. Prudentia verò ſpiritus, ſuppoſito fine ſpirituali, pari modo, conſiliatur, iudicat & præcipit, quæ ad talem finem ſpectant, vnde ipſa eſt cauſa vitæ gratiæ & gloriæ. Nam qui ſeminat in ſpiritu, ait idem Apoſtolus, de ſpiritu & metet vitam æternam. Et eſt cauſa pacis, contra homines ſenſuales, qui arbitrantur ſuis expletis deſiderijs, pace frui, iuſtos autem calamitatibus huius mundi attritos, & perſecutionibus oppreſſos, illa carere, cum tamen contrà, ſe, res habeat. Eſt quidẽ pax vera, fructus optimus ſpiritus, iux-
Gal. 5. ta illud, Fructus autem ſpiritus, charitas, gaudium, pax: quo fructu omnes & ſoli amici Dei fruuntur, iuxta illud
Pſal. Pſal. Pax multa diligẽtibus legem tuã. Et quamuis pax ſit opus etiam iuſtitiæ, tamquam remouentis impedimenta pacis, & ſit quoque effectus prudentiæ, tamquam dirigentis affectus noſtros in viam pacis, eſt tamen proprius effectus charitatis, vt ex authoritate prælegata conſtat.

21. *Quoniam ſapientia carnis, inimica eſt Deo: Legi enim Dei non eſt ſubiecta, nec enim poteſt.*) Oſtendit quod prudentia carnis eſt mors, tali ratione:
Deu. 3. quod Deo inimicum eſt, mortis eſt cauſa, eo quod Deus ſit vita noſtra, (quo pertinet illa Euangelij ſententia, verũ-
Luc. 19 tamen inimicos illos, qui noluerũt me regnare ſupra ſe, adducite huc, & interficite ante me.) Sed (*prudentia carnis inimica eſt Deo,*) eo quod (*Legi Dei non eſt ſubiecta,*) quia (*nec poteſt,*) ergo eſt cauſa mortis.

Tho. ¶Sapiens ſimpliciter, vt ait D. Tho. dicitur ille qui cognoſcit altiſsimam cauſam, ex qua dependent omnia: cauſa autem omnium ſuprema eſt Deus, vnde ſapientia ſimpliciter, eſt cognitio diuinarum rerum, vt docet Auguſt. de *in li. de*
qua Apoſtolus in priori ad Corinthios *doc. chr.*
Epiſtola. Sapientiam, inquit, loquimur inter perfectos. Sapiens autem in vno- *1. C. 3.*
quoque genere dicitur, qui cognoſcit altiſsimam cauſam illius generis: ſicut in arte ædificatoria dicitur ſapiens, nõ ille qui ſcit dolare ligna & lapides, ſed ille qui concipit & diſponit conuenientem formam domus: quoniam ex hoc pendet totum ædificium. Vnde Apoſtolus de rebus fidei loquens, vt ſapiẽs, inquit, architectus fundamentum poſui. Sapiens igitur in rebus humanis dicitur, qui bonam æſtimationem habẽs de fine humanæ vitæ, ſecundum hoc ordinat totam humanam vitam, quod pertinet ad prudentiam, ideoq; & prudentia, quædam eſt practica ſapientia, iuxta illud Prouerbij, Sapientia, eſt vi- *Prou. 10.*
ro prudentia. Et pari ratione prudentia carnis, & ſapientia carnis, idẽ ſunt quæ quidem Deo inimica hîc dicitur ab Apoſtolo, propterea quod contra legem Dei inclinat, & agit: iuxta illud Beati Iob, Currit aduerſus Deũ ere- *Iob. 15.*
cto collo. Vnde, & à beato Apoſtolo Iacobo, terrena, animalis, diabolica, me- *Iac. 3.*
ritò appellatur talis Sapientia.

22. *LEGI enim DEI non eſt ſubiecta.*) Nemo poteſt Deum odio habere, cum ſit ipſe ſummum bonum, & ipſa eſſentia bonitatis: in eo autem, odio habetur Deus à peccatore, quod aduerſatur ſuæ voluntati, nimirùm per præceptũ diuinæ legis: ſicut adulter, odit Deũ, in quantum odit hoc præceptum, non mœchaberis, & ſic omnes peccatores in quantum nolunt ſubijci legi DEI, ſunt inimici Dei: ex quo manifeſtum relinquitur, quod (*prudentia, vel ſapientia carnis, ſit inimica Deo, quia non eſt ſubiecta Legi Dei.*) Et hoc, quia ea quæ cõtra legem Dei ſunt quærit, ſiue quia per carnales obſeruantias, à libertate legis Euangelicæ auocat, & impedimẽtum illi præſtat. Et nõ ſolùm legi Dei non

non eſt ſubiecta, ſed nec ei ſubijci poteſt. Vnde ait.

23. *NEC enim poteſt.*) Prudentia carnis, vt ex ſupradictis conſtat, vitiũ eſt quoddam: quanuis autem homo qui ſubiectus eſt vitio, poſsit liberari à vitio, & ſubijci Deo: tamen ipſum vitiũ Deo ſubijci non poteſt, cum ipſum vitium ſit auerſio à Deo, vel à lege Dei. Veluti ille qui niger eſt, poteſt fieri albus, ſed ipſa nigredo nunquam poteſt fieri alba. Et ille qui frigeſcit, poteſt calefieri, ipſum tamen frigus non poteſt in calorem mutari: ad quem ſenſum eſt illud Euangelij, Non poteſt arbor mala, fructus bonos facere. Vnde conſtat, quod non faciunt hæc verba pro Manichæis, aſſerentibus naturã carnis non eſſe à Deo, cum ſit inimica Deo, nec poſsit Deo ſubijci. Non enim agit Apoſtolus in hoc loco, de carne
Tho. iſta quæ creatura Dei eſt, ſed de prudentia carnis, quæ eſt vitium hominis, vt dictum eſt. Nec faciunt pro Lutheranis contendentibus omnem concupiſcentiæ motũ etiam naturalem, peccatum eſſe. Non enim per prudentiam carnis, nudum concupiſcentiæ motum, & indeliberatum, & abſque voluntate, ſed rem deliberatam, volitam & aſſentitam ſignificat Apoſtolus, prout ipſum prudentiæ nomen ſatis præſefert. In quo quidem motu, non poteſt deeſſe culpa, vel mortalis, ſi adſit conſenſus voluntatis: vel venialis, ſi fuerit negligentia, vel mora in illum reprimendo. Atque hoc modo non poteſt ſubijci legi Dei prudentia carnis, nam eſt vitiũ & peccatum legi Dei contrarium, vt dictum eſt. Neque verò ſi pro puro concupiſcentiæ motu ſumeretur, eſſet ſubiecta legi Dei, dum in hac vita inſurgit & præliatur aduerſus ſpiritum, qui ſuapte natura conformis eſt in omnibus legi Dei. Et notandum, quod propriè inimicitia carnis prudentiæ, non geritur cum lege Dei, ſed cum Deo per legem Dei, propterea, inquit, *inimica eſt Deo, quia legi Dei non eſt ſubiecta:* nam qui cum Deo non eſt, contra Deum eſt.

24. *QVI autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt.*) Quod dixerat in abſtracto de prudentia carnis, quæ Deo eſt inimica, dicit nunc in concreto de prudentibus carnalibus, qui Deo placere non poſſunt. Et quid peius, & infœlicius, quàm Deo non placere? Quid refert placere hominibus & tibi, ſi Deo vero & optimo non placeas? Et quid prodeſt homini ſi totum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Qui igitur (*in carne ſunt,*) ideſt, prudentes carnales, qui in carne conuerſantur, carnalia ſectantes deſideria (*Deo nequeunt placere,*) donec ſic carni adhæſerint. Poſſunt quoque verba hæc dirigi ad Iudæos obſtinatos nolentes credere Euangelio Dei, quibus oſtendit quantum incommodi & periculi ex tali obſtinatione proueniat illis. Nam qui literæ legis adhuc nituntur, qui Moſaicam legem iuxta carnalem inteligentiam mordicus tenent, carnalibus adhuc fidendo obſeruantijs, neq; placent Deo, neque placere poſſunt, niſi contempta carne, ad ſpiritum deſciſcant. Vrgeant quantumlibet Iudæi Neomenias & Sabbata, non aſſequẽtur quod ſibi promittunt, niſi Deum habeant propitium, per Euangelicæ legis puram obſeruationem.

25. *VOS autem in carne non eſtis, ſed in ſpiritu, ſi tamen ſpiritus Dei habitat in vobis.*) Sermonem vertit ad Chriſtianos, quorum eſt carnis curam non facere in deſiderijs, ſed pro ſpiritus ſalute aſsiduè laborare: & quemadmodum non ſibi conueniunt, neque in vna ſede morantur munditia & immũditia, ſic Spiritus ſanctus non poteſt ſimul habitare cum peccatore. Hic enim immũdus eſt & impurus, ille verò fons eſt totius puritatis. Vnde ait, (*vos*) ò Chriſtiani, (*in carne non eſtis,*) ideſt, carnales non eſtis, habentes cõmercium cũ vitijs & concupiſcentijs, quaſi ſecundum carnem viuentes. Vel (*in carne,*) ideſt, cũ lege carnali, ſeruantes adhuc ceremonias ad carnem ſpectantes, (*ſed in ſpiritu,*) ideſt, ſpirituales eſtis, (*ſi ta-*
men

men ſpiritus Dei habitat in vobis,) ideſt,
ſi ita viuitis, vt ſpiritus Dei dignetur
habitator eſſe pectoris veſtri. Domus
abſque habitatore, deſerta dicitur, non
tamen deſunt in ea mures, araneæ, mul-
tæq; aliæ immunditiæ, citiusq; ita cor-
ruit & perditur: ſic & Chriſtianus ho-
mo ſine ſpiritu Dei, habitaculum dæ-
moniorum eſt, quouſque in profundũ
per illos & cum illis demergatur abiſsi.
Nam licet in baptiſmo Spiritum ſanctũ
recipiat Chriſtianus, poteſt tamen con-
tingere, vt receptum amittat, ſcil. pro-
pter aliquod commiſſum, nam de ipſo
dicitur, quod corripitur à ſuperuenien-
te iniquitate. Qui igitur nihil aliud
Sap. 1. quàm baptizatus eſt, adhuc ad carnem
pertinet, niſi ſpiritũ combibat Chriſti,
& ſpiritu illius aflatur. Habitat autem
Rom. 5. hic ſpiritus diuinus in nobis non qui-
dem per ſe, ſed per charitatem, quæ eſt
proprius effectus illius. Vnde per cha-
ritatem conſtituitur verus & perfectus
Chriſtianus, quem regiam & diuinam
domum, palatiumq; cœleſte propter ta
lem in eo habitatorem, appellare op-
portet. Sic enim vocat Paulus veros ac
perfectos Chriſtianos, dicens, Templũ
1. C. 3. Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vo-
bis.

26. *SI quis ſpiritum Chriſti non habet,
hic non eſt eius.)* Neceſſarium eſt ha-
bere ſpiritum Chriſti, ad hoc vt veram
& perfectam, ſpiritualem atque cœleſ-
tem vitam habeamus. Nam ſpiritus, in-
quit Saluator, eſt, qui viuificat. Et ſpi-
ritu, non ceremonijs copulamur Chriſ-
to, qui eſt vita noſtra. Idcirco qui ſpiri-
tu Chriſti vacat, à Chriſto, ideſt, à vita
eſt alienus. Vnde dicit, *(Si quis ſpiritũ
Chriſti non habet, hic non eſt eius,)* nimi-
Orig. rùm vt viuidum membrũ. Eſt quidem
eius creatura, veluti feræ ſyluarum, iu-
mentaq; in montibus & boues, non ta-
men ſpiritualiter, Deus eſt in illo: iux-
Ioa. 14. ta illud Saluatoris, Si quis diligit me,
diligetur à Patre meo, & ego diligam
eum, & ad eum veniemus, & manſionẽ
apud eum faciemus. Sed ſi Chriſti non
eſt qui eius ſpiritu caret, cuius ergo eſt
ille? Proculdubio mortis, perditionis,
& inferni eſt. Væ igitur illi qui ſpiritum
Chriſti non habet. Manifeſtat etiam di-
uinitatem Chriſti his verbis Apoſtolus.
Quod enim dixerat ſpiritum Dei, re-
petit dicens ſpiritum Chriſti: vt inteli-
gamus quod Chriſtus eſt verus Deus,
& quod ſpiritus Dei, eſt vnum Patri cũ
filio, vtpote qui æqualiter procedit, &
ab vtroque mittitur. Vtrumque enim
ait Chriſtus, & quem Pater mittet in
nomine meo, & quem ego mittam vo-
bis à Patre. In qua tamen verborum
varietate, prioritas quædam originis di-
gnoſcitur, ſanè quod à Patre, vt prius
origine procedit filius, à quo & recepit
vt & ab ipſo vnà procedat Spiritus ſan-
ctus. Mittitur autem Spiritus ſanctus
à Chriſto, non ſolùm quatenus Deus
eſt, ſed etiam quatenus homo, redem-
ptor, ac ſanctificator noſter eſt. Non
ea quidem ratione qua miſsio proceſ-
ſionem dicit, nam Spiritus ſanctus non
procedit à Chriſto in quantũ homine:
ſed ea ratione minus propriè, quæ reſ-
picit terminum in quo Spiritus ſanctus
illud operatur, quod nobis tribuitur
per beneficium redemptionis. Nam li-
cet propriè mitti non cõpetat niſi per-
ſonæ, à qua, miſſa procedit, tamẽ largo
modo concedit Aug. quod tota Trini- *Aug.*
tas miſit filium, quia incarnatio fuit ef-
fectus totius Trinitatis, & ſic Spiritus
ſanctus miſit filium. Pari ergo modo di
ci permittitur, quod Chriſtus in quan-
tum redemptor, cui ſecundum poteſta-
tem illi datam conuenit dare Spiritum
ſanctũ, iuxta illud, Data eſt mihi om-
nis poteſtas, accipite Spiritum ſanctũ
&c. mittat eum. Propterea inter alios
illius ſententiæ ſenſus, nempè, ſi non
abiero Paraclitus non veniet ad vos,
hic non eſt contemnendus, nimirùm,
quod erat valde congruẽs vt iret prius
ipſe Saluator in cœlum, vnde quatenus
redemptor, miſſurus erat Spiritum ſan-
ctum, idcirco ait, Pater mittet in nomi
ne meo, & ego mittam à Patre.

¶SIGNA autem quibus dignoſci po-
teſt, an Spiritus ſanctus ſit alicuius hu-
mani pectoris habitator, ſunt virtutes,
& opera pietatis. Nam quemadmodum

per terræ fructus cognoſcitur quælibet arbor, ſic quilibet Chriſtianus per ipſius opera. A fructibus enim eorum, inquit Saluator, cognoſcetis eos. & Spiritus ſanctus per virtutes, quoniam virtus eſt fructus bonus Spiritus ſancti. Galat. Vnde Paulus, Fructus, inquit, Spiritus ſunt, charitas, gaudium, pax, pacientia, longanimitas, &c.

27. *SI autem Chriſtus in vobis eſt, corpus quidem mortuum eſt propter peccatũ, Spiritus verò viuit propter iuſtificationẽ.)* Perinde eſt, quantum ad ſalutem noſtram attinet, Spiritum Dei in nobis habitare, & ſpiritum Chriſti habere, & nos Chriſti eſſe, & Chriſtum eſſe in nobis, qui habet vnum, habet & reliqua, non poteſt vnum ſine alijs eſſe: vtitur autem Apoſtolus tot loquendi modis, pro maiori explicatione fidei, & effectuũ eius. Oſtendit itaque imprimis his verbis Apoſtolus, quid faciat in nobis Chriſti ſancta ſocietas. Quemadmodũ enim ille ſemel pro peccatis mortuus eſt, ſpiritus autem in eo ſemper fuit viuax, cuius vita non fuit per mortem interrupta: ſic ille qui in ſe Chriſtum habet, ſemel ad Chriſti exemplar moriturus eſt *(propter peccatum,)* ideſt, in pœnam peccati: *(ſpiritus verò,)* ideſt, anima rationalis, *(viuit,)* vita ſpirituali, *(propter iuſtificationem,)* quæ eſt animæ vita, quam ex gratia Spiritus ſancti, & Chriſti merito conſequitur. Et hoc eſt quod dicit. *(Corpus quidem mortuũ eſt,)* ideſt, neceſsitati mortis addictum, & obnoxium *(propter peccatum)* quod ſcil. quantùm ad pœnam adhuc manet in carne noſtra *(Spiritus vero viuit)* vitam ſcil. ſpiritualem & immortalem, quia nõ abrumpitur per mortem temporalem, ſed permanet in æternum.

Vel eſt ſenſus, quemadmodum oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam, ita qui ſecum Chriſtum habet, oportet, vt cum eo ſimul patiatur in carne ſua, ſectando veſtigia eius. Nã ſi compatimur, vt citò dicturus eſt, & conglorificabimur. Igitur qui Chriſtũ in ſe habet, *(corpus quidem)* non ſolum moritur, ſed *(mortuum eſt,)* non vita naturali, ſed vita peccati, & mali operis, vnde ait *(propter peccatum,)* ſcil. euitandum. Nam caro quæ cupiditatum lenocinijs ad mortifera ſolicitabat, iam Chriſti fauore, ferè omni peccati libidine caret, *(& ſpiritus,)* ideſt, melior pars noſtri *(viuit propter iuſtificationem,)* ideſt, ſolicitat, & impetu ſuo rapit ad ea quæ ſunt honeſta, & excelſa iuſtitiæ opera.

28. *QVOD ſi ſpiritus eius qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis habitat in vobis, qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora veſtra, propter inhabitantem ſpiritum eius in vobis.)* Quàm bonum eſt, & quàm iucũdum adhærere tibi Domine Ieſu, & in te vno omnem ſpem noſtram collocare. Attende iterum pie Lector, quid efficiat in nobis, habitare Chriſtum per fidem in cordibus noſtris. Miram profecto conformitatem, quantum ad animam & corpus eius, parit nobis diuina Chriſti ſocietas. Viator enim cum Chriſto, non videbit mortem inæternũ quantum ad animam, ſemel tamen videbit illam quantum ad corpus, ſicut Chriſtus. Spiritum ſanctum ſecum etiã habent amatores Chriſti, à quo vt Deo, ipſe procedit, eſtq; verus hominum cuſtos, non ſolùm hominum, ſed & oſsiũ, & capillorum ſuorum, quorũ nec vnus modo peribit cum omnes illos numeratos habeat, vt ſuo tempori, gloriam animæ impartiatur illis, exultentq; Domino oſſa humiliata, olim frigida, & putrida, fœda, atque deformia, nimioque labore dum viuerent fatigata: iam verò per Chriſtum pro quo laborauerũt, & obierunt, reformata, in meliorem ſanitatem, pulchrioremque conſpectum reſtituta, configurata nimirum corpori claritatis ipſius Domini, fulgentiaq; proinde ſicut Sol, in regno Patris iuſtorum. Quæ quidem ad Chriſtum cõformitas, videtur finis vltimatus Dei omnipotentis circa ſuos prædeſtinatos. Nam quos præſcribit, inquit Paulus, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui. Pſ. 50.

¶ Poſtquàm igitur Apoſtolus docuit ſpiri-

ſpiritum Chriſti in vero Chriſtiano viuere, etiam dum hic eius corpus moritur: ſapienter protinus ratiocinatur alterum effectum eiuſdem ſpiritus reſpectu corporis, videlicet, (*quòd ſi ſpiritus Dei qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis, habitat in vobis,*) idem ipſe, ſcil. Deus, (*qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora veſtra, propter inhabitantem ſpiritũ eius in vobis,*) ideſt, propter dignitatem quam habent noſtra corpora, eo quod fuerunt receptacula Spiritus ſancti.

Soto. Ratio hæc procedit, vt ait quidam Doctor, apoſitione eiuſdem cauſæ ad poſitionem eiuſdem effectus: qua argumẽtandi forma in priori ad Corinthios Epiſtol: etiam vſus eſt, dum ex reſurrectione Chriſti, reſurrectionem noſtram oſtẽdere conatur. Similiter facit in hoc loco, nam ſi ſpiritus Dei. Chriſtũ quatenus hominem ſuſcitauit à mortuis, ea nimirum ratione, quia ſemper vixit in illo, etiam dum mortale corpus gerebat, atque adeò effecit, vt per eiuſdem morrẽ, noſtra delerentur peccata. Igitur cum idem ſpiritus cõmunicetur nobis per gratiam tamquàm membris eiuſdem Chriſti, eundem in nobis habebit effectum: ſunt enim corpora, mẽbraq́; noſtra, templum Spiritus ſancti,
1.C.6. vt docet Apoſtolus. Quare vt ſibi ea dignum faciat æternum habitaculum, ea vita donabit illa, quæ nunquam ſit amplius interitura.

29. *Viuificabit.*) Omnes quidem reſurgent homines, per Chriſtum iudicem vniuerſalem bonorum & malorum, ad cuius tribunal oportet ſtare omnes:
1.C.15. ſed non omnes immutabuntur, ſcil. de morte ad vitam, ſed illi tantùm, qui ſpiritus & mortis Chriſti participes fuerũt: hos quidem ſolos viuificabit ſpiritus Chriſti, cæteris in infernum relegatis. Infernus enim, mortis eſt perpetuatio. Idcirco impij non viuificabuntur, ſed potiùs æterna morte damnabuntur. Vnde & ipſe met iudex, procedent, inquit, alij in reſurrectionem vitæ, alij verò in reſurrectionem iudicij.

30. *Mortalia corpora.*) Non mortua, ſed mortalia dicit corpora. Quoniam non ſolùm ab actuali morte ſeruabuntur, ſed etiam à mortalitate, ne vllas ſcil. deinceps mortis reliquias, putà, paſsiones vel moleſtias ſentiant. Hoc enim eſt liberari, non tantùm à morte, ſed à lege mortis, quæ propter peccatum aduerſus omnes fuit lata: nimirùm, vt omnis homo moriatur ſemel. Nam per peccatum, vt dictum eſt, mors in hunc mundum intrauit. Vnde, eo modo, quo homo ante peccatum poterat non peccare, poterat & non mori. At verò poſt reſurrectionem, corpora noſtra erunt penitus immortalia, quoniam beati in patria, penitus peccare non poterunt.

31 *Propter inhabitantem.*) Omnimodam & continuam in bonis manſionẽ Spiritus ſancti dicit, iuxta Chryſoſt. *Chry.* quorum corpora tanquam templum eiuſdem Spiritus ſancti, non patitur Deus interire, ſed ſuo tempori reſtaurabit illa, eo modo quo Ieſum ſuſcitauit à mortuis.

¶Poteſt, & non ineptè aplicari ſentẽtia hæc, etiam ad mores vitæ humanæ, dicendo, Si ſpiritus Dei, qui Ieſum à mortuis excitauit, in vobis manet, non erit ocioſus, viuida quædam & efficax res eſt ſpiritus, idem efficiet in vobis, iuxta captum veſtrum, quod effecit in Chriſto. Pater ſuſcitauit filium, nec ſinit eum denuò mori: vos item à vitijs, quæ vera mors eſt, reuocabit in vitam, extinctis peruerſis cupiditatibus, idq; per ſpiritum eius, vitæ autorem, iam inhabitantem in vobis, à quo animæ procedit vita ſpiritualis, veluti corpori ab anima, vita procedit naturalis.

32. *ERGO debitores ſumus, non carni, vt ſecundum carnem viuamus.*) Rectè colligit ex dictis ſententiam hanc. Cũ enim dixiſſet quod per Spiritum ſanctũ multa bona nobis contingunt, & quod ex prudentia carnis ſequitur mors, colligit nunc dicens, (*Ergo debitores ſumus non carni, vt ſecundum carnem,*) ideſt, ſecundum deſideria carnis. (*viuamus,*)

mus,) ſed Spiritui ſancto cui obnoxij ſumus, & viuere & parere debemus, non carni, cui iam mortui ſumus. Deſijmus enim debere carni, poſteaquàm idem eſſe cœpimus cum Chriſto. Abſit igitur vt poſthàc *(ſecundum carnem)* ideſt, ex libidine carnis *(viuamus)* quæ ſeruire potiùs debet ſpiritui. Exhortatur his verbis ad bonum vſum beneficiorum Dei, & ad gratitudinem pro eiſdē erga ipſum: Vt fecit in priori quam
1. C. 6. ſcripſit ad Corinthios dicens, Empti enim eſtis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore veſtro.
Poteſt quidem accipi ſentētia hæc, tùm in particulari aduerſus Romanos ex Iudaiſmo conuerſos, contendentes legem Moyſi vnà cum Euangelio ſeruari debere: & tunc nomen carnis, pro litera legis carnaliter intelecta, vſurpatur: & nomen ſpiritus pro Euangelio, cui tantùm debitores ſumus. Tùm & in generali, aduerſus omnes homines, operibus carnis deditos, & ſic nomen carnis, pro affectibus & cupiditatibus carnis ſumitur, vt expoſitum eſt.

33. *Secundum carnem.)* Moderamen eſt verbi præcedentis. Debitores enim ſumus carni in neceſsitate naturæ, alendo eam cibo & potu, veſteq; induendo, ægrotantiq; medicando: at verò, non debemus ei obſequi *(ſecundum eam,)* quod eſt, ſuis legibus viuere, deſideriaq; ſectari. Hoc vetat hic Apoſtolus, & vbi dixit, carnis curam ne feceritis in deſiderijs, hoc enim magnum crimē eſt, & magnam pœnā habet. Vnde ait.

34. *SI enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini.)* De morte culpæ in præſenti, & de morte damnationis in futuro, inteligitur. Vtraque enim mors carnalibus cōtingit hominibus, propterea quod Spiritus ſanctus qui eos viuificabat, receſsit ab eis. Sriptum eſt enim,
Gen. 6. Non permanſurum ſpiritum Domini inæternum in homine, quia caro eſt. Exhortaturq; ſimul his verbis Paulus, ad cauendam quandam periculoſam ſecuritatem eorum ſcil. qui tantùm contenti nomine Chriſtiano, de ſalute animæ prorſus obliuiſcuntur. Toti in delicijs, toti in diuitijs, toti in condendis ſuorum ſtemmatum memorijs, cupientes ſupra omne nomen, celebrare nomen ſuū: porrò de ſeculo futuro, deq; iudicio Dei, nullum verbum. Hi proculdubio ad mortem properant, & niſi citò conuertantur, & erubeſcant valde Pſal.
velociter, gladium ſuum vibrauit, Deus, arcum ſuum tetendit & parauit illum, & in eo parauit ſagittas mortis contra eos. Quapropter, perſeuerantia in virtute, & aſsidua Spiritus exercitatione opus eſt. Hoc enim ceſſante, langueſcit charitas, & animus in mortis periculo conſtituitur.

35. *SI autem ſpiritu, facta carnis mortificaueritis, viuetis.)* Mortificando carnem, viuit ſpiritus, & èconuerſo, vnde Paulus, cum infirmor, inquit, fortior ſum. Omnino autem illam extinguere in hac vita, ſcil. quantum ad eius concupiſcentiam, non eſt poſsibile. Quoniā vt inquit Auguſt. carnis concupiſcentijs Aug.
non conſentire, magna laus eſt: omnino non habere, ſumma perfectio eſt. Hæc autem perfectio in altera vita futura eſt. Mortificatio verò huius vitæ, ſubitò non contingit, ſed paulatim, vt ait Orig. primo enim langueſcit caro Orig.
inincipiētibus. Deinde, tabeſcit in proficientibus: poſtremò, mortificatur in perfectis. Hoc autem fit cōtrarijs operibus. Nam per charitatem, mortificatur odium. Triſtitia ſeculi, per gaudiū cœli. Diſcordia, per pacem. Et omne denique vitium, per virtutem contrariam. Opera tamen praua mortificari nequeunt, niſi mortificentur membra, quæ ſunt arma iniquitatis, vnde Paulus, Mortificate, inquit, membra veſtra Coloſ. 3.
quæ ſunt ſuper terram. Et idem, Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerūt cum vitijs & concupiſcentijs. Et ne hoc Romani ſuis viribus aſcriberent, non ait ſimpliciter, ſi mortificaueritis ſed *(ſi ſpiritu)* vobis diuinitus collato *(opera carnis,)* quæ vobis natiua ſunt & propria, *(mortificaueritis.)*

36. *Quicunque enim ſpiritu Dei aguntur,*

tur, ij ſunt filij Dei.) Manifeſta eſt immortalitas, & gloria virorum ſpiritualium. Si enim pater eſt immortalis & glorioſus, filij quoque erunt ſimiliter immortales & glorioſi. Nam qualis eſt Pater, talis eſt & Filius, ſed Deus eſt immortalis & glorioſus, ergo & Filij eius. (*Qui autem ſpiritu Dei aguntur,*) ideſt, viri ſpirituales, qui reguntur, & manuducuntur à Spiritu ſancto (*ſunt filii Dei,*) ergo viri ſpirituales ſunt animo immortales & glorioſi, vita ſcil. gratiæ Dei. Nam de vita naturali non fit nunc ſermo, (manifeſtum eſt, animam rationalem eſſe immortalem) ſed de vita verè Chriſtiana, quæ eſt illa teſtimonij conſcientiæ beati Pauli gloria, & illa beatæ Mariæ Magdalenæ optima pars, quæ non auferetur ab ea. Ille enim charitatis amor, qui ſanctarum eſt vita animarum, per mortem quidē corporalem non fuit ablatus ab eis, ſed nunc igne flameſcit magis in patria, videntes & tenentes quē diligit anima eorum, cuius pulchritudinem, Sol & Luna mirantur.

37. *Spiritu Dei aguntur.*) Chriſtianorum dux bonus, ſpiritus Dei eſt, qui fideliter nos ducit in terram rectam, *Pſal.* in terram fructiferam & ſpatioſam, fluē tem lac & mel, in terram inclitam, cuius campi vndique pleni ſunt odore & amœnitate præclara, quorum floribus, nec roſæ nec lilia deſunt. In vrbem cœleſtem, cuius ciues miro ſunt amore conglutinati, inter quos nullus eſt paupertatis metus, nulla ægritudinis imbecillitas. Nulla læſio, nulla ira, nulla *Aug.* prorſus inuidia. Cupiditas nulla, nullum cibi deſiderium, honoris aut poteſtatis ambitio nulla. Nullus ibi diaboli metus, inſidiæ dæmonum nullæ, terror gehennæ procul. Mors ibi, neque corporis, neque animæ erit, ſed immortalitatis munere vita iucunda. Tranquilla ſunt ibi omnia & quieta, iugis ſplendor, tanto clarior ſolis ſplendore, quanto fœlicior. Quia ciuitas illa, vt legitur, *Apoc.* non egebit lumine Solis, ſed Dominus omnipotens illuminabit eam, & lucerna eius eſt agnus: vbi Sancti fulgebūt vt ſtellæ ad perpetuas æternitates, & ſicut ſplendor firmamenti, qui ad iuſtitiam erudiunt multos. Quapropter *Dani.* nox ibi nulla, nullæ tenebræ, concurſus nubium nullus, nec frigoris ardoriſq; aſperitas vlla: ſed talis erit quædam rerum temperies, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, niſi illorum qui ea perfrui digni inueniuntur, quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ. Nō eſt ſenectus ibi, nec ſenectutis miſeria, dū omnes occurrunt in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Super hæc omnia eſt, conſociari Angelorum & Archangelorum cœtibus, Thronis etiam & Dominationibus, Principatibus & Poteſtatibus, omniumq; cœleſtium ſupernarum virtutum contubernijs perfrui. Inter quos eſt iucundiſsimum intueri paradiſi Præpoſitum Michaelem, animarum ſuauiſsimū ſuſceptorem, populi Dei fidiſsimum adiutorem, Draconiſq; infernalis robuſtiſsimum expugnatorem, ſplendidius ſideribus micantem. Ad hæc ſunt agmina Sanctorum præclariſsima, Patriarcharum fide fulgentia, Prophetarum ſpe lætantia, Apoſtolorum in duodecim tribubus Iſrael orbem iudicantia, martyrum purpureis victoriæ coronis lucētia. Virginum quoque choros candentia ſerta geſtantes, gratiſsimū erit inſpicere. De Regina autem huius beatiſſimæ ciuitatis, quæ ſuper choros Angelorum exaltata reſidet, amicta nimirum Sole, & Luna ſub pedibus eius, dicere vox nulla ſufficit. Effugit enim omnem ſermonem, atque omnem ſenſum humanæ mentis excedit decus illud, illa pulchritudo, illa virtus, illa gloria, illaq; maieſtas. Sed vltra hanc tamē & omnem Sanctorum gloriam, eſt Regis, huius Reginæ filij ſacratiſſimi, inæſtimabilem aſpicere conſpectum, & ſplendore maieſtatis eius irradiari. Si enim quotidie, vt inquit beatus Aug. *Aug.* opporteret nos tormenta perferre, ſi ipſam gehennam paruo tempore tolerare, vt Chriſtum videre digni poſſemus in gloria venientem, & Sanctorum eius numero ſociari: nonne erat dignum

pati omne quod triſte eſt, vt tanti boni, tantæq; gloriæ participes haberemur? Hactenus Aug. cuius ferè ſunt omnia verba hæc. Ad tantam itaque fœlicitatem manuducit nos, vt diximus ſpiritus Chriſti, non quidem coactè, vt Lutherani fingunt contra libertatem arbitrij noſtri: ſic enim interpretantur verbum hoc, (*aguntur,*) id eſt, coguntur, & compelluntur, vt fanatici agitantur furore, & pecudes ſtimulo, quod eſt dictum ipſorum proprium: ſed liberè, modo noſtro humano. Attingit enim à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter, nimirùm, iuxta vniuſcuiusque naturam, bruta quidem animalia, naturaliter, hoc eſt, impoſita neceſsitate mouet illa Deus: homines verò qui liberi ſunt, liberè, & benignè, dum primò pulſat ad oſtiũ pectoris noſtri, vt ei aperire conſentiamus: deinde, vocat & veluti precatur, vt ſecũ, & ad ſe veniamus, & tandem allicit, & fouet, gallinæ inſtar congregãtis pullos ſuos ſub alas. Nec ſunt tamẽ huic ſententiæ contraria verba illa Prophetæ dicentis, Cum venerit quaſi fluuius violentus, quem ſpiritus Dei cogit. Et Saluator etiam, Nemo, inquit, venit ad me, niſi Pater meus traxerit eum. Hæc enim & ſimilia, vim amoris, & præuentionem Spiritus ſancti deſignant, abſq; detrimento humanæ libertatis.

Luth. *Iſa.59.* *Ioa.6.*

38. *HI ſunt Filij DEI.*) Quemadmodum filij carnales per ſemen carnale, à patre carnali procedens generantur, ſic & filij ſpirituales per ſemen ſpirituale à Patre procedens generantur, ſemen autem ſpirituale, quod à Patre cœleſti procedit eſt Spiritus ſanctus, vt ait D. Thom. Per hoc igitur ſemen benedictum, aliqui homines in filios Dei generantur. Ad quod pertinet illud, Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, vſque ibi, ſed ex Deo nati ſunt. Itẽ & illud: Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen Dei, manet in eo.

Tho. *Ioan.1.* *1.Io.3.*

39. *NON enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum.*) Ex diſtinctione donorum Spiritus ſancti, oſtendit, eos qui eundem habent ducem, eſſe filios Dei. Pro cuius intelectu, eſt valde notandum: quod triplex eſt timor, nempe mundanus, ſeruilis, & filialis. Timor mundanus eſt, quo quis timet aliquid mali ab aliquo homine rẽporali, qui vtique timor humanus, vel mundanus, non eſt à Spiritu ſancto, cũ ſit turpis, vituperabilis, & prohibitus, iuxta illud, Nolite timere eos qui occidunt corpus, &c. quaſi dicat, nolite pauore mortis momentaneæ, in æternam mortem obtrudi. Hoc timore occupantur qui metu temporalis incommodi, recedunt à Deo, diſsimulantes peccata, veritatem iniuſtè detinentes, mendacio fauentes, adulatione gaudentes, bonũ dicentes malum, & malum, bonũ, propter aliquam propriam vtilitatem: turpes profectò ſunt huiuſmodi homines, & infames, & damnatione æterna digniſsimi. Timor autem ſeruilis eſt, quo timentur mala pœnarum de manu Dei, qui vtique laudabilis eſt, & à Spiritu ſancto, quantum ad hoc quod timet Deum, non autem quantum ad malũ pœnæ, quã ſolùm timet: ſicut fides informis, donum quidem eſt Dei, non tamen eius informitas: vnde licet per hunc timorem aliquis bonum faciat, non tamen benè facit, quia non facit ſpontè, ſed coactus metu pœnæ, quod propriè eſt ſeruorum, ideoq; iure dicitur ſeruilis timor, quia ſeruiliter facit operari. Cum enim ſerui Domino, natura coniuncti non ſunt, metu continentur, maloq; adacti, funguntur officio. Tertius timor, eſt filialis, quo timetur malum culpæ, ea ſcilicet ratione qua eſt Dei offenſa, & talis timor, germen eſt diuini amoris, vnde & filialis dicitur. Nam filij reuerentia eſt, vt patris, potius timeat offenſionem, quàm proprium ſuplicium, cuius contraria eſt conditio ſerui, reſpectu heri.

Tho. Aug.

Hic autem filialis timor, eſt duplex: nẽpe, initialis & perfectus: initialis eſt, qui ſimul cum metu futuræ culpæ, timet etiam pœnam præteritæ, & dicitur innitialis, quia ſolet eſſe in homini-

bus

bus in initio ſuæ conuerſionis, de quo *Pſal.* eſt illud Pſal. Initium Sapientiæ, timor Domini, licet hæc autoritas de timore ſeruili, poſſit quoque inteligi, ſed diuerſimodè. Seruilis enim timor, initiũ poteſt eſſe ſapientiæ, veluti diſpoſitio quædam antecedens gratiam, quatenus timore pœnæ abominatur nónunquã *Eccl. 1.* aduerſaturq; peccatum, iuxta illud, Timor Domini, expellit peccatum. Quapropter huiuſmodi timor videtur non diſplicere Deo, cum ipſe dicat, Quis det *Deut. 5* eos talem habere mentem, vt timeant me: quæ verba de illis qui ſunt perditis moribus intelligenda ſunt.

Initialis verò timor eſt initiũ Sapientiæ, veluti primus effectus gratiæ, qui cum charitate adoleſcit, perficiturq;: quare, nominatio illic Sapientiæ, non ſolùm cognitionem Dei, ſed & directionem affectus comprehendit, quæ fit per gratiam.

Perfectus verò timor eſt, qui nihil aliud timet quàm à Deo ſeparari, & dicitur *Pſal.* heroicus, caſtus, & ſanctus, qui permanet in ſeculum ſeculi. Dicitur etiam *Eccl. 1* reuerentialis, & plenitudo Sapientiæ, *Iſai. 7.* quo etiam timore, Chriſtus Dominus fuit plenus, vt inquit Iſaias Propheta. Vterque autem timor, perfectus ſcil. & *Tho.* initialis, vt ait D. Tho. non diſtinguntur contra amorem charitatis, quæ eſt cauſa vtriuſque, ſed ſolum timor pœnæ: quia ſicut hic timor facit ſeruitutẽ, vt dictum eſt, ita amor charitatis, filiorum libertatem, quoniam facit voluntariè ad honorem Dei hominem operari, quod eſt propriè filiorum.

¶ Ad Apoſtolum igitur venientes, dicẽdum, quod lex vetus dono Spiritus ſancti data eſt, hoc eſt, ſpeciali reuelatione & motione Dei (*in ſpiritu*) tamen (*ſeruitutis,*) ideſt, per donum timoris ſeruilis, inducens ad mandata Dei ſeruanda, id quod perſtrepentia illa tonitrua, micantia fulgura, ignisq; fumans, & denſiſſima nubes deſignabant, & ita, vt inquit Apoſtolus, erat terribile quod *Heb. 12* videbatur: quibus perculſus populus veluti ſeruili metu, ſe legem impleturũ pollicitabatur. Lex autem Euangelica, aflatu diuini amoris nobis donata eſt, ſcriptaq; in mentibus: propterea, cum dixiſſet quod illi qui ſpiritu Dei aguntur ſunt filij Dei, quod dicit propter Chriſtianos qui piè viuunt in Chriſto, reddit nunc huius rei cauſam dicens, (*Non enim iterum*) in noua lege, ſicut in veteri fuit, (*accepiſtis ſpiritum ſeruitutis in timore*) pœnarum, quem timorem Spiritus ſanctus faciebat, (*ſed accepiſtis ſpiritum*) ſcil. charitatis, qui eſt (*adoptionis filiorum,*) ideſt, per quem adoptamur in filios Dei. Non quod ſit alius & alius ſpiritus, idem enim qui alijs confert timorem ſeruilem quaſi imperfectum, alijs prebet amorẽ, quaſi quodam perfectum. Quamobrem beatus Apoſtolus in Epiſtola ad Gal. primum teſtamentum preſignatum in filio ancillæ, ait in monte Sinai populum illum in ſeruitutem generaſſe, quæ eſt Agar: ſed nouũ datum eſſe in Hieruſalem, quæ libera eſt mater noſtra. *Gal. 4.* Qui idcirco ſpiritus donatus eſt Chriſtianæ familiæ, veluti ingenuis iam, & liberis, vt caſto amore flagrarent, veluti igne illo Spiritus ſancti in Pentecoſte ſignificatum eſt, poſt vehementem illũ de cœlo ſonitum, non quidem deterrentem, vti antiquos olim, ſed excitãtem Apoſtolorum mentes & corda.

¶ Dici non poteſt quod mundus aliquando prorſus caruerit filijs Dei, nũquam enim in aliqua lege tam naturæ, quàm ſcripturæ, ſiue implicita, ſiue explicita defuit in mundo fides viua, qua ſola, iuſti, amici, filijq; Dei conſtituuntur homines. Abel, Enoch, Noe, Melchiſedech, Iob, Abraham, & omnes eius poſteri ſecundum ſpiritum, qui fuerunt, niſi liberi inter ſeruos? hoc eſt, filij Dei inter mundanos, vel filios hominum. Sic enim videtur diſcernere ſcriptura, inter ſpirituales, & carnales viros, Videntes, inquit, filij Dei, filias hominum quod eſſent pulchræ, accepe- *Gen. 6.* runt ſibi vxores ex omnibus quas elegerant. Et illud Saluatoris, Quem dicunt homines eſſe filium hominis? D. *Mat. 16.* Hiero. qui de filio hominis loquuntur, homines ſunt. Hoc eſt, mundani, car- *Hiero.*

 nales,

nales, & ſine fide. Qui verò diuinitatem eiùs inteligunt, ſcil. per fidem, nó homines, ſed dij appellantur, quales erant Apoſtoli, ideò inquit, vos autem, ſcil. qui dij eſtis, vt exponit Hiero. quẽ me eſſe exiſtimatis? Similiter dicendũ eſt quòd etiam inter Chriſtianos, nunc ſub lege ſpiritus vitæ agentes, non pauci ſerui inueniuntur, quales ſunt omnes illi qui fidem habent mortuã, hoc eſt, ſine charitate per quam illa operatur. In omni igitur tempore inuenti ſunt in mundo, ſerui & liberi, ſiue filij: peccatores & iuſti: grati Deo, & ingrati: mortui, & viuentes: cœleſtes & terreni homines.

AT verò Apoſtoli animus in hoc loco, eſt, duo nobis inter vtràque legem patefacere diſcrimina. Alterum quod iam eſt ſæpius repetitũ, videlicet, quod lex vetus iubebat, & non iuuabat: oſtendebat peccatum, & non conferebat gratiam ad euitandum illud, Niſi ea tantũ quæ in circuncisione per fidem donabatur: itaque excuſationem peccati prorſus auferebat, licet per ſe nihil auxilij ad opera charitatis præſtaret, ideirco tanquam ſeruos deterrebat illos. Noua autem lex, per viuidam Chriſti mortem, & viuam ipſius vocem, perq́; ſacramentorum gratiam, ceu filios nos à more conciliauit. Alterum diſcrimen eſt, quòd quanuis per fidem Chriſti in veteri lege, filij cõſtituebantur multi, erant tamen illi vt paruuli, quemadmodum ad Galat. docet Paulus, nihil differentes à ſeruis, ſub elementis mũdi, ſub tutoribus & actoribus, hæreditatis poſſeſsione cohibiti: non ſic in Euangelio aperiente nobis regnum vt filijs iam adultis: qui vt amici iam cognoſcimus multa cœli ſecreta, & vt filij audactet ad Patrẽ loquimur, quod vtique virtute legis, patres olim habere non potuerunt.

Gal. 4.

40. *Spiritum adoptionis.)* Non qualẽcumq; libertatem accipiunt Chriſtiani dono Spiritus ſancti, ſed illam quæ eximia eſt, & ſublimis, nempe filiorum Dei. O verè beata metamorphoſis, ò ingens vis amoris ſanctæ legis Euangelicæ, per quam ſerui mutantur in filios, terreni in cœleſtes, homines in Deos. Eſt autem filij adoptio apud Latinos, idem quod apud Græcos filij poſitio, ſeu filij ſubſtitutio, quæ eſt quando ille qui non erat filius, inſtituitur & creatur filius, ſicut ille qui non erat epiſcopus, aſſumitur in epiſcopum: eſt etiam ſecundum iuriſconſultos, nepotum adoptio, illi videlicet qui legitimo filio ſuccedunt. Adoptio itaque filiorum, eſt idem quod adoptio filialis. Hæc eſt duplex, humana ſcil. & diuina: hæc dicitur, quando per gratiam & bonitatem Dei, admittuntur homines ad æternæ beatitudinis hæreditatem: illa verò, quando voluntate humana admittitur aliquis ad aliquam terræ hæreditatem. Primum diſcrimen inter hos duos adoptionis modos eſt, quod homo adoptat extraneum, quia probum illum ſtudioſumq; nouit: Deus nõ ſic, ſed adoptando, bonos iuſtos, proboſq; cõſtituit, iuxta illud, Prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum Dei, nimirùm, abſque vllis noſtris præcedentibus meritis. Deinde, homo alienum ſibi ſubſtituit in filium, ad ſuam ipſius ſuplendam, reficiendamq; orbitatem: Deus verò vt ſuam exuberantiſsimam abundantiam, quin & diuinitatem, ratione quadam nobis cõmunicet. Phil. 1.

¶ Chriſtus dominus, non eſt adoptiuus, vel adoptatus, ſed potius adoptator, cum ſit naturalis ipſe Dei filius, genitus quidem à Patre, ſed non per ſpiritum ſanctum, imò Spiritus ſanctus ſpiratur ab illo, prius origine genito à ſolo patre: neque quatenus homo eſt, conceptusq; de Spiritu ſancto, eſt filius adoptiuus: per gratiam enim vnionis factum eſt, vt homo Chriſtus ſit filius, non participatiuè, ſed verè naturalis, atque adeò non factus eſt de non filio, filius: & quanuis humanitas à verbo ſit aſſumpta, non tamen propriè dicitur adoptata, eũ adoptari, ſit propriũ ſuppoſiti, & filiatio, proprietas perſonalis. Cæteros verò adoptari in filios Dei, eſt illos quidem ad ſimilitudinem & participationem naturalis filij Dei accer-

accerſiri, iuxta illud inferiùs dicendũ, Prædeſtinauit nos conformes fieri imaginis filij ſui.

41. *IN quo clamamus Abba Pater.*) Videte, inquit beatus Euangeliſta Ioannes, qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & ſimus. Qualis autem Pater, talis eſt & Filius erga nos ipſos, eodem protſus amore ardenter nos diligit. Non ſic filij hominum non ſic, nam ſi filius alicuius regis terreni, videret patrem ſuum, vnum quemlibet etiam de infima plebe, in proprium ſibi aſſumere filium, & in ius regni, ſocietatemq; vocare, non poſſet ſanè, id æquo animo ferre, nimioq; dolore tactus vt alter Eſau, & fratres, forſitan & patrem ſuum, odio haberet. Sed vnigenitus tamen Dei filius, non ſolùm non inuidit nobis, ſed etiam ipſemet fuit magni conſilij Angelus qui venit vocare, non quidem iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Et ne tanta ipſius maieſtas terreret nos, factus eſt ſicut vnus ex nobis, vt nos faceret ſibi ſimiles. Texit ſicut Moyſes faciem ſuam, hoc eſt, lucem ſuam inacceſsibilem abſcondit ſub velo noſtræ mortalitatis, quo poſſet in terris, videri, & cũ hominibus conuerſari, ipſosq; dulcedine ſapientiæ ſuæ atrahere. Itaq; triginta tribus annis in negotio ſalutis noſtræ conſumptis, poſt multos labores, poſt immenſa diuinæ largitatis ſuæ beneficia mundo exhibita, tandem proprio ſanguine emit nobis hoc ſublime nomen filiorum Dei. Vnde poſt conſumatum opus redemptionis in die reſurrectionis dixit Mariæ Magdalenæ, Vade ad fratres meos, & dic eis, aſcẽ-
Ioa. 20 do ad Patrem meum, & patrem veſtrũ. Quo etiam nomine ſuauiſsimo in fundẽdis præcibus vt vteremur, nos docuit dicens, Cum oratis, dicite Pater noſter qui es in cœlis &c. cuius rei gratia ſpiritum ſuum nobis impertiuit: non enim auderemus hanc illi vocem opplorare, niſi confideremus, nos illi per ipſius gratiam eſſe filios, & illum nobis patrem propitium, dum non coacti, ſed ſponte, ex Spiritus ſancti nutu viuimus.

Sapienter ergo ſancta mater Eccleſia, in illa præfatiuncula, Præceptis, inquit, ſaluraribus moniti, & diuina inſtitutione formati, audemus dicere, Pater noſter qui es in cœlis, &c.

¶ Vaticinauit olim Hieremias Prophe- *Hie. 3.*
ta de hoc dulci loquendi modo, dicẽs, Patrem vocabis me: quod vtique de Chriſtiano populo ſumendum videtur, cuius non eſt timere cũ ſeruis Iudæis, ſed amare cum filijs Dei, Deum patrẽ ſuum, contemnereq; omnino exteriora temporalia, pro interioribus bonis, in quibus præcipuè, vera & perfecta eſt animi virtus. Nam iuxta ſententiam
Domini, regnum Dei intra nos eſt. *Mat. 5.*
Et cum ſpiritus ſit Deus, eos qui adorant eum, in ſpiritu, & veritate oportet adorare; Et, Beati mũdo corde, &c. ad hæc, nihil nobis pollicitus, aut cõminatus eſt Chriſtus temporalium, ſed omnia æterna, quò mentem noſtram ad cœleſtia raperet, ne metu, vt Hero, ſeruiremus ei, ſed amore coleremus vt patrem. Econtrà Iudaicus populus, totus erat in exterioribus poſitus, ſeruiẽs quidem Deo, non tamen ex corde, filialiq; conſtantia, ſed ad oculum tanquam ſeruus, idq; flagellorum vi coacti. Vnde Propheta, Quoties exacer- *Pſ. 77.*
bauerunt Deum in deſerto, & in iram concitauerunt. Et cum occideret eos, quærebant eum, & reuertebanrur, & diluculo veniebant ad eum. Et dilexerũt eum in ore ſuo, & lingua ſua mentiti ſunt ei, cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti ſunt in teſtamento ſuo. Denique, bonis viſibilibus, temporalibusq; promiſsis allecti, pœnisq; præſentibus conterriti, tamquam ſerui vix in officio, legisq; cuſtodia continebantur. Sed in lege Euangelica, omnia ſunt ſpiritualia, vt dictum eſt.

¶ Hæc tamen quæ dicta ſunt, in cõmuni inteligi debent: quoniam in particulari, vt dictum eſt, Sub omni lege inuenti ſunt non pauci, tàm ex ſeruis, quàm ex liberis. Ante Chriſti enim legem, fuerunt plures filij Dei, qui ſeruiebant Domino in lætitia, vltroq; fa- *Pſal.*

ciebant quidquid Deo gratum eſſe ſentiebant, licet illi, vt adnotauit Chryſoſt. *Chry.* nunquam iuſsi ſunt Deum pleno ore, vti nos, appellare Patrem: nec etiam libertas hæc filiorum, proueniebat illis à lege Moyſi, nec à lege naturæ, ſed à fide Chriſti venturi. Econuerſò, in populo Chriſtiano, inueniuntur complures ſerui, qui metu ſe abſtinent à vitijs, & quaſi coacti funguntur officio: nec id verò prouenit ex Euangelio, quod lex ignea eſt, filiosq; multos generans virtute ſacramentorum ſuorum: ſed ex praua carnis affectione, quæ ſuapte natura inducit ad ſeruitutem peccati. Vtcunq; ſe res habeat, omnis ille qui patrem Deum vocat, filium eius ſe eſſe profitetur, debetq;, vt ait Hiero. patri *Hiero.* in moribus ſimilis inueniri, ne nomine quoque in vacuũ vſurpato, maiori pœnæ ſubiaceat.

42. *In quo clamamus.*) Quis explicare valeat magnitudinem clamoris, quem Spiritus ſanctus edit in filijs Dei, non quidem voce tantùm exteriori, ſed intimo cordis affectu, altiſsimoq; pectoris ſpiritu, vt clamauit Moyſes pro filijs Iſrael, cui ſemel, licet ore tacenti dictum eſt à Domino, Quid clamas ad me? Et vt Dauid in ſuis calamitatibus clamauit Ad Dominum cum tribularetur, laborans in gemitu ſuo, lauans per ſingulas noctes lectum ſuum, ſtratumq; ſuum rigans lachrimis ſuis. *Pſal.* *Pſal.* Ita clamoribus laborauit, vt ipſe fateatur, fauces eius raucas factas, propter nimiam clamandi aſsiduitatem. Et beata Maria Magdalena, dum lachrimis ſuis tacens lauit dominicos pedes, & capillis ſuis terſit, quibus clamoribus eius animam benedictam clamaſſe exiſtimas? Audi ſententiam Domini dicentis, Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Ex ingenti amore, proculdubio ingens clamor proficiſcitur. Vnde Sponſa in Canticis, hu- *Cant.* iuſmodi clamoribus vtebatur, dum filias Hieruſalem adiuraret, vt inuentum Sponſum certiorem facerent ſuæ imbecillitatis & infirmitatis, nam vt ipſa fatetur, amore languebat, propter abſentiam, ſcil. dilecti ſui ſponſi. Huiuſmodi clamor eſt Deo valde gratus, penetrat cœlos, libenterq; offertur à ſanctis Angelis Dño, à quo etiã benignè ſuſcipitur & exauditur. Vnde Dauid, Ad Do- *Pſal.* minum, inquit, cum tribularer clamaui, & exaudiuit me. Et filij Iſrael, Clamauerunt ad Dominum, cum tribularentur, & exaudiuit eos.

45. *Abba, Pater.*) Hæc duo nomina, etiam inueniuntur in Græco: (*Abba,*) Hebræis, & Syris: Græcis verò (*Pater*) Latinis, Pater dicitur. His duobus nominibus, admonet Paulus, ambos populos, quibus ſcribebat, Iudæorum ſcil. & gentium, per vnum angularem lapidem Ieſum Chriſtum, conglutinatos eſſe in vnam Eccleſiam, atq; adeò in eandem filiationem ſuſceptos, vt pari iure compellare poſſent vnum Deum Patrem. Duplici autem iure dicitur Deus pater hominum, creationis ſcil. & redemptionis. Per creationem dicitur pater omnium, tàm fidelium, quàm infidelium, iuxta illud, Nũquid non ipſe eſt pater tuus, qui fecit *Deu. 32.* & creauit te? Cuius creationis beneficio, omnis creatura fit particeps diuinæ bonitatis. Per redemptionem verò, eſt pater Chriſtianorum tantùm, cuius gratia homines fiunt compotes diuinæ filiationis: iuxta illud, Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt *Ioa. 1.* in nomine eius. Quæ quidem paternitas ad totam pertinet Trinitatem, vtpote cui conuenit, nos in filios adoptare: vnde, tam hìc, quàm in oratione dominica, cum dicimus, Pater, Deus denotatur prout eſt communis tribus perſonis. At verò, per quandam attributionem, de prima quoque perſona, poteſt accipi, cum dicimus Deum Patrem. Illi enim eſt proprium generare filium ſuum naturalẽ, cuius nos ſumus fratres adoptitij. Et quemadmodum Chriſtus, per naturam eſt gloriæ ſplendor, & figura ſubſtantiæ patris ſui. Ita ſuo ordine & gradu, filij quoque adoptiui ſunt tales per lumen gratiæ.

¶ Teneritudinem autem diuini amoris conſidera, qui puerorum innocentium inſtar,

inſtar, vult à nobis compellari, Pater, Pater. Pueri enim Hebræorum balbutientes, ſic vocitabant patres ſuos dicẽtes, (*Abba*,) quod eſt pater. Quo ergo charitatis amore, nos Deus proſequitur, vult vt eum proſequamur: ipſe tenerè nos diligit, dum non ſolùm filios, ſed etiam filiolos, frequenter nos vocat in Euangelio: quo nomine etiam eſt vſus dilectus Chriſti Euãgeliſta Ioãnes erga ſuos diſcipulos, quos ſæpiſſimè vocabat filiolos: & nos quoque ſimiliter amatorem noſtrum tenerè diligamus. Hac enim de cauſa impartitur nobis, vt dictum eſt, Spiritum ſuum, quo enim vocitemus (*Abba Pater*,) quod eſt infantium purè diligentium parentes ſuos. Vnde in Epiſtola ad Galatas, Quia eſtis, inquit, filij Dei, miſit Deus ſpiritum filij ſui, in corda veſtra, clamantem Abba, Pater. *Gal. 4.*

44. *IPSE enim ſpiritus, teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filij Dei.*) Expoſitio eſt ſententiæ proximè dictæ, cuius ſenſus eſt, non fallitur homo cũ in ſpiritu ſancto, clamat Abba Pater. (*ipſe enim ſpiritus, teſtimonium reddit*) non quidem exteriori voce, ad aures hominum, ſicut pater proteſtatus eſt de filio ſuo circa Iordanem, de Baptiſmi aquis aſcendente, ſpiritu de cœlo miſſo, dicens clara voce, Hic eſt filius meus dilectus. Sed teſtimonium reddit, per affectum amoris filialis, quem in nobis facit, vnde dicit, Quod teſtimonium reddit, non auribus, ſed (*ſpiritui noſtro, quod ſumus filij Dei,*) & cum ſit ipſe, ſpiritus veritatis, imò ipſa veritas, falli, aut fallere non poteſt. Vel ſic, (*ipſe met ſpiritus*) qui in baptiſmo, cæteriſq; Eccleſiæ ſacramentis, eſt veluti pignus, ac ſymbolum paternæ charitatis, fidem facit (*ſpiritui noſtro,*) quod eius (*ſumus filij,*) qui pignus hoc dedit. Vel vt ait Hiero. teſtimoniũ adoptionis eſt, quod habemus ſpiritum per quẽ ita oramus, ſcil. clamantes, Abba Pater: tantam enim arram, vt ipſe ait, accipere non poterant niſi filij. *Hiero.*

¶ Cauendus eſt (hîc) error aſſerentiũ, quemcunque iuſtum certum fieri ſuæ in Deo reconciliationis & gratiæ, atq; ea quidem certitudine, vel ei ſimili, quæ eſt fidei catholicæ, putà, quæ omnem prorſus auferat dubitationem. Damnatus eſt hic error in ſancta Synodo Tridentina, tanquam veritati, & fidei noſtræ contrarius. Primus enim Sapiens dicit, Nemo ſcit, an odio, vel amore dignus ſit. Quod inteligi poteſt, tùm, de prædeſtinatione, quæ occultiſsima eſt, nemo enim lege communi ſcire poteſt, quo deſtinatus ſit, an in vitam, an verò in mortem. Tum etiam, de gratia præſenti, cuius obiectum eſt Deus ipſe, cauſa verò, ſua gratuita voluntas, quæ cum ſit occulta, non poteſt, niſi per reuelationẽ, tanta certitudine nobis innoteſcere. Peccatum autem, benè à nobis cognoſci poteſt: nam obiectum eius eſt bonum commutabile, quod eſt nobis notiſsimum: principium verò, eſt noſtra ſola voluntas: itaque cum homo peccat, cognoſcit manifeſtè, quod ſit dignus odio, indignusq; amore Dei. Cum autem rectè, ſanctéq; viuit, neſcit, certitudine fidei, an ſit dignus amore, vel odio Dei. Tamen per coniecturas, cognoſcere vtcunque poteſt, ſe eſſe in gratia Dei. *Seſs. 6. c. 9. 12. 13. et can. 13. 14. Eccls. 9.*

¶ Deinde beatus Iob, Si venerit, inquit, ad me, non videbo eum, ſi abierit, non inteligam: & etiam ſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea. Et idem, Verebar, inquit, omnia opera mea, ſciens, quod non parceres delinquenti. Hæc omnia faciunt contra certitudinem gratiæ. Super quibus elegãter beatus Gregorius, Sæpe, inquit, mẽs dum de virtutis ſuæ ſecuritate reſoluitur, inſidiante aduerſario, inopinatæ culpę telo perforatur. Vnde, ignorante homine, recedit Dominus ab eo. Et ſuper hoc verbo, etiam ſi ſimplex fuero, &c. dicit idem Gregorius, ſunt nonnulla, quæ ſciri à nobis facilè nequeũt. Nam ſæpe recto ſtudio, contra delinquentium culpas accendimur, & cum vltra æquitatis metas per iram rapimur, hoc zelum iuſtæ diſtrictionis æſtimamus. Et cum prædicantis mens vtiliter placere ſtudeat, ad amorem laudis *Iob. 12.* *9. mor. c. 10. 18. 19.*

dis propriæ turpiter defluit, atque ita
horrendo modo, vnum idemq; opus
culpa peragit, quod virtus inchoauit.
Et idem, Humanus, inquit, animus, im-
menſa cogitatione caliginoſus, ſemeti-
pſum, etiam diſcutiendo, non penetrat.
Et idem, Iuſtorum, inquit, corda, ad
perfectum ſe examinare nequeunt. Me-
ritò ergo, beatus Iob, Verebatur omnia
opera ſua.

1.C.4. Tertiò beatus Paulus, in priori ad Co-
rinthios Epiſtola, ita dicit, Mihi autem
pro minimo eſt vt à vobis iudicer, aut
ab humano die, ſed neq; meipſum iudi
co: nihil enim mihi conſcius ſum, ſed
nec in hoc iuſtificatus ſum. Iudicium
humanum, quod humanum vocat diẽ,
fallax eſt, non ſolùm quod alter de al-
tero profert, ſed etiam de ſe ipſo: vn-
de pro minimo ducit, quantum ad ſa-
lutis certitudinem attinet, iudicium
humanum, ſiue ſit proprium, ſiue alie-
num: nec valet argumentum ex nega-
tione ad affirmationem, nihil mihi cõſ-
cius ſum, ergo ſum iuſtus. Propterea
dicit, nihil mihi conſcius ſum, ſed non
in hoc iuſtificatus ſum. Sicut enim vnus
de alio non poteſt infallibilem ferre
ſententiam, ita neq; de ſe ipſo. Solum
iudicium Dei, eſt iudicium verum &
infallibile, vtporè cuius oculis omnia
ſunt nuda & apperta. Vnde alibi, idem
1.C.1. Apoſtolus, Nolite, inquit, ante tempus
iudicare, donec veniat Dominus. Et
Pſ.18. regius Vates Dauid, Ab occultis, in-
quit, meis, munda me. Et filius eius
Pro.20. Salomon, Quis poteſt dicere mundũ
& 28. eſt cor meum, purus ſum à peccato?
Eccl.5. Et, Beatus homo qui ſemper eſt paui-
dus. Et de propitiatio peccato, noli
eſſe ſine metu. Peccatorum etiam eo-
rum quæ ſunt per pœnitẽtiam remiſſa,
Lyra. vt ait, Lyra. ſanè quam neſcias, fuerit
ne ſufficiens. Ex his & alijs quàmplu-
rimis ſcripturæ locis, facilè conſtat in
præſenti vita, niſi Deo reuelante, non
poſſe haberi diuinæ gratiæ teſtimoniũ,
omni ex parte certiſsimum, quale eſt
teſtimonium ſacræ ſcripturæ. Hæc au-
tem ambiguitas & incertitudo ideò
permittitur, vt dũ homines dubij ſunt
de ſalute, fortius agant pœnitentiam,
& magis ad miſericordiam prouocent
Deum, vt ait Hiero. Vnde beatus Aug. Hiero.
Quantalibet, inquit, iuſtitia præditus Ion.3.
ſit homo, timere debet ne aliquid oc- Aug. de
cultum lateat. p. rſ. uaſ.

¶ Benè tamẽ ſumũtur argumenta pro-
babilia diuinæ gratiæ, quæ faciunt ho-
minem lætum, & iucundum. Qualia
ſunt, rectum conſcientiæ teſtimonium,
iuxta illud, Gloria noſtra hæc eſt, teſti- 2.C.1.
monium conſcientiæ noſtræ. Et meri-
tò id quidem: nam, vt Prouerbio dici-
tur, Conſcientia, mille teſtes. In ſũma,
omne opus bonum æquo animo patra-
tum: nam, vt doctiſsimè Alexander
de Ales docet, cognitione ſpeculatiua, 3. p. mat.
non eſt gratia Dei cognoſcibilis, ſed de grat.
tantùm effectiua, & experimentali, ſcil.
per effectus. Vt quando homo non
habet propoſitum male agendi: quan-
do frequenti meditatione Dei, dulcedi-
nem ſentit, & ſuauitatem. Sed eſt, in-
quit, iuxta dictum Hipocratis, experi-
mentum fallax, nam ijdem effectus eſſe
poſſunt in eo qui eſt in peccato, ſaltem
vbi eſt vincibilis ignorantia, vt in hæ-
retico. Alexandrum ſecutus eſt D. Th. Th. 1.2.
cum omnibus ſcholaſticis. D. Bernar- 17.
dus, ſuper illud Ioannis, Tres ſunt qui 1. Ioa.5.
teſtimonium dant in terra, ſpiritus, a- Ser. 1. &
qua, & ſanguis: teſtimonia, inquit, gra- 2. in oct.
tiæ Dei ſunt, aut nullam habere con- Paſc.
ſcientiam peccati poſt baptiſmum, aut
lachrimarũ fonte eorum ſordes ablue-
re, mox iugibus pœnitentiæ fructibus,
corpus affligere, & veluti ſanguinolento
martyrio prauas affectiones perimere,
ac denique in operibus ſpiritualibus
exerceri. Auiditas quoq; audiendi ver-
bum Dei, eſt congruum argumentum
diuinæ gratiæ, iuxta illud Saluatoris, Ioa.8.
Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Mẽ-
tis quoque dulcedo, non parum facit
ad hoc, de qua in Apocalyp. Vincenti, Apoc.2.
inquit Dominus, dabo mannà abſcõ-
ditum, quod nemo nouit, niſi qui ac-
cipit. Hæc, & id genus alia, poſſunt
quidem ſedare conſcientias, & confir-
mare ſpem, non tamen pertingunt vſq;
ad certitudinem fidei. Et ſi obijcias
quod

quod martyrium eſt certum argumentum diuinæ gratiæ, ex eo quod iuxta ſanctorum doctrinam, omnia per illud condonantur crimina: dicendum, quod quanuis martyr magnam habet fiduciam ſalutis ſuæ, non habet tamen fidẽ Catholicam nullum ei ineſſe impedimentum, placereq; Deo ſuum ſacrificium, niſi per ſpecialem reuelationem certior fiat. Quam quidem reuelationem, & multis legimus, & omnibus credimus factam: quæ vtique non fuiſſet neceſſaria, ſi actus ipſe eſſet infallibile teſtimonium: nam hæc omnia etiam in hæretico videri poſſunt, dum magno animi robore, & ardore (vt putat charitatis) ſeſe offert incendio & flamis, ſicuti verus Chriſtianus. Omnis enim actus habens ſpeciem charitatis, quantum ad ſubſtantiam attinet, communis eſt illis etiam qui ſunt in peccato, maxime dum aliqua tenentur ignorantia. Sed coniecturæ veræ iuſtorum à falſis hæreticorum, diferunt penes hoc, quod illæ proueniunt iuſto ex parte obiecti. Hæ verò hæretico ex parte ſubiecti. Et ſic illorum eſt certitudo obiecti, iſtorum verò ſubiecti: vt ait quidam Doctor. *Soto.*

¶AD deffenſionem autem ſui erroris, vſurpabat ille iniquus Luther, fidem, non pro alia quàm pro fide viua. Et quemadmodum ſcire poſſumus, nos habere fidẽ, putabat ſcire etiam poſſe, nos habere charitatẽ, quod eſt falſum, quia, vt dictum eſt, aſſenſus intelectus, ex nulla diuina acceptatione dependet, & ideo notiſsimum eſt vnicuique fidẽ habere de Euangelio. Gratia verò & amicitia Dei, in diuina beneuolentia conſiſtit, quæ nobis eſt ignota. Deinde, gratiarum dona quæ per Chriſtum donantur & promittuntur iuſtis, ideſt, illis, qui ei ſunt charitate coniuncti, aiebat, per eandem fidem notum eſſe ſingulis, talia dona verè recepiſſe. Sed neque hoc dici debet, cum omnis promiſsio Dei, facta ſit ſub conditione, dicendo, Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Et, Si quis diligit me, diligetur à Patre meo, &c. Et, Si *arti. 14. ſuarũ aſſertionũ.*

impius egerit pœnitentiam, &c. Per fidem ergo credimus quod Deus hæc faciat promiſſa, paratusq; ſit illa adimplere omnibus obtemperantibus ſibi: ſed de hoc certitudinem fidei non habemus, ſicut habemus de promiſsis Dei. Tertiò, fidem & fiduciam pro eodem ſumit ille, cum fides ſine fiducia poſsit frequenter inueniri: nam fides eſt mentis aſſenſio, qua veras eſſe credimus reuelationes Dei, atque adeò promiſsiones ipſas. Fiducia autem, vt ait D. Tho. eſt robur ſpei pertinens ad magnanimitatem, & licet à fide originẽ habeat, non firmatur tamen niſi ex charitate, & rebus iuſtis, quibus Deus nobis præcepit iuſtitiam colere. Non enĩ dicit ſcriptura, quod fides foras mittit timorem, ſed charitas, & ideò quantalibet quis polleat fide de diuina veritate, ſi non adhibeat opera, fidẽ quidem habebit catholicam, non tamen fiduciam: quæ quidem per vigilantem conſcientiæ diſcuſsionem, & pœnitentiam perficitur. Nullius enim culpæ conſcius, confidere poſſum & debeo, in miſericordia Dei, qui nõ permittet me errare, nec diſpiciet cor contritum & humiliatum. Et de tali fiducia præceptum habemus à Chriſto, dum ait, Nolite timere, puſillus grex. Non tamen iubemur habere fidem, ideſt, firmam perſuaſionem ſalutis noſtræ. Quantacunque enim fiducia fuerit, nũquam perueniet ad certitudinem fidei, in particulari aſsiſtentis gratiæ. Eſt autem fiducia, vnicum ſolatium miſeris peccatoribus. In quo, inquit Apoſtolus, habemus fiduciam, & acceſſum per fidem eius. Et beatus Euangeliſta Ioãnes, Chariſsimi, inquit, ſi cor noſtrũ non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum. Si cor, inquit, noſtrum, non reprehenderit nos. Ex quo manifeſtè patet, quod fiducia non inuenitur cum conſcientia peccati mortalis: nam cum ſpe veniæ peccare, præſumptio potius, quàm fiducia dicitur. Poſtremò, omne teſtimonium Spiritus ſancti, inquit, facere nobis certitudinẽ fidei, vt ſcil. ei conſtringamur firmum aſſenſũ præbere, ſicut fidei Catholicæ: *Th. 22. q. 129.* *Luc. 12.* *Eph. 3.* *1. Ioa. 3*

cũ

cum res longè aliter ſe habeat, vt iam dictum eſt, nimirùm, quod faciat cognitionem coniecturalem, quæ quanuis ſufficiat tranquillas reddere conſcientias eorum, qui omni ſtudio per gratiam Dei curant mundare corda, non tamen pertingit talis cognitio vſq; ad certitudinē fidei, vt ſecuri eſſe poſſimus, huiuſmodi coniecturas & indicia à Spiritu ſancto proficiſci: ſcientes quod etiam Sathanas transfigurat ſe frequenter in angelum lucis. Quapro-

Ber. ſup Cāt. ſer. 17. pter beatus Bernardus in quodam ſermone, eleganter nos docuit, dicens, Orandus eſt tantùm Deus, vt cuſtodiat corda noſtra, & inteligentias noſtras, ne fortè eum non aderit, adeſſe putemus: noſtrumq; pro ipſo ſequamur ſenſum, deuiantes. Venit namque & vadit prout vult: & nemo facilè ſcit vnde venit, aut quò vadat. Et quanuis addat, quòd periculoſiſsimè ignoratur, quādo veniat, aut vadit, & ideò inuigilandum nobis eſſe, vt ſenſum aliquem habeamus eius acceſſus, & receſſus: non tamen inteligit, quod illum vel aduentantem, vel abeuntem, certa valeamus ratione deprehendere. Et in

Ser. 74. alio ſermone, ſuper eiſdem Cant. vbi in ſeipſo graphicè depingens ſenſus intrātis, & exeuntis, tandem concludit hæc verba, ex renouatione, ac reformatione ſpiritus mentis meæ, ideſt, interioris hominis mei, percepi vtcunque ſpeciem decoris eius. Non dicit, certè, & euidenter, ſed vtcunque. Et in quadam

Ep. 42. epiſtola ad Archiep. Senonenſem, prauum, inquit, eſt cor hominis & inſcrutabile: ita vt nemo ſciat quæ ſunt in homine, niſi ſpiritus hominis, qui in eo eſt: ſed nec ipſe plenè. Nam cum Apoſtolus diceret, Mihi pro minimo eſt vt à vobis iudicer, aut ab humano die, adiecit, ſed nec ego me ipſum iudico. Quare? Quoniam non poſſum, ait, rATtam, vel ipſe de me, proferre ſententiā. Ego enim nihil mihi conſcius ſum, nō tamen in hoc iuſtificatus ſum. Non ex toto credo me, vel ipſi conſcientiæ meæ: quippe cū ne ipſa quidem queat me comprehendere totum, nec poteſt iudicare de toto, qui totum non audit, qui autem iudicat me, Dominus eſt. Dominus, inquit, cuius vtique ſcientiā non effugit, cuius ſentētiam non ſubterfugit, etiam quod propriam latet conſcientiam. Audit Deus in corde cogitantis, quod non audit vel ipſe qui cogitat. Et in alio Serm. contra incer- in Oct. Epi. ſer. 2.
titudinem perſeuerantiæ, inquit, quòd licet nunquam ſine teſtimonio electos ſuos deſerat Deus, nouit tamen Dominus, qui ſunt eius, & ſolus ipſe ſcit quos elegerit à principio. Et addit, Quis verò ſcit hominum, an ſit dignus amore, vel odio? Quod ſi vt certū eſt, certitudo nobis omnino negatur, nunquid non tantùm delectabiliora erūt ſi qua nobis electionis huius ſigna poſſimus inuenire? quam enim requiem habere poteſt ſpiritus noſter, dum prędeſtinationis noſtræ, nullum adhuc teſtimonium tenet?

¶ Hæc autem teſtimonia, ſiue indicia, ſiue coniecturæ Spiritus ſancti, non æqualiter omnibus contingunt: maiora enim vel minora ſunt pro ſanctitatis cuiuſq; gradu, & perfectione. Quanto quiſque in fide, quæ per charitatem operatur, auidius ſe exercuerit, tanto maius teſtimonium à Spiritu ſancto accipiet, quod filius Dei ſit. Hoc eſt igitur quod in hoc loco dicit Paulus, quod ſcil. ipſe ſpiritus diuinus, ſpiritui humano in quo inhabitat, occulta ſuggeſtione teſtimonium perhibet, quod veri ſimus filij Dei. De cuius teſtimonio nihil eſt dubitandum, cum ſit ipſe, ſpiritus veritatis.

45. *SI autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, vt conglorificemur.)* Magna Chriſtianorum dignitas, quia filij Dei ſunt: magnæ diuitiæ, & gloria, quia hæredes Dei, & cohæredes Chriſti ſunt: magnum prætium, quo hæc adipiſcuntur omnia, nimirùm, paſsio Chriſti, & noſtra: vtraque enim eſt neceſſaria, propterea, inquit, *(ſi compatimur, &c.)* ſed noſtra tamen per ſe nihil valet, paſsioni verò Chriſti adiūcta, omnia valet. Eſt enim Chriſti paſsio, in-

infiniti valoris. Cum igitur diuinus Apoſtolus, ſententia proximè dicta aſſeruiſſet, quod Spiritus ſanctus teſtimonium nobis Chriſtianis perhibet quod ſumus filij Dei, mox rectè colligens, dicit, *(ſi autem filij)* ſumus, non ſerui, nimirùm ſumus *(& heredes,)* nam filijs debetur hæreditas, *(heredes quidem Dei,)* à quo velut autore proficiſcuntur omnia, *(coheredes verò Chriſti,)* cuius corpori per baptiſmum inſiti, patrem cum eo cœpimus habere cõmunem, & per hunc in ius communis hæreditatis peruenimus. *(Si tamen cõpatimur, vt conglorificemur,)* ac ſi diceret, huius hæreditatis poſſeſsio, non aliter continget, quàm ſi eadem via ad illam tendamus, qua Chriſtus ipſe peruenit. Ille ferendis malis, peruenit ad bonorum poſſeſsionem: per obedientiam, venit ad regnum: per ignominiam, venit ad gloriam: morte, peruenit ad immortalitatem. Patiendum igitur nobis cum illo, vt cum eo bonorũ contingat fruitio: obediendum, vt cum eo regnemus: ferenda probra mundi, vt cum illo ſimus glorioſi: moriendum ad tempus cum illo, vt cum illo ſemper viuamus.

46. *SI autem filij, & heredes.)* Hæc illatio, ſecundum leges humanas, neceſſaria eſt, ſi accipiantur filij pro adoptiuis: quoniam in hoc adoptantur, vt in bonis ſuccedant adoptantium. Secùs de legitimis & naturalibus, quorũ primogenito ſolet quàmpluries contingere hæreditas integra, vt legitur de Abra-
Gen. 25. ham, qui ſoli Iſaac reliquit hæreditatẽ, cæteris autem filijs, elargitus eſt quædam munera. In hoc igitur, Apoſtolus Paulus, illationem fundat, quod de filijs adoptiuis ſermonem facit impræſentiarum. Extollit etiam ſimul dignitatem Filiorum Dei, charitatemque & magnificentiam omnipotentis Dei, qui non ſolùm primogenitum ſuum, ſed omnes etiam filios in ius recipiat æter-
1. P. 1. næ hæreditatis, iuxta illud Petri, Regenerauit nos in ſpem viuam, in hæreditatem: & hoc, non deffectu naturalis filij, cum illum habeat, & ſibi coæqualem: nec cauſa ſuæ propriæ vtilitatis, cum bonorum noſtrorum non indigeat, exiſtens ipſemet bonorum omnium indeſſiciens theſaurus: neque verò in diuerſam, vel in aliquam particulam tantùm huius hæreditatis acceſſiuit nos, ſed in eandem ipſam quæ filio ſuo vnigenito, & naturali debetur.

Hæreditas autem hæc noſtra, non eſt aurum, vel argentum, nec quidquam bonorum viſibilium, ſed eſt ipſemet Deus, ſumma noſtra fœlicitas, ſumma veraq; hæreditas, qui non per partes communicatur ſuis, nec dum communicatur, aliquid amittit, aut minus in ſe habet: ſed (veluti Sol,) vt latiſsimè beando profunditur, ita eſt eius gloria conſummatiſsima. Propterea Dominus pars hæreditatis meæ, aiebat Dauid. *Pſ. 15.*
Et ipſe Dominus ad Abraham, Noli ti- *Gen.*
mere Abraham, ego merces tua magna nimis. Non eſt cur timeas malum, tanti boni expectatione. Hæredes ergo Dei ſumus, quia ſua ipſius diuinitate, eius faciem conſpicientes, participabimus. Vnde Saluator noſter, Hæc eſt, inquit, vita æterna, vt cognoſcant te, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.

Hæreditas hæc fœliciſsima, non humano more per mortem prædeceſſoris cõtingit: eoquod hominum hæreditas, cum ſit tẽporalis & exigua, non poteſt vtrique, videlicet, ſucceſſori, & præceſſori ſufficere: ſed per conſortium Dei viuentis in ſecula ſeculorum. Quanuis etiam in ea, non defficiat id, quod in humana hæreditate eſt perfectionis: nimirùm, vt teſtamentum morte teſtatoris confirmetur, quoniam iuxta A- *Heb. 9.*
poſtolum, teſtamentum, in mortuis confirmatur: alioquin nondum valet, dum viuit qui teſtatus eſt. Quapropter, ſicut vetus in ſanguine hircorum & vitulorum dedicatum eſt, ita & nouum pretioſiſsimo ſanguine Chriſti: per quem aditus ad hæreditatem patefactus eſt, quem ſanguis hircorum reſerare nequiuerat. Vnde ſtatus antiquorum, etiam electorum qui in filios erant recepti, non fuit omnino liber, qualis eſt ſtatus Chriſtianorum.

Quan-

Quanquã enim eſſent electi, in filiosq; recepti, erant tamen, vt ſuprà dictum eſt, tamquam paruuli, nihil differentes à ſeruis, viuentes ſine libertate propriæ voluntatis, & ſub timore atque cuſtodia, eisq; nimium differebatur hæreditas. vnde quidam illorum nimio dolore affectus, conquerebatur de mora
Pſal. accipiendæ hæreditatis, dicẽs, Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt. Nobis autem Chriſtianis, non ſic: quia, niſi per nos ſteterit, ab hac vita, abſq; mora euolatur ad æternam. Vnde, rectè colligit dicens, Si filij, & hæredes.

47. *Cohæredes autem Chriſti.)* Dictũ eſt, quod diuino numine afflati, Deum vocamus (*Abba Pater,*) cuius idcirco ſumus filij & hæredes, Chriſti verò cohæredes, quia frater noſter eſt, primogenitus tamen & naturalis, conſtitutusq; proinde hæres vniuerſorum, & vt ſit caput noſtrum, & Dominus noſter, nos verò famuli, & membra eius: ſumus tamen hæredes cum illo bonorum Dei. Primò, quia eodem conſpectu Dei fruituri ſumus quo ille, qui ſummo gradu fruitur illo. Deinde quantum ad corpus, quod per illum reformabitur, vt maneat configuratũ corpori claritatis ſuæ. Ad hæc, locus habitationis gloriæ, erit idem Domino & ſeruis ſuis, dicente ipſo, volo Pa-
Ioa 14. ter, vt vbi ſum ego, illic ſit & miniſter meus. Præterea ipſe Rex regum, & Do
Apo. 19. minus dominantium: ſacerdosq; in æ-
Pſal. ternum. Serui eius Reges & ſacerdo-
1. P. 2. tes. Ipſe Princeps Regum terræ: ſer-
Pſ. 44. ui quoque Principes ſuper omnem ter-
Orig. ram conſtituti. Ipſe iudex vniuerſorũ:
Mat. 19 ſerui etiam eius cum illo ſedebunt, iudicantes cunctas nationes. Beati ergo ſerui tui qui audiunt ſapientiam tuam, & aſſiſtunt coram te omni tempore: nam cum apparueris Domine, ſimiles tibi erunt in gloria: in hoc eos elegiſti ante mundi conſtitutionem, vt conformes fierent imagini pulchritudinis tuæ. Gaudeat Chriſtianus ſpe tantæ gloriæ filiorum Dei, lætetur ob libertatem tantam, & nobilitatẽ ſibi Chriſti ſanguine conceſſam. Chriſto Domino ſummas gratias agant, per quem omnia ſibi bona contingunt.

48. *SI tamen compatimur, vt conglorificemur.)* Hoc facit contra hæreticos *Luth.*
Lutheranos, negantes operum merita, dum ſic arguũt, dicentes: ſi nulla ſunt merita reconciliatricis gratiæ, per quã filij conſtituimur, minimè vlla ſunt vitæ æternæ: nam ſi filij, inquit Paulus, & hæredes. Reſponſio contra iſtos eſt facilis: imprimis, Apoſtoli mens per hæc verba, non eſt auferendi merita vitæ æternæ, nam ſi talis eſſet, non ſtatim adderet, (*ſi tamen compatimur, &c.*) Deinde quanuis per adoptionis gratiam, filij conſtituamur, non protinus ſequitur quod ſi gratiam nulla præcedunt merita, nulla quoque eſſe merita vitæ æternæ: nam præterquàm quod officia iuſti quæ à gratia proficiſcuntur merita ſunt auctioris gloriæ: ipſæ quoque diſpoſitiones gratiæ, quæ, vt ait
quidam doctor egregius, non ſunt ipſius gratiæ merita, ſunt nihilominus *Soto.*
merita gloriæ, quatenus eadem gratia, eodem temporis inſtanti veſtiuntur, hoc eſt, quatenus ſunt opera grati hominis. Et D. Auguſt. exponens illud, *De lib.*
Gratia Dei, vita æterna: quia, inquit, *arb. c. 6.*
gratia, per quam opera noſtra habent, vt ſint merita, gratis nobis donatur, vita æterna dicitur & eſt gratia. Per hæc igitur Apoſtoli verba, excitantur ſocordes & ignaui ad ſtudium bonorũ operum, commonenturq; omnes, ne in vacuum gratiam Dei recipiant, ſed aſſidua virtutum exercitatione eam excolant, laborantes cum Chriſto, vt ad ipſius gloriam perueniamus, &c. vt ſuprà. Vnde quemadmodum ſuperiùs, poſt gloriæ ſpem filiorum Dei, mentionem continuò fecit gloriæ in tribulationibus, ita & nunc poſtquàm dixit, quod ſumus filij & hæredes Dei, & cohæredes Chriſti. Subdit, ſi tamen cõpatimur, vt conglorificemur. Quoniam vt alibi inquit, Non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit.

49. *Exiſtimo enim quod non ſunt condigna paßiones huius temporis ad futurã glo-*

gloriam.) Futuram gloriam cõmendar, vt præſentes præſſuras faciliùs toleremus. Dictum eſt qua lege aditur hæreditas, nimirùm, lege compaſsionis, dũ *Act.14.* ait, *(ſi tamen compatimur &c.)* Nam per multas tribulationes opportet nos intrare in regnum Dei: quod eſt hæreditas promiſſa, quæ cum ſit immortalis ac tanta, vt omnem humanæ mentis captum, & æſtimationem tranſcendar, ſi omnes huius vitæ aflictiones in vnum hominem conferas, leues erunt, ſi æſtimentur ad futuram gloriam, hoc eſt, ad futuræ gloriæ præmium, quod illis paratur, ac velut emitur incõmodis.

50. *Exiſtimo.)* Plus ſignificat quàm cogito, aut reputo: poteſt enim vnuſquiſque etiam quæ non credit cogitare: ſed dicendo exiſtimo, perinde eſt ac ſi diceret, Scio, certiſsimè mihi perſuaſum habeo.

51. *Paſsiones.)* Emphaſim habet, quoniam non ſolùm mandata Dei abſque noſtro detrimento facere, verùm & anguſtias, calamitates, & cruciatus, & mortem, pro illo perpeti, non æquatur illi gloriæ.

52. *HVIVS temporis)* Breuitatem præſentium laborum deſignat: omne enim tempus, ad æternitatem comparatum, pro momento reputatur. At verò quanuis omnis vitæ labor, ſit veluti momentaneus, ex illo tamen depen- *2.C.4.* det æternitas vitæ: iuxta illud Pauli, id quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ, æternum gloriæ pondus, ſupra modum in ſublimitate, operatur in nobis.

53. *AD futuram gloriam.)* Nomen ſplendoris eſt, quo homines ad laborum tolerantiam maximè excitantur. Eſt autem infinita diſtantia inter gloriam mundi præſentem, & gloriam cœli futuram: illa enim cum ſit temporalis, velociter tranſit: hæc verò quia æterna, permanet ſine fine. Illa eſt vana, quia eſt in his quæ ſunt extra hominem, vt in opinione hominum, & in appatatu diuitiarum, in quibus gloriãtur homines: *Pſal.* hæc autem de his eſt quæ ſunt intra hominem, nimirùm, de viſione beata, de amore ardentiſsimo erga Deum, de honore ſublimi, lætitia inæſtimabili, gaudio perpetuo, ſplẽdore fulgentiſsimo, pace pulcherrima, quæ omnia in nobis ipſis exiſtent. In illa denique nulla requies, in hac ſumma comprehenditur.

54. *NON ſunt condigna.)* Iuſtorũ opera, quæcunque illa ſint ſiue magna ſiue parua, ſi ſecundum ſe conſiderentur, & perpendantur, vt porrigere ſitienti potum aquæ frigidæ, duo èlargiri minuta, aut omnem prorſus erogare ſubſtantiam in ſubuentionem egenorum, & tradere corpus ardenti rogo vt comburatur, nullo poſſunt momento librari cum pondere illius infinitæ gloriæ. Et hoc videtur in hoc loco docere Paulus dum ait, *(Paſsiones huius temporis,)* videlicet, quæ bonis nos huius temporis orbant, cum illis æternis nulla proportione conferũtur. Si autem conſiderentur huiuſmodi paſsiones, in quantũ eas aliquis voluntariè ſuſtinet propter Deum ex charitate, quam in nobis Spiritus ſanctus facit, ideſt, quatenus opera, amicorum & filiorum Dei ſunt, ipſius operantium fauore, condigna quidem huiuſmodi gloriæ ſunt, tanquam mercedis ipſis propoſitæ, hoc eſt, ex condigno, vt aiunt Scholaſtici, per huiuſmodi paſsiones meretur homo vitam æternã. Nam Spiritus ſanctus, cuius fauore hęc fiunt. eſt fons, cuius aquæ, ideſt, effectus ſaliunt in vitam æternam, vt inquit *Ioa.4.* Saluator noſter Chriſtus.

Quanuiſ autem, iuxta hanc Pauli ſententiam, multum valeat, magnitudinis præmij conſideratio, ad agrediendum ardua & dificilia virtutis vt ſe feciſſe fatetur regius Vates Dauid, dum pro- *Pſ.118.* pter retributionem inclinauit cor ſuũ ad faciendas Dei iuſtificationes inæternum. Valeatq; tantundem ad cunctos labores æquo animo ſuſtinendos, vt verba beati Iacobi, ſatis præſeferunt, *Iac.1.*

cum inquit, omne gaudium exiſtimate fratres chariſsimi, cum in varias tentationes incideritis: ac proinde licitum ſit ad hæc fatigatis conſpicere. Egregia tamen & ſelectiſsima in rebus aduerſis meditatio eſt, Deum ipſum ſolum præ oculis habere, totaq; mente conſpicere, qui per ſe, ob ſuam ipſius incomprehenſibilem bonitatem, omni obſequio & ſeruitio dignus eſt: præterquàm quod tormenta & dolores filij Dei pro nobis in cruce ſuſpenſi, nullis nos poſſumus noſtris compenſare.

55. *QVÆ reuelabitur in nobis.)* Aliqui legunt, (*quæ reuelabitur in nos,*) & refertur ad gloriam quæ Deus ipſe eſt, quæ in nos tunc irradians effundetur. Legendo verò, (*in nobis*) ſignificat proculdubio gloriam & fœlicitatem quæ in nobis exiſtet, cuius, licet iam pignus habeamus vt diffidere non oporteat, nondum tamē ob corpus hoc, morti & doloribus obnoxium, abſoluta plenaque eſt. Fœlicitas igitur hæc, & vita beata, quam nec oculus vidit, & modo abſcondita eſt cum Chriſto in Deo, tum (*reuelabitur in nobis ipſis:*) guſtus interim quidam occultus datur intùs per ſpiritum: ſed ea tota profertur cum reſuſcitatis corporibus, &
Col. 3. abiecta omnis mortalitatis iniuria, cū Chriſto immortali, regnabimus immortales.

56. *NAM expectatio creaturæ, reuelationem filiorum Dei expectat.)* Per proſopopœiam, dicta ſunt hæc, illo ſcil.
Chry. ſchemate, vt ait Chryſoſt. quo in Scriptura fluuij dicuntur plaudentes, colles q; & montes ſaltantes: & eſt efficax argumentū illius infinitæ gloriæ, nam id quod omnis creatura tam anxia expectatione deſiderat, non poteſt eſſe, niſi ſummum bonum. Tanta igitur erit tunc illa futura gloria, quæ in nobis reuelabitur, vt vniuerſa hæc quoq; mundi fabrica, & omnis quæ in eo eſt creatura, (*expectat*) velut optans (*reuelationem filiorum Dei:*) hoc eſt, cum diem, quo iam abſoluto numero filiorum Dei, pateſiat illorum gloria, ſcilic. perfecta tam ex parte animæ, quàm corporis.

57. *Expectatio expectat.)* Hæc verborum geminatio intenſionem expectationis deſignat, teſte D. Th. vt ſit anxia & vehemens expectatio: ipſa, ſcil. Tho.
creatura vehemēter anxia: qualis erat Dauid cum dicebat, Expectans expectaui Dominum. Pſal.

58. *Vanitati enim creatura ſubiecta eſt.)* Ecce prima cauſa propter quam tantopere creaturæ deſiderent filiorum Dei abſolutam glorificationem, nimirùm, participatio infœlicitatis humanę, ſeu fruſtratio eius finis, cuius gratia vniuerſa ſunt condita. Nam filij Dei, dum onerati adhuc mortali corpore, fame, ſiti, morbis, doloribus, varijsq; malis afliguntur, videtur & ipſe mundus, aliquo modo particeps infœlicitatis humanæ, propterea quod terra, aqua, aër, ipſa corpora cœleſtia, deniq; & ipſi Angeli, in hoc condita videntur, vt hominum neceſsitatibus obſeruiant durante tempore, ſed cum hoc Heb. 1.
fine careant omnia, dicuntur vanitati ſubdita. Vanitas enim eſt, proprio carere fine, vt ait S. Tho. Poteſt etiam Tho.
ſumi vanitas, pro vanis hominibus, abſtractum pro concreto, iuxta morem ſcripturæ. Omnis igitur mundi creatura optat tempus iudicij, tùm quia non poteſt iuuare homines iuſtos, inſeruireq; illis prout decet: tùm etiam quia ſeruit peccatoribus. Sed vtrumq; facit inuitè, propterea dicit,

59. *NON volens.)* Creatura non ſeruit iuſtis prout vellet, peccatoribus autem ſeruit inuita: atque ita vtrinq; fert ſeruitutem (*non volens,*) dum non iuuat iuſtos, dum ſeruit iniquis. Quare autem hoc ita fiat, ſubiungit, dicens.

60. *SED propter eum qui ſubiecit eam.)* Quaſi dicat, mundus, hanc ideò fert ſeruitutem, vt obtemperet ei, cuius voluntate, huic ſeruituti addictus eſt: nā Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos,

malos, pluit ſuper iuſtos & iniuſtos: vt ſic ſuam nobis patefaciat infinitam mi ſericordiam, doceatq; nos ſimiliter facere, diligentes inimicos noſtros propter eum, quem pluſquàm nos ipſos diligere debemus. Sumentes de hoc exemplũ, ab ipſa etiam inſenſibili creatura. quæ, vt dictũ eſt, ſeruitutem hominũ inuita fert, (*propter eum qui ſubiecit eam*,) ideſt, propter Dominũ ſuũ, & noſtrum, qui ita rem ordinauit.

61. *IN SPE.*) Hæc eſt alia cauſa, qua mundus tolerabilius fert prædictam hominum ſeruitutem, nimirùm, quia non in æuum addictus eſt illi: quoniam poſt iudicij tempus, mundus ipſe mira pulchritudine decoratus, exhilarabit iuſtos: illis verò qui imaginem Dei, prauis moribus fœdauerunt, & corruperunt, ideſt, iniquis, nunquàm amplius ſeruiturus: & hæc eſt, (metaphoricè loquendo) mundi ſpes. qua Dominus ſubiecit eum, vt ſeruiret hominibus, ſiue bonis, ſiue malis. Vnde dicit.

62. *QVIA & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis.*) Seruitus corruptionis, idem videtur eſſe, quod vanitas. Deinde, corruptio, quædam mutatio eſt. Nam iuxta Aug. & Philoſophũ. in qualibet mutatione, eſt quædam corruptio. A peccato igitur hominis, creatura ſeruit corruptioni, & præterit figura eius, & nunquam in eodem ſtatu permanet. Cœlum, ſine intermiſſione mouetur. Elementa verò cũ mixtis, omninò ſunt inſtabilia. Terra inſuper, cadauerum eſt receptaculũ, tàm bonorum, quàm malorum. Sed ab hac ſeruitute corruptionis liberabitur mundus, ſicut prædictum eſt per Prophetam dicentem, Ego creo cœlos nouos & terram nouam, & non erunt in memoria priora, ideſt, prior mutabilitas creaturæ, vt ait D. Tho. nouit hoc myſterium etiam beatus Euangeliſta Ioãnes, cum in ſpiritu vidit cœlum nouũ, & terram nouam. Quod inteligendum eſt, non ſubſtantia, ſed qualitate, cœlo, ſcil. & terra, in perfectiorem naturam

Aug. 8. phy. *Iſai 65.* *Tho.* *Apoc.*

commutatis, & ab omni alteratione liberatis. Iuxta quem ſenſum inteligendum etiam eſt, quod in eodem habetur Apocalyp. nempè, quod cœlum & terra fugit à facie ſedentis. Et quod primum cœlum, & prima terra abijt. *Apo. 21.*

63. *IN libertatem gloriæ filiorũ Dei.*) Ad libertatem gloriæ filiorum Dei facit, libertas etiam creaturarum inſenſibilium, vt ſit proportio inter hæredem, & hæreditatem, Dominum & ſeruum, habitaculum & habitatorem, mundum & filios Dei. Ipſis igitur filijs Dei, ſplendore gloriæ innouatis, libertate dominorum donatis, immortalitate indutis, æquum eſt & valde cõſentaneũ, vt & mundus, qui eſt eorum ſeruus, hæreditas & habitatio, liberetur à ſeruitute corruptionis, innouentur omnia, induanturq; ſplendore & pulchritudine incorruptibili, ne ſit quidquàm in rebus quod oculis dominorum, ideſt, filiorum Dei, diſplicere poſsit, ſed omnia ſint illis grata, aſpectuq; delectabilia, & valde iucunda in æternum. Hæc autẽ mundi innouatio, ſiue libertas, non cõtinget ante perfectam iuſtorum, ſiue filiorum Dei libertatem. Hac enim ſege addictus eſt mundus ſeruituti & vanitati, vt ſimulatq; filij Dei plenè liberati fuerint ab omni mortalitatis contagio, tunc & ipſe mundus deſinat eſſe obnoxius incommodis mortalitatis.

64. *SCIMVS enim quod omnis creatura ingemiſcit, & parturit vſque adhuc.*) Perſiſtit in metaphorica locutione, & his duobus verbis, (*ingemiſcit, & parturit*,) luculentiſsimè exprimit vehemẽtiam deſiderij, quod creaturam angit, illius immenſæ gloriæ futuræ. Siquidẽ vt accerrimus eſt dolor parturientis, ita & maximum puerperæ gaudium. Qua etiam metaphora vſus eſt Dominus in eodem propoſito dicens, Mulier cum parit triſtitiam habet, cum autem peperit puerum, iam non meminit preſſuræ propter gaudiũ. Cum autem in litera habeatur (*omnis creatura*) poteſt non incongruè, exponi tã *Ioa. 16.*

de rationali, quàm de inſenſibili creatura: vt in rationali comprehendatur omnis hominum natio, ſexus, ætas, & conditio, Iudæi nimirùm & Græci, & Barbari: quoniam nullus hominum eſt, qui non ſit beatitudinis capax, quam ideò nemo non appetit, ſaltem in genere, dum omnis exoptat eſſe beatus, quem quidem appetitum ſignificat, (*ingemiſcit*,) & ait, (*ſcimus*) tanquàm magiſter & Apoſtolus qui omnia iudicat, & (*vſque adhuc*) quia non ſolùm ſub antiqua lege, quando nec iuſtis dabatur aditus ad regnum, ſed & nunc, vſque ad extremum, vniuerſaleq; iudicium.

Creatura verò inſenſibiiis (*ingemiſcit*,) ideſt, ob libertatem noſtram quodãmodo ſuſpirat. Et (*parturit*,) ideſt, inſtar parturientis differri dolet, tùm quia ingratis hominibus & vanis, ſeruire coguntur: tùm etiam, quia non antè, perfectionis gradum ſorcientur quàm poſt iudiciũ, quando reuelatione filiorum Dei facta, noui cœli, nouaq; terra creentur. Eſt quippe etiam in rebus animo carẽtibus, natiua quædam perfectionis appetitio. Vnde in Gloſſ. dicitur, quod Sol, & Luna, non ſine labore, ſtatuta ſibi implent ſpatia: vbi D. Tho. ſapienter exponit laborem, pro motu, ſicut & requies quandoq; accipitur pro ceſſatione ab opere, ſicut Deus die ſeptimo requieuiſſe dicitur, ideſt, ceſſaſſe, ab omni opere quod patrarat. Et ita gemitus intelligitur corruptio quædam, quæ etiam miſcetur motui locali, dum deſinit eſſe in hoc, cũ incipit eſſe in alio. Per parturitionem verò, accipitur ordinatio cœlorum ad eorum innouationem, vt ait S. Tho. Cum itaque videamus omnia mundi elementa tot vicibus variari, tot eſſe obnoxia corruptelis, Solem & Lunam, præterquàm quod inuitio-riuntur ſuper malos homines, quod in rebus caducis reparandis, penè in caſſũ laborant, ſua ſentire deliquia, dum nũquam quieſcunt. Sydera etiam cum ſyderibus pugnare, nonne etiam vniuerſa rerum corporearum natura, vnà nobiſcum gemit, ac parturientis in morem,

Gloſſ.

Tho.

Tho.

optat laborum, ac dolorum finẽ? Quin & de Angelis, quanuis beatis, & ideò non poſsint ſentire dolorem, dicere etiam poſſumus, quod ipſi noſtras calamitates ex alto contemplantes, vehementer deſiderent reuelationem filiorum Dei: ſine gemitu tamẽ. Nam quibus gaudium eſt, ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, nihil mirũ, ſi deſiderium habeant, non quidem ad ſpei virtutem ſpectans, quæ nulla eſt in eis omnia videntibus: nam quod videt quis, ait Paulus, quid ſperat? ſed ad ardorem charitatis, qua erga nos ſunt valde benè affecti, & propenſi, vt ait quidam Doctor. Deſideriũ igitur eorum eſt, potiundi totius generis humani ſocietate, & ſic pio quodã erga nos affectu commouentur: & quoad licet, noſtris malis indoleſcunt. Soto.

65. *NON ſolùm autem illa, ſed & nos ipſi primitias ſpiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei, expectantes redemptionem corporis noſtri.*) Ex proprio Apoſtolorum deſiderio, oſtendit excellentiam illius futuræ gloriæ. Non enim poteſt eſſe paruum, quod à magnis viris tam anxiè expectatur. Vnde ait, (*non ſolùm autem illa*,) ſcil. corporalis creatura, ſuam liberationem expectat, & deſiderat, (*ſed & nos ipſi*,) ideſt, multo magis nos ipſi Apoſtoli (*primitias ſpiritus habentes*) nobis enim omnium mortalium primis, contigit Chriſti aflari ſpiritu, cuius etiam potiora accepimus dona, in arram futuræ cœleſtis gloriæ, (*& ipſi intra nos gemimus*,) ideſt, ex intimis cordis deſiderijs, ingemiſcimus & ſuſpiramus (*adoptionem*,) ideſt, propter adoptionem, donec ſcilic. ipſa impleatur, & reueletur in nobis gloria (*filiorum Dei*) hic autem noſter gemitus non eſt abſq; ſpe, nam ſumus (*expectantes*,) pariter (*redemptionem*,) ideſt, liberationem (*corporis noſtri*,) ab omnibus ſuis quibus nunc agrauatur incommodis, & miſerijs, quando ex craſſo & carnali, efficietur ſpirituale, & immortale.

66. *Primitias ſpiritus habentes.*) Primitiæ

miriæ in frugibus, ſunt fructus primi,
eiuſdem ſpeciei cum reliquis, ſolo tem-
pore & prætioſitate præſtantes : qui
idcirco tam de area, quàm de torculari
dicati erant Deo in lege veteri, tanquã
datori omnium bonorum offerendi.
Hinc Paulus, quidquid eſt primum gra
tiæ in area ſpirituali, primitias appel-
1.C.15. lat. Vt, Chriſtum, primitias reſurgen-
tium : domum Epineti, primitias A-
Rom.16. chaiæ : & Theſſalonicenſiũ eccleſiam,
vocat primitias in ſanctificatione ſpiri-
tus. Hac etiam ratione, Apoſtoli dicũ-
tur primitiæ Chriſtianorũ, vtpote quos
Chriſtus peculiariter elegit, eisq; fidei
arcana primitus reuelauit, potiſsimaq;,
vt dictum eſt, contulit dona, vt irent,
& fructum ferrent, ab omnibus orbis
partibus. Quorum idcirco dignitas, pri-
ma eſt in Eccleſia Dei, iuxta illud,
1.C.12. Quoſdam quidem poſuit Deus in Ec-
cleſia, primo Apoſtolos, ſecundò Pro-
phetas, &c. tùm, quia primi, tùm etiam
quia Spiritum ſanctum vberius acce-
perunt. Quare, ab Eccleſia receptum
eſt, primo gratiæ & charitatis gradu,
poſt ſacratiſsimam Virginem, donatos
eſſe diuinitùs, atqueadeò, vt ait S. Th.
Tho. omnibus alijs ſanctis, quacunque præ-
rogatiua fulgentibus, ſiue virginitatis,
ſiue doctrinæ, ſiue martyrij, præferẽ-
dos, tanquam abundantius Spiritũ ſan-
ctum habentes. Neque obſtat, ſi qui
martyrum, Acerbiora fuerint paſsi tor-
menta quàm illi, & mortes crudeliores:
quoniam magnitudo meriti, vt docet,
Tho. S. Tho. principaliter, & reſpectu eſſen-
tialis præmij attenditur ſecundum cha-
ritatem. Conſiſtit enim præmium eſſen
tiale, vt inquit ipſe, in gaudio quod ha-
betur de Deo : manifeſtum eſt autem,
quod de Deo plus gaudebũt, qui plus
amant. Vnde & illam viſionẽ beatam,
Dominus ſuo dilecto promittit dicens,
Ioa.14. ſi quis diligit me, diligetur à patre meo,
& ego diligam eum, & manifeſtabo ei
me ipſum. At verò, ſecundum quanti-
tatem operum, meretur homo præmiũ
accidentale, quod eſt gaudium de tali-
bus operibus. Apoſtoli ergo, illa opera
quæ fecerunt, ex maiori charitate fece-
runt, ex qua habebãt cor ad multa ma-
iora facienda ſi eſſet opus, & ſæuiora
ſubeunda ſuplicia pro Chriſto parati
erant : licet eorum prædicationes, iti-
nera, labores, & ſudores, ſatis fuerunt
in illis eximiæ charitatis teſtimonia. Tho.
Si autem dicas, forſitan poteſt quis tã-
tum conari, quod habebit æqualem cũ
Apoſtolis charitatem. Dicendum ad
hoc, quod charitas hominis non eſt à
ſe ipſo, ſed ex gratia Dei, quæ datur v-
nicuique iuxta menſuram donationis
Chriſti, vt inquit Paulus : datur autem Eph.4.
hæc, ex proportione illius rei ad quam
eligitur : vt, exẽpli gratia, homini Chri-
ſto data eſt gratia excellentiſsima, quia
ad hoc electus eſt, vt eius natura in
vnitatem perſonæ diuinæ aſſumeretur.
Et poſt eum habuit maximam plenitu-
dinem gratiæ, beata Maria, quæ ad hoc
eſt electa, vt eſſet mater Chriſti. Inter
cæteros autem, ad maiorem dignitatẽ
electi ſunt Apoſtoli, vt ſcil. immediatè
ab ipſo accipientes, alijs traderent ea
quæ pertinent ad ſalutem, & ſic in eis
eccleſia quodammodo fundaretur: iux-
ta illud Apoc. murus habebat funda- Apo.21.
menta duodecim, & nomina Apoſtolo-
rum, erãt in eis ſcripta. Et ideò Deus
abundantiorẽ gratiam præ cæteris im-
pertiuit illis, quò eſſent primi, & quaſi
fundamenta Eccleſiæ ſuæ ſanctæ.

67. *ET ipſi intra nos gemimus.*) Afli-
ctionem animi ex dilatione rei, arden-
ti deſiderio, expectatæ, deſignat. Nam
iuxta Prouerbium, Spes quæ differtur, Pro.13.
afligit animam. Qualis erat illius qui
dicebat, Heu mihi, quia incolatus meus Pſal.
prolõgatus eſt. Et, Sitiuit anima mea ad
Deum fontem viuum, quando veniam,
& aparebo ante faciem Dei?

68. *Gemimus adoptionem.*) Latinè di-
citur, Corydon ardebat Alexim, mari- Virg.
tus ardet ac deperit vxorem, quam ar-
denter amat, cuiuſq; amore deperit: pa-
ri modo etiam eſt Latinum gemere a-
doptionem. quod eſt illam cũ gemitu
inhiare & ſitire, completam ſcil. & ab-
ſolutam, tàm quoad animam, quàm
quoad corpus. Antiqui Patres, quan-
talibet pollerent ſanctitate, nec ſecũ-

dum animam, nec ſecundum corpus, fruebantur ſua ipſorum adoptione. Ianua enim regni cœlorum tum temporis omnibus erat clauſa, atque adeò in ſinum Abrahæ, ſeu in limbum deſcendebant omnes, vt ibi qui eos liberaret, expectarent Saluatorem. Animæ verò Chriſtianorum, niſi aliquid pœnæ habeant ſoluendæ in purgatorio, ſtatim euolant in cœlum, per Chriſtum iam apertum: ſed hæc eſt adoptio inchoata tantùm, conſummabitur autem per ipſius corporis glorificationem, quæ in extremo iudicio eſt facienda. Ad quam, animæ beatæ in paradiſo, habent ſemper inclinationem, & illam ſine triſtitia in cœlo deſiderant: ſed in hoc ſeculo, non niſi cum gemitu & anxietate illam optant.

69. *Expectantes redemptionem corporis noſtri.)* De hac redemptione eſt illud

Luc. 21. Euangelij, Leuate capita veſtra, quoniam apropinquat redemptio veſtra. Et ſumitur hîc redemptio, pro liberatione à mortali corpore, ſeu pro reſumptione immortalis corporis. Hoc autẽ ſanctorum deſiderium, ex charitate benè ordinata procedit. Cum enim eorũ caro fuerit comes ſuarum paſsionum & tribulationum, quæ illis contigére, partim ob varias huius vitæ neceſsitates, partim ob impiorum improbitatẽ, pari iure, vtrique fratri, hoc eſt, tàm animæ, quàm corpori. optant ſuam ipſorum ſalutem, & fœlicitatem.

70. *SPE enim ſalui facti ſumus.)* Quemadmodum fides eſt cognitio rei non viſæ. Ita & ſpes, deſiderium eſt rei abſentis, quæ veluti quædam anchora ſalutis, firmos reddit homines, & quaſi ſecuros de ſua ipſorum incolumitate. Quidquid itaq; malorum, interim affligit illos in hoc ſeculo, ferunt ſpe fœlicitatis à Chriſto promiſſæ: à quo licet pignus acceperint ſalutis, nempè Spiritum ſanctum iuſtificantem animã, plenam tamen ſalutem non hîc præſtitit ille, ſed in futuro ſeculo voluit expectari: ſalus enim perfecta, in rebus futuris ſita eſt, quarum ſpem certam concepimus. Quamobrem non ſola fide iuſtificamur, ſed accedente ſpe, quam ſequitur charitas. Non ſic ſeruati ſumus à Chriſto quòd illico introducti ſimus ad hæreditatem, ſed quod miſsi ab illo ſumus in ſpem hæreditatis, nẽpè ea lege vt compatiamur, ad hoc vt conglorificemur. Propria ergo ratio fidei iuſtificantis eſt, vt nobis oſtendat quid ſperare debeamus, atq; adeò nos confirmet, vt ſpe futurorum, per charitatem, legis opera faciamus. Vnde, quo ſenſu dictum eſt, *(Iuſtus ex fide viuit,)* dicitur etiam *(Spe ſalui facti ſumus,)* non enim operamur intuitu præmij quo iam fruimur, ſed eius quod nos manere credimus in futurum.

71. *SPES autem quæ videtur, non eſt ſpes: nam quod videt quis, quid ſperat?)* Docet, Chriſtiani præmium non eſſe de viſibilibus bonis huius mundi, ſed de inuiſibilibus alterius. Vnde alibi, non contẽplantibus, inquit, nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur: quæ enim videntur temporalia ſunt, quæ nõ videntur æterna. Et hæc ſunt propria, vera, & perfecta Chriſtiani bona. Vtitur autem hic metonimia, quæ plus præſefért ponderis, dum ſpem appellat, rem ſperatam. (*Spes enim*, inquit, *quæ videtur, non eſt ſpes,)* ideſt, res ipſa quæ poſsidetur, non amplius ſperatur. Ex quo manifeſtè ſequitur quod dictum eſt, nempè, quod ſpes, ſeu præmium Chriſtiani, non eſt rerum præſentium, & oculis ſubiectarum, ſed earum quæ nondum apparent. *(Nam quod videt quis, quid ſperat?)* quaſi dicat, quis vnquam dictus eſt ſperare, quod oculis cerneret.

¶ Circa hoc eſt valde notandum, quàm pulchrè & ſapienter, ad exprimendum quanta ſit cognatio & cõnexio ſpei ad fidem, ſpem diffinit non tam per rationem propriam, quàm per rationem fidei. Eſt namque fides, *(habitus intellectualis eorum quæ non videntur:)* ſpes verò, *habitus appetitiuus eorum quæ non poſsidentur.* Videre igitur in hoc loco, idem pollet quod tenere, & poſsidere. Poteſt quidem athleta ſperare brauiũ, licet

licet illud ob oculos propoſitum videat, quoniam nondum illius eſt compos : tandiuque proinde ſpes durat, quàmdiu euidens non eſt rei aſſecutio. Eſt ſiquidem ſpes in appetitu iraſcibili, tanquam in ſubiecto : quæ ideò non eſt, niſi rei, non ſolùm abſentis, verumetiam arduæ, obtentuq; difficilis: quapropter, dum nos ad euidentiam vergit, iam ſpes tranſit in gaudium, vt ſtrenuò duci euenire ſolet, quandò victoria iã illi manifeſtè arridet. Hinc eſt quod in cœlo, nullus eſt virtuti ſpei locus, ſed fœlices illæ animæ, per charitatem optant & nobis beatitudinem, & ſibi corpora ſua, eò quod futura hæc in verbo contuentur, iam nõ ſicut ardua. Ad ſenſum igitur Apoſtoli venientes, dicimus quod aptiſsimè vſus eſt verbo videndi, pro verbo poſsidendi : nam licet in alijs præmijs quæ non ſolo viſu poſsidentur, congruentius, ſignificantiusq; diceretur, ſpes quę tenetur, non eſt ſpes : nam quod tenet quis, ſeu poſſidet, quid ſperat? At verò, de præmio illo infinito, quod Deus eſt, quoniam non alia ratione & modo quàm videndo comprehenditur, & poſsidetur, propriſsimè, inquam, pro verbo poſsidendi, vſus eſt verbo videndi, quoniã hoc eſt proprium ſpei noſtrę Chriſtianæ. Deum enim, in quẽ tantùm vera ſpes eſt, qui videt, non ſperat : quia videndo, iam adipiſcitur, quod ſperat : quandoquidem, vt ait Aug. viſio, tota merces. *Aug.*

¶ Inſinuat etiam in hoc loco diuinus Apoſtolus, ad fidei & ſpei virtutũ laudes pertinere, vt non ſtatim cum aliquis Chriſtianus efficitur, habeat bona gloriæ à Chriſto promiſſa : nulla enim fuerit fidei laus, aut ſpei, ſi iam extarent, quæ Chriſtus nobis promiſit. Quocirca non pertędeat quod huiuſmodi redemptionẽ corporis, & conſummatam adoptionem tandiu expectes. Non ſumus enim modo in ſtatu comprehenſionis, ſed ſpei, quę eſt certa beatitudinis expectatio, nos vergẽs ad ſalutem. Per ſpem enim meremur rem. Et quemadmodum filius alicuius diuitis, licet de pręſenti ſit pauper, eſt tamen diues in ſpe, propter diuitias quas ſperat hæreditare, ita & iuſti in hoc ſeculo, ſpe ſalui facti ſunt, propter ſalutẽ gloriæ quam ſperant à Deo: qui cum ſit fidelis, & ſe ipſum negare non poſsit, ex parte quidem ipſius, certiſsima eſt, deeſſe non poteſt. Sed ex parte noſtra, per peccatum cõmiſſum, vel bonum omiſſum, poteſt hęreditas amitti.

72. *SI autem quod non videmus ſperamus, per patientiam expectamus.*) Pro more ſuo Paulus appertè concludit ea quę ſimpliciter pronuntiauit, ſpectans ad illud ſuperiùs dictum, ſi tamen cõpatimur, &c. & ad illud, expectatio creaturę, &c. Ait igitur, (*ſi autem quod non videmus,*) ideſt, ſi ea quæ corporeis oculis cerni non poſſunt, (*ſperamus*) oculis fidei cernentes illa, perſeuerantes interim in doloribus, & laboribus, & miſerijs quę contingunt, (*per patientiã*) quidem, ideſt, ſpe pertinaci, (*expectamus,*) quod promiſſum eſt. Spes enim in nobis, eſt patientię genitrix : & eſt duplex, altera quę dicitur longanimitas, qua expectatur ęquanimiter bonum illud excelſum, anxiè deſideratũ, & in longum dilatum : de qua patientia eſt illud, Patientes eſtote vſque ad aduentum Domini. *Ioc. 5.* Nam cũ ſpes quę differtur affligit animam, dilatio illa, vt ait D. Tho. in genere malorum eſt, *Tho.* circa quæ patiẽtia verſatur. Altera eſt, tolerantia tribulationum, cum quadã animi tranquillitate : de qua eſt illud, In tribulatione patientes. Tribulatio enim, via eſt ad gloriam. *Rom. 12.* Æquanimiter ergo Apoſtolorũ inſtar, expectanda eſt promiſſa gloria, & cum tribulatione, & dilatione vt ait S. Thom. *Tho.* Quibus virtutibus, poteſt addi, & magnanimitas, quæ, vt nomen ipſum ſonat, præclariſsima virtus eſt. Quemadmodũ enim ſtrenuo duci, opus eſt, & longanimitate, ad deuorandum tædium temporis : & tolentia, ad perferendum pondus, & pericula belli : & magnanimitate, ad agrediendum ardua & magna pericula. Ita & viro iuſto in Chriſtiana militia, hæc ſimiliter ſunt neceſ-

ſaria

ſaria vſque ad mortẽ, ad profligandos animæ hoſtes, eorumq; vires confringendas. Chriſtiani enim viri, magnanimitate & fortitudine, eum cæteris ſpei Chriſtianæ filiabus, tolerãtia ſcil. & lõganimitate prędití, ſicut oues, ſine pera, & ſine calceamentis, armatos lupos deterrent, & proſternunt. Longè namq; & excellentior fortitudo eſt, eum qui inermis eſt, expectare mortẽ pro Chriſto, vt martyres fecerunt, quàm armatum pugnam capeſſere. Hanc virtutem *Magnanimitatis*, nomine hîc *Patientiæ*, complexus eſt, Paulus.

73. *Similiter autem, & Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram.*) Oſtendit quomodo per Spiritum ſanctum adiuuamur in deffectibus vitæ præſentis. Quemadmodum enim, vt hactenus docuit, per Spiritum ſanctum, viuificabũtur mortalia corpora noſtra, & in ipſo clamamus Abba Pater, & ipſe teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filij Dei, ſic etiam ipſe (*adiuuat infirmitatem,*) ideſt, imbecillitatem noſtram, cui in ſtatu præſentis vitæ ſubijcimur: quamuis nõ omninò eam tollat. Adiuuat autem ſpirans, & ſpe erigens nos ad omnia toleranda, vires ſuppeditans ad operandum, cõmonſtrãs quid votis optandum ſit, aut quid deprecandum: vt iuxta Aug. non ſolum noſtra merita, non nobis arrogemus, quæ dona ſunt Dei: verùm & ipſam poſtulationem auxilij, quæ, à nobis videti poſſet ortum habere, ſpiritui ſancto tranſcriberemus, qui nos, tùm docendo, tùm etiam, ad orandum, excitando præuenit. Vnde dicit. *Aug.*

74. *NAM quid oremus ſicut oportet, neſcimus.*) Ecce noſtra imbecillitas, quoniam iuxta humanum affectũ neſcimus quid ſit optandum, neque quomodo ſit optandum. Vnde non raro fit, vt pro ſalubribus, oremus peſtifera. Quamuis enim in genere, cognoſcamus quid ſit orandũ, iuxta formam à Chriſto præſcriptam, dicendo ſic, Pater noſter, &c. Et quomodo, nam in fide nihil hæſitando, vt Iacobus nos inſtituit. *Aug. in lib. de orã. do Deũ, ad Prob.*

In particulari tamen, propter noſtras tùm ignorantias, tùm etiam cupiditates, frequenter allucinamur. Petimus non raro, vt in aliquo virtutis opere, ſanctificetur nomen Dei, per quod, iudicio noſtro, putamus obſequium præſtare Deo: illud tamen, licet genere ſuo ſit bonum, caret tamen temporis, locivè circunſtantia, aut etiam perſonæ. Sicut alicui qui vtiliter poſſet in actione proficere, non expedit contemplationis quies: aut èconuerſo, vt Grego. docet. Et in Prouerbijs dicitur, quòd, eſt via quæ videtur homini iuſta, nouiſsima autem eius deducunt ad mortem. Vnde & beatiſsimus Paulus, vt primo cap. huius Epiſtolæ vidimus, ſæpe ſe fudiſſe ad Dominum præces, inquit, vt adeundi Romam, ſibi proſperum iter contingeret, in voluntate tamen Dei, ideſt, ſi illi placeret. Et pro ſuſtentatione vitæ, etiam petimus aliquod temporale bonum, quod iudicio noſtro auaritia corrupto, videtur neceſſarium, & panis quotidianus: cum ſit impendio ſuperefluens, ac proinde vertitur in malum petentis: nam iuxta Sapientem, diuitiæ conſeruantur in malum Domini ſui. Petit etiam aliquis, liberari ab aliqua tentationis moleſtia, quæ tamen eſt ſibi ad cuſtodiam humilitatis data, vt beato Paulo contigiſse cernimus, in dato ſibi ſtimulo carnis ſuæ, ne magnitudo reuelationum eum extolleret: ipſe tamen ægrè ferẽs corporis afflictionem, implorabat opem diuinam, ter rogans, vt relinqueret eũ Sathanas, à quo tum affligebatur, & ob id negatum eſt quod poſtulabat. *Greg. Iob. 6. Pro. 14 Rom. 1. Eccl. 5.*

¶ Modum orandi, generaliter quidem, vt dictum eſt, ſcire poſſumus, nimirùm, in fide nihil hæſitantes, vt inquit Iacobus. Sed ſpeciali quidem motu cordis noſtri, vſquequaque diſcernere non poſsumus: vt putà verũ petamus aliquid ex ira, aut ex zelo iuſtitiæ, vt docet S. Tho. vnde, & reprobata eſt filiorũ Zebedei pitio: quia licet viderentur participationem diuinæ gloriæ poſtulare, tamen ex aura humana, ſeu elatione, procedebat eorum petitio, vt ait D. Th. *Iac. 1. Mat. 10*

Mos

Mos omnipotentis Dei eſt, amicis ſuis orantibus, pro iucundis, concedere ſalubria. Nam iuxta Aug. nonnunquam tum maximè exaudimur, quando quod petimus non adipiſcimur: quia quanuis non audiamur ad noſtram voluntatem, exaudimur tamen ad noſtram ſalutem. Sufficit tibi Paule gratia mea, (inquit Dominus Paulo oranti pro liberatione tentationis:) nam virtus in infirmitate perficitur.

Aug. ſuper Ioa. tract. 73.

¶ Petere autem pro amicis temporalia, vt valetudinē & ſimilia, charitatis munus eſt. Orare eccleſiam pro benignitate anni, & fertilitate, aërisq; temperie: ſancta eſt inſtitutio, quoniam eſt pro communi bono. Petere verò pro ſeipſo temporalia, quanuis vnicuique eatenus liceat, quatenus per talem petitionem fatemur Deum omnium autorem, & proſpectorem, eiq; nos ſubmittimus, ea efflagitantes, quæ nobis adminiculo eſſe poſſunt ad virtutem, & ad ſuum ipſius cultum: tutius tamē eſt, nihil in particulari poſtulare, niſi ea quibus nullo modo poſſumus malè vti: vt cor contritum & humiliatū: deduci in viam veritatis, & in ſemitā mādatorum Dei, & ſimilia. Cætera verò, quorum bonus poteſt eſſe & malus vſus, ſub generali nomine petenda ſunt, vt docebat Socrates, dicēs, Bona à Deo petamus, hoc eſt, ſub hoc generali nomine, da quæ nobis bona ſunt. Quantumuis enim cōditione moderetur petitio noſtra dicentes, ſi fuerit voluntas tua, ſemper tamen latet anguis in herba, hoc eſt, voluntas noſtra in illa conditione, auiditasq; impetrādi, quod noſtra eſt voluptas.

Socra.

¶ Verus itaque & ſapiens pro huiuſmodi orandi modus erit, citra petitionem, tantùm proponere coram clementiſsimo Domino cunctas noſtras neceſsitates, vt prudens facit infirmus, dū manifeſtat medico ſitim aut dolorem, relinquens ei vt videat quid erit vtilius. Exemplo ſunt nobis illæ ſanctæ duæ ſorores, quæ pro fratre ægrotanti ſcribentes, nihil aliud, quàm, ecce quem amas infirmatur, ſcripſerunt. Et Prudentiſsima Virgo in nuptijs, Fili, inquit, vinum non habent, relinquens iudicio eius & arbitrio prouiſionem rei. Sed dices, Chriſtus Deus noſter, ſub conditione orauit dicens, Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte. Dicendum ad hoc, quod Chriſtus potuit ſic orare: tùm, quia errare non potuit. Tùm etiam, vt veritatem, imbecillitatemq; humanæ naturæ, ſub illa conditione manifeſtaret, timendo tanquam verus homo, mortem acerbiſsimam proximè futuram. Nos verò minimè, niſi dicendo, fiat voluntas tua, ſicut in cœlo & in terra. Et quæ neceſſaria ſunt, & communia petere: vt panem noſtrū quotidianum, ne fortè dum ea quæ nō conferunt rogamus, efficiamur Deo odibiles, iratusq; nobis, tradat nos in deſideria cordium noſtrorum.

75. *SED ipſe ſpiritus, poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.)* Talis eſt modus auxilij, quo Spiritus ſanctus adiuuat infirmitatem noſtram. Ipſe enim mentem noſtram illuminans: & affectum voluntatis, bonis & rectis deſiderijs ſuccendens, poſtulare nos facit à Deo, non iuxta humanum affectū, ſed iuxta votū ſpiritus, quæ ſalutaria ſunt: nec humano quidem more, ſed gemitibus inenarrabilibus, ideſt, ſuſpirijs, quæ nec enarrare vox, nec vlla lingua poteſt exprimere.

¶ Hinc Arriani, & Macedonij, ſui erroris anſam ſumpſerunt, dicentes, Spiritum ſanctum eſſe creaturam, minoremq; Patre & Filio. Nam poſtulare, vt aiunt, minoris eſt ad maiorem. Ignorantia autem horum ſchematū ſcripturæ, quàm ſæpiſsimè hæreticos dementauit. Certè, ſi alicuius momenti eſſet argumentum, non ſolùm conuinceret Spiritum ſanctum non eſſe Deū, verùm eſſe miſeram creaturam à cœlo exulantem. Nam aliàs, quomodo ingemiſceret, cum gemitus ex dolore proueniat: quod autem dolor ſit in Deo, nullus vnquam hæreticus dixit. Non ergo Spiritus ſanctus in ſeipſo ingemiſcit,

Trac. 6. ſuper Ioa. et ſuper epiſ. Ioa. gemiſcit, vt inquit Aug. ſed in nobis, quia gemere nos facit. Et clamat in nobis (*Abba Pater,*) quia nos clamare facit. Similiter dicitur, quod (*interpellat pro nobis,*) quia interpellare nos docet & inſtigat. Sicuti illum dicimus feciſſe res noſtras, qui nos conſilio, vel *Gal. 4.* re iuuit, vel imperio mouit.

¶ Ingemiſcit aűt Spiritus ſanctus in nobis, *Aug.* ſecundum Aug. (*per charitatem,*) quæ ab ipſo in nos effunditur, per quam fiunt in nobis recta & ſancta deſideria, quæ cum ſint ab ipſo, non poſſunt non eſſe vtilia. Eius verò quod maximè optatur, aſsiduèq; petitur, ſi differtur, doloris & gemitus eſt cauſa, qualis erat *Pſal.* illius qui dicebat, Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt. Qui pro huiuſmodi ingemiſcit, columbæ gemitum facit, quæ teſtis fuit & Chriſti baptizati, & gratiæ baptiſmatis noſtri. Fuit etiam tempore diluuij, fidelis nū*Gen. 8.*tius reuertens ad Noe in archam, portans illi ramum oliuæ virentibus folijs in ore ſuo, in ſignum placationis, pacis, & miſericordiæ, irati Dei omnipotentis. Gemitus tuus ò Chriſtiane, ſi fuerit columbinus, hoc eſt, ſi aflatu ſpiritus Dei fiat, reuertetur quidem ad te, ſed non vacuus, virentibus folijs portabit ramum oliuæ, ramum gratiæ & cōſolationis, ramum lætitiæ cœleſtis gloriæ. Poſitus enim cum fiducia ante thronum gratiæ, totus triſtis & lachrimoſus, iuſſus eſt mutare faciem, veſtē lugubrem dimittere, quin & ipſemet dominus manu ſua abſtergit lachrimam, & pro dolore contulit gaudium. Sic enim promiſerat amicis, dicendo, Triſtitia veſtra vertetur in gaudium: & ſic contingit omnibus piè lugentibus. Eū*Pſal.*tes enim, inquit, ibant & flebant, mittentes ſemina ſua: venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos. Beati ergo qui lugent, *Mat. 4* quoniam ipſi conſolabuntur. Econtrà peccator, qui aliquid terrenū ingemiſcens expetit, gemitum vtiq; edit corui, qui nunquam in archam reuerſus eſt. Suſpirium vadens & non rediens, cum aliqua conſolatione, quid prodeſt laboranti? Ambulauit peccator vias difficiles, & fruſtrà laborauit, cum non inuenerit requiem. Non placet vox coruorum auribus humanis. Nec gemitus carnalium ob ſuas cupiditates editus, auribus diuinis. Prudētia enim carnis, inimica eſt Deo.

(*Gemitibus*, inquit, *inenarrabilibus,*) aut quia ſunt propter rem inenarrabilem, videlicet, gloriam cœleſtem. Aut quia ipſi motus cordis, ſecundum quod à Spiritu ſancto procedunt, ſufficienter enarrari non poſſunt. Vnde poteſt & hoc quoque modo exponi, (*inenarrabilibus,*) ideſt, nobis abſconditis. Nam ſæpe Spiritus ſanctus pro nobis intra nos petit, quod nos neſcimus: vt in ecſtaſi patet.

Poſſumus hinc etiam colligere, quod ſi neſcimus quid oremus, & quomodo oportet: quod ignoremus etiam quisnā ſpiritus in nobis orantibus oret. Orādum igitur imprimis eſt, vt actiones noſtras ipſe præueniat, & adiuuando proſequatur, vt omnis noſtra oratio, & operatio, ab ipſo ſemper incipiat, & per ipſum cepta finiatur. Ita enim cauebimus multiloquiū in oratione, à Chriſto tanquam vitioſum prohibitum, Dum ait, Cum oratis, nolite multum loqui *Mat. 6.* ſicut Ethnici faciunt, ſcit enim Pater veſter, quid opus ſit vobis, antequàm petatis. In quo multiloquio bifariam poteſt quis errare, aut Deum inſciciæ ſubnotando, aut noſtras illic affectiones batologia quadam inculcando, quæ nobis minus expediunt. Sed oratio quę à Spiritu ſancto proficiſcitur, humilis eſt valde, & reuerētia plena: gemitibus & altis ſuſpirijs ornata, ac proinde à ſanctis nimium commendata. Tali quidem oratione oportet ſemper orare, *Luc. 18.* & nūquā deficere, vt inquit Dominus, aut iuxta Paul. ſine intermiſsione orā*1. Th. 5.*dum. Donum enim Dei eſt talis oratio, atque adeò ex hac parte pluris facienda eſt, quàm quod à nobis fiat. Hoc enim videtur Paulus inſinuare dicēdo, (*poſtulat, interpellat,*) potius quàm interpellare, aut poſtulare nos facit. Eſt denique omnipotenti Deo, propter au-

torem

torem ſuum, admodum grata, & accepta. Vnde dicit.

76. *QVI autem ſcrutatur corda, ſcit quid deſideret ſpiritus, quia ſecundũ Deũ poſtulat pro ſanctis.)* Deus cuius oculis omnia ſunt nuda & aperta, etiam antequàm ſint *(qui ſcrutatur corda,)* quaſi dicat, eſt cognitor cordium humanorum, ideò optimè nouit, ſiue *(ſcit,)* ideſt, approbat, *(quid deſideret ſpiritus,)* ideſt, deſideria noſtra, quorũ eſt autor Spiritus ſanctus *(quia quæ ſecundum Deum)* ſunt, ideſt, quæ Deo ſunt placita, & hominibus ſalutaria, *(poſtulat pro ſanctis)* in quibus habitat, hoc eſt, facit ſanctos poſtulare. Non (vt pro ſeipſis ſolent homines) temporalia, aut etiam noxia.

77. *QVI autem ſcrutatur corda.)* Hoc dicit, quia ſolus Deus eſt iudex, & põderator ſpirituum, an ſcil. ſit humanus, vel diuinus ſpiritus, qui loquitur in noſtris orationibus: quippe cui ſoli comperit, renes, cordaq́; hominũ ſcrutari: non quidem diſquirendo, aut inueſtigando, (quod verbum ſcrutari apud nos ſonat,) ſed ſimplici intuitu vniuerſa vſque ad primas cauſas penetrando. Atque ita manifeſtè cognoſcit ea quæ in corde latent: propoſita ſcil. & eorũ radices, nec ſolùm, ſed & eorum effectus, & euentus, qualiterq; id quod petimus, caſurum ſit nobis. Nam licet tẽporalia bona, quando ea nunc optamus, hic nobis forſan conferrent, tamen in cauſa poſſent eſſe alicuius futuri incommodi. Rurſus, licet ea quæ ſpiritus petit, modo non ſint nobis iucunda, erunt proculdubio in poſterum ſalutaria. Facit hic locus contra aſſertores certitudinis gratiæ: quoniam ſi non ſemper certò conſtat nobis, de petitionibus noſtris, vtrum autorem habeant Spiritum ſanctum, an alter ſit ſpiritus qui in nobis loquatur: ita neque certò ſcimus an habitet in nobis Spiritus ſanctus.

78. *SCIT quid deſideret ſpiritus.)* Omnia quidem optimè nouit Dominus, vt dictum eſt, etiam ea quæ ſiniſtrè deſideramus, & quæ nobis hoſtis inducit in animam: ſed hoc, ſimplici intelligẽtia. Ea verò quæ ſpiritus pro nobis poſtulat, cognoſcit aprobando, eo quod ſunt recta & ſalubria. Ideò addit, dicẽs,

79. *QVIA ſecundum Deum poſtulat pro ſanctis.)* Non iuxta humanum affectum, ſed iuxta Dei voluntatem, Spiritus ſanctus facit poſtulare viros iuſtos: Nec optare, niſi quæ ad ſalutem æternam, & quæ ad Dei gloriam pertinent. *(Pro ſanctis)* inquit, ideſt, pro iuſtificatis, quoniam Spiritus ſanctus non habitat in alijs, tanquam exiſtentibus in gratia. Quanuis etiam, iuxta Aug. per ſubſidium ſpeciale, adiuuat iniquos ad ſalutem, impartiendo illis bona deſideria, quæ ſunt remotæ diſpoſitiones ad gratiam. Nondum itaq; inhabitans Spiritus ſanctus, adiuuat homines vt ſint fideles: Peccatores, vt ſint iuſti. Inhabitans verò, adiuuat tantùm fideles & iuſtos, quò iuſtiores fiant. *In epiſt. ad Sixt. & ſuper Ioa.*

¶ Ex dictis conſtat intellectus illius ſententiæ Saluatoris dicentis, Quidquid petieritis à Patre in nomine meo dabit vobis. Sumitur enim hoc, de illo quod Spiritus ſancti ſpiramine poſtulant viri iuſti. Idem enim eſt petere in nomine Chriſti, & petere ſpiritu Chriſti. Similiter etiam intelligitur Iacobus, præcipiens, vt petamus confidẽter, nihil hæſitantes in ſpe. Nam ſi Spiritus ſanctus poſtulet, certiſsimè obtinebimus, tanquam neceſſaria ad ſalutẽ. Si verò dubitamus an petitio noſtra ſit Spiritus ſancti, necne: dubitare etiã poſſumus, an obtinebimus quod petimus.

¶ Sed ſi arguat quis: Peccatori contingit frequenter petere reſipiſcentiam, quam non obtinet ſemper. Item, homo iuſtus præcatur conuerſionem peccatori, nec ſemper impetrat. Ad hæc, pauper expoſcit facultates, & dignitates ampliſsimas, quæ forſitan illi eſſent ad virtutum culturam, conferrentq; illi potiùs quàm paupertas ad ſalutem, & nec ipſe exauditur. Tandem petit iuſtus pro- *Argu.*

protegi à malo, & perſeuerare in bono: petit martyrij donum, quo poſsit amicitiam Dei augere: quas tamen tes nõ ſemper vnusquilibet iuſtus aſſequitur. Ergo non quidquid facit ad ſalutem noſtram, concedit nobis Deus.

¶ Pro horum tamen reſponſione, notãdæ ſunt quatuor conditiones quas Theologi in poſtulationibus aſsignant, vt ſint infallibiter implẽdæ: nimirùm, vt quis *& pro ſe petat, & neceſſaria ad ſalutem, & piè, & perſeueranter.* (*Pro ſe*) inquam, quia nullus alteri poteſt mereri de condigno, quia hoc non conſſtat ex ſacra Scriptura, ſed quod vnuſquiſque ante Tribunal Chriſti, propria corporis referet, prout geſsit: Chriſtus autem ſolus potuit mereri omnibus quibus voluit de condigno. Et hac etiam ratione, non eſt mirum ſi peccator poſtulans reſipiſcentiam, non ſemper forſan exaudiatur: nam primam gratiam nemo præter Chriſtum mereri potuit, nec poterit. Pari modo dicendum de perſeuerantia, quæ etiam donum Dei eſt, non cadens ſub merito, vt ait Aug. ſicut & prima gratia. Pendet enim ex iugi motione Dei, inclinantis nos ad bonum virtutis: quæ motio initium eſt totius meriti, ideò non cadit ſub merito, iuxta eundẽ Aug. Has tamen poſtulationes, quanuis non ex condigno, ſiue ex iuſtitia, pro ſua tamen benignitate & infinita liberalitate, quàm ſæpiſsimè exaudit Deus. Idcirco prædicandi ſunt iuſti, vt orent pro miſeris peccatoribus: monendiq; peccatores vt non ceſſent pulſare, & petere: nam pulſanti aperietur, & petenti dabitur. Deinde, quod petat (*neceſſaria ad ſalutem:*) nam ſi pauper, petat temporalia bona, aut infirmus ſalutem, nõ neceſſe eſt quod in hac parte exaudiatur: quoniam diuitijs & ſanitate, poſſumus benè, & male vti, ideò non ſunt neceſſaria ad ſalutẽ. Per inopiam enim & infirmitatẽ poteſt Deus, ad maiorem gratiam homines ducere, quàm per diuitias, & integram valetudinẽ. Vnde, non dicit ipſe, quærite per temporalia regnum Dei, ſed quærite

Lib. de dono perſeue.

primum regnum Dei & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Tertiò, petendum eſt, (*piè,*) id eſt, non indignè, ſupra vires & meritum noſtrum: nam hoc peccatum eſt, quod à Spiritu ſancto eſſe non poteſt. Quartò, petendum eſt (*perſeueranter,*) nam qui perſeuerauerit vſque in finem, ſaluus erit. Qua virtute obtineri poteſt gratiæ augmentum, quod ſibi iuſtus de condigno benè mereri poteſt. At verò, quanuis oratio, & petitio quæ à Spiritu ſancto procedit, meritoria ſit, non tamen ſemper tanti præmij, quantum petit, niſi alia adhibeantur egregia officia quibus mereatur. Quemadmodum ſi quis aſcendere cupiat ad gloriam Laurentij, ſi non martyrem eſſe datur, plurima diuturnaq; opera, per Dei gratiã præſtet, quæ æquari poſsint illius martyrio: quod eſt perſeueranter petere.

80. *Scimus autem quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti.*) Excludit obiectionem quam poterat quis facere in hunc modum. Si Spiritus ſanctus adiuuat infirmitatem noſtram, poſtulatque pro Sanctis omnia quæ ſunt illis ſalubria, ipſeq; à Deo ſemper exauditur: cur permittit eius alumnos tot concuti laboribus, & perſecutionibus? Reſpondet dicendo, (*quòd diligentibus Deum, &c*) quaſi dicat, non eſt quod trepidemus, ne magnitudine malorum victi deffíciamus, cũ illud habeamus certiſsimum, quicquid horum acciderit pijs, omnia cedere in bonũ, tantus eſt Dei fauor in eos, quos ex deſtinata animi ſui voluntate delegit, ac vocauit in hanc fœlicitatem. Non aliqua, ſed (*omnia,* inquit, *cooperantur in bonum:*) nimirùm diuitiæ illis ſunt, miſericordiæ inſtrumẽta: paupertas, humilitatis cauſa: bona valetudo, ad faciendos fructus pœnitentiæ: aduerſa fortuna, patientiæ eſt materia: ſapientia, ſi doceant, habet Deum pro mercede: ignorantia, valet ad diſcendum: in poteſtate conſtituti, fœlices ſunt, quoniam iuſtitiam faciunt: tyrãnide oppreſsi, beati quoque ſunt, quoniam

niam perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam: infernus, ſalutarem illis facit timorem: paradiſus, ſpem gignit & gaudium: infirmitate, eorum exercetur humilitas: afflictione, patientia: contradictione, manſuetudo: odio, beneuolentia: peccatis alienis, fiunt cautiores: proprijs, humiliores. Vnde Aug. *In lib. de corru. & gratia.* adeò, inquit, iuſtis, omnia cooperatur in bonum, vt etiam ſi qui eorũ deuiãt, & exorbitant, etiam hoc ipſum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt, atque doctiores. Non quidem ita vt ſemper reſurgant ad conſumatiorem, aut certe parem iuſtitiæ gradum: ſed ad hoc tamẽ vt abiectiores ſint in ſua conſcientia, & occulatius viuant, vt perſeuerent. Vnde, ſcriptum eſt, *Eccli. 42* Melior eſt iniquitas viri (hoc eſt, ſtrenui militis Chriſti) quàm mulier, (hoc eſt, ſegnis homo, & deſes) benefaciens. Nam ille, ſurgit quidem prudentior, vt Petrus, Dauid, Ezechias. Hunc verò, bona ſæpe actio, ſecuriorẽ reddit, ac proinde negligentiorem.

Sunt quidem electi, partes nobiliſsimæ vniuerſi, ad quas cæteræ partes referũtur, ſicut ad bonum vniuerſi, (quod eſt Deo maximè volitum, vt ait D. Th.) *Tho.* quidquid fit in mundo, etiam ſi malũ fit: dicente Aug. quod Deus eſt adeò *Aug. in inchir.* bonus, quòd nihil mali eſſe permitteret, niſi eſſet adeò potens, vt ex quolibet malo, poſſet elicere aliquod bonũ. Vnde, corruptio vnius, vt inquit Philo- *Ariſt.* ſophus, eſt generatio alterius: hoc fit propter bonum, non quidem corrupti vt videmus, ſed ipſius vniuerſi. Et hæc eadem ratio eſſe videtur, circa ordinẽ nobiliſsimarum partium ad alias partes, quia malum aliarum partium, ordinatur in bonum nobiliſsimarum: harum verò malum, non niſi in bonũ ipſarum. *Tho.* Quia, vt ait D. Thom. de eis propter ſe cura habetur, de alijs autem propter ipſas: ſicut medicus infirmitatem pedis ſuſtinet, vt curet caput. Inter omnes autem partes vniuerſi, excellunt ſancti Dei, ad quorum quemlibet *Mat. 25* pertinet illud, Super omnia bona ſua conſtituet eum. Et ideò, quicquid accidit vel circa ipſos, vel alias res, totum in bonum eorum cedit: vt verificetur quod in Prouerbio dicitur, quí *Pro. 11.* ſtultus eſt ſeruiet ſapienti. Quia ſcilicet etiam mala peccatorum, in bonum iuſtorum cedunt. Vnde & Deus ſpecialẽ curam de iuſtis habere dicitur, iuxta illud, Oculi Domini ſuper iuſtos: qua- *Pſal.* tenus de illis talem curam habet, vt nihil mali circa eos permittat, quod non in eorum bonum conuertat.

81. *Diligentibus Deum.*) Amor Dei eſt per quem Deus operatur in nobis meritum & omne bonum: ſicuti calor naturalis per quem fit concoctio, & digeſtio alimenti in ſtomacho, qui, ſi optima vigeas complexione, quicquid apponas rectè concoquit, in bonumq; digerit ſanguinem: ita & qui Dei amore feruet, quicquid accidit benè vertit, meritumq; inde conficit. Huius amoris cauſa, eſt amor quo ipſe Deus nos diligit: nam quemadmodum Luna & cætera Aſtra, luce Solis ſplendẽt, & lucent: ita & corda noſtra, igne ſpiritus Dei, hoc eſt, amore diuino, flameſcunt & amant. Orandum eſt igitur vt multum nos diligat, quo ipſum etiam valde reddamemus.

82. *HIS qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti.*) Declarat de quibus iuſtis hic ſermonẽ faciat: non enim omnibus omnia cooperantur in bonum, niſi (*illis*) tantùm (*qui ſecundum propoſitum*) diuinæ prædeſtinationis (*vocati ſunt*) ad fidem Chriſti, in ſanctitatem. Tria quidem notantur per hæc verba in illis quibus omnia cedunt in bonum: nimirùm, prædeſtinatio, vocatio, & ſanctificatio. (*Propoſitum,*) refertur ad prędeſtinationẽ; quod, iuxta Aug. eſt propoſitum miſerẽdi. (*vocati.*) ad vocatio- *Aug.* nem pertinet: (*ſancti.*) ad ſanctificationem. Et quò clariùs intelligatur, obſerua, quod eſt duplex vocatio, vt docet Aug. Altera generalis, ſecundum præſentem cuiuſque iuſtitiam qua vo- *De corr. & grã. c. 7. & de pred. c. 16.* cati ſunt omnes qui gratiam receperũt, vt Iudam complectaris, & illi ſimiles. Altera eſt ſingularis prædeſtinatorum, qui

qui vtique ſoli vocantur ſecundũ Dei propoſitum, eoquód firmum, fixumq; Deo eſt, perducendi eos ad gloriam. De hoc propoſito, nomine voluntatis, mentionem illic fecit Saluator, vbi ait, Hæc eſt voluntas eius qui miſit me Patris, vt omne quod dedit mihi non perdam ex eo quidquam, ſed reſuſcitē illud, (ſcilic. ad gloriam) in nouiſsimo die. Et iterum, Quos dediſti, inquit, mihi, non perdidi ex eis quemquam. Et illos vocat verè diſcipulos ſuos, qui in iuſtitia perſeuerauerint vſq; ad mortem: ſi manſeritis, inquit, in ſermone meo, (ſcil. vſque ad mortem) verè diſcipuli mei eritis. De alijs verò vocatis, qui in gratia Dei non permanent, ait Ioa. ex nobis prodierunt, ſed non erāt ex nobis: nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum. Omnes itaque dicuntur ſimpliciter vocati, ſed ſoli prædeſtinati, ſecundum propoſitū vocati & electi, iuxta illud, Multi ſunt vocati, pauci verò electi. De quibus prædeſtinatis per tria capita ſequentia, deinceps. eſt verba facturus Paulus. Quibusq; ſolis, vt dictum eſt, competit ſententia hæc, (*diligentibus Deum, &c.*) & viceverſa, iuxta Chriſoſto. Illis qui Deum non diligunt, omnia eſſe damnoſa, veluti Iudæis quorū culpam, tàm & lignorum oſtenſio per Chriſtū, quàm eius ſancta prædicatio degrauauit: & Iudæ ac reliquis dānatis, qui in aliquo fuerunt gratiæ culmine, ex hoc ipſo beneficio, acceſsio fit damnationis.

Ioa. 6. · Ioa. · Mat. 20 · Chry.

83. *SCIMVS.*) In perſona ſanctorū loquitur Paulus, qui cum ſint ſpirituales, omnia iudicant: & altiſsimas cauſas diuini conſilij ſpeculantes, (*ſciunt*): & experimento comperiunt, hæc quæ videntur mala, in bonum ſuum cedere amatoribus Dei.

¶ Cauenda tamen eſt in hoc loco hæreſis eorum qui dicebant, prædeſtinatis nihil poſſe mali accidere ſpiritualis, neque reprobis quidquam boni: quod eſt manifeſtè contra veritatem. Nam prædeſtinatis contingit peccare frequēter, vt Paulo, Petro, Dauid, Magdalenæ. Reprobi verò cum ſunt in gratia, multa operantur virtutis opera. Exemplo eſt nobis Saul, de quo dicit Scriptura, quod erat filius vnius anni cum regnare cœpiſſet, duobus autem annis regnauit, hoc eſt, fecit opera boni regis. Peccata igitur prædeſtinatorum, ſecundum hanc Pauli ſententiam, poſſunt illis per fructus pœnitentiæ in bonum cedere: reprobis èconuerſo, beneficia accepta, in grauiora ſuplicia, dum dānantur.

Gilb. narrat. ſub Hon. pp. · 1. Re. 13.

84. *NAM quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.*) Oſtendit quonammodo amicis Dei, nihil mali poſsit contingere: & vt ait D. Tho. facit hanc rationem, nullus poteſt nocere his, quos Deus gubernādo promouet ad ſuam gloriam, ſed prædeſtinatos diligentes Deum, Deus promouet, ergo nihil poteſt eis nocere, aut nihil detrimenti euenire, quod nō cedat in eorum bonum. Maior eſt manifeſta, quæ inferiùs dilatabitur, & locupletabitur. Minorē verò probat nūc, proponens primo ea quæ ſunt ad promotionem ſanctorum ab æterno, nēpè, præſcientiam, & prædeſtinationem, vt patet in litera.

Tho.

¶ Hæc autem duo, ſcilic. præſcientia, & prędeſtinatio, conueniunt quidem in æternitate: nam vtraque eſt æterna. Differunt tamē ratione, nam *præſciētia* importat ſolam notitiam futurorum, ſiue bona illa ſint, ſiue mala: *prædeſtinatio* verò importat cauſalitatem quādam reſpectu eorum, ſiue, vt ait D. Th. & ſuprà dictum eſt, præordinationem quandam in animo, eorum quæ quis eſt facturus, quod idem eſt. Et ideò Deus habet ſcientiam de peccatis, ſed *prædeſtinatio* eſt de bonis ſalutaribus. Vnde, Paulus, Prædeſtinati, inquit, ſecundum propoſitum eius, vt ſimus in laudem, &c. Habēt ſe *præſcientia* & *prædeſtinatio* ſicut ſuperiùs & inferiùs, omnis prædeſtinatus eſt præſcitus, ſed non èconuerſo: includit enim prædeſtinatio præſcientiam, ſed non èconuerſo præſciētia prædeſtinationem. Hæc namque eſt

Ephe. 1.

vtri-

vtriuſq; potentiæ actus, nempè, intelectus & voluntatis. Illa verò intelectus tantùm, quæ etiam ſecundū vſum ſcholaſtem, ad reprobos peculiater accōmodatur, quos vocant præſcitos, vt diſtinguitur contra ſcientiam aprobationis. Eſt igitur huius loci ſenſus, dilectis Dei omnia cedunt in bonum, his qui ſecūdum propoſitum vocati ſunt ſancti, quos tamen non temerè delegit Deus, nouit ille ſuos multo antè quàm vocaret. Omnia enim præuio iudicio facit, & diſponit, non quod diſcurſu ꝓpns ſit Deo, ſed quòd nihil de rebus ſtatuat, niſi conſultò id bonum cenſeat. Propterea dicit, (*nam quos præſciuit*,) ideſt, quos bonum iuxta ſuam regulam iudicauit beare, (*hos prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui*,) nō enim nouit tantùm quos vocaret, verùm certo animi decreto præfiniuit, vt ad ſimilitudinem filij eius transformarentur, inſerti per baptiſmum corpori Domini Ieſu, qui deuicta carne, & morte triūphans adijt immortalitatem, vt idem ſperent in ſe membra, quod in capite iam peractum conſpiciūt, atque ita (*ſit ipſe primogenitus in multis fratribus*,) ac ſi diceret, vt in hunc ſcil. modum, æternus Pater per vnum filium, plurimos ſibi filios pareret, inter quos Chriſtus Ieſus, caput ac dux eſſet, velutiq; primogenitus, ſuum ius cæteris quoque communicans.

85. (*Conformes fieri imaginis filij ſui.*) Scopus & finis ſupremus prædeſtinationis, eſt conformitas ſanctorum ad vnigenitum filium Dei. Nam Chriſtus redemptor noſter quatenus homo, cauſa eſt reparationis noſtræ, non ſolùm meritoria, & ſuo gradu efficiens, ſed etiam velut exēplar, inſtar cuius beandi ſunt omnes, quotquot participes ſunt hæreditates ſuæ. Ipſe quidem quatenus homo, inculmine eſt participatæ hæreditatis, ſeu fœlicitatis, ad quam altiori, humilioriuè gradu accedent beati homines, quanto per ipſius gratiam & fauorem, plus, minuſvè charitate profecerint: gradu, inquam, ſecundum dotes, tàm animæ, vt viſionem, comprehēſionem, & amorem: quàm corporis, quod cōfiguratur corpori claritatis ei⁹.

86. (*Imaginis filij ſui.*) Hebraiſmus eſt, vt ſi dicamus aſsimilari & conformari imagini Cæſaris, pro eo quod eſt Cæſari, ſeu figuræ Cæſaris: ad hunc modū, dicendo, (*conformes imaginis filij*,) idē valet quod conformes filij, ſeu filio qui eſt imago. Cuius formæ etiam eſt illud Geneſ. Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinē noſtram. *Gen. 1.* Eſt Chriſtus Dominus, imago Dei inuiſibilis, ſplendor gloriæ, & figura ſubſtātiæ eius: huic aſsimilandi ſunt beati in patria, iuxta illud Ioa. Cum apparuerit, ſimiles ei erimus, in claritate ſcil. & pulchritudine, & gloria: quoniam fulgebunt iuſti ſicut Sol, in regno Patris eorum: ſicut Sol, inquam, ille qui fulſit coram tribus veris teſtibus in monte Thabor, ideſt, Chriſtus Dominus, qui ſe ibi glorioſè transfigurauit coram Petro, & Iacobo, & Ioanne. *1. Ioa. 4.* Ad cuius tantam gloriam qui ſe cōferre deſiderat, opus eſt vt prius in hac vita, Chriſto pauperi cōformetur in laboribus, quos pro nobis ipſe pertulit, vt plantati ſimilitudini mortis eius, fructus percipiamus & reſurrectionis.

¶Hæc autem Sanctorum ad Chiſtum conformitas, non eſt ratio prædeſtinationis, vt ſapienter docet S. Thom. ſed terminus, vel effectus ipſius. *Tho.* Nam ſub prædeſtinatione cadit omne beneficiū ſalutare, quod eſt homini ab æterno diuinitus præparatū: & hac ratione omnia beneficia quæ nobis confert ex tēpore, præparauit nobis ab æterno. Vnde, manifeſtè conſtat in Pelagianorum errorem incidere, qui aſſerat propter præuiſa opera aliquem eſſe prædeſtinatum. Etenim, cum Deus ab æterno decreuerit eo modo reconciliare nos per gratiam, quo facturus erat in tempore (blaſphemum enim & hæreticum eſſet id negare) conſequens appertè fit, vt ſi Pelagianum eſt ſentire quod gratia iuſtificans datur propter opera, idem ſit prorſus error dicere, quòd quis prædeſtinetur propter præuiſa opera, vel

quia præuiſus eſt benè vſurus gratia. Nam id quod eſt effectus gratiæ, magis repugnat eſſe cauſam prædeſtinationis quæ cauſa eſt ipſius gratiæ, quàm eſſe cauſam ei iſdem præcedentis gratiæ. Nullum ergo meritum ex parte noſtra à Deo præuiſum, poteſt eſſe cauſa prædeſtinationis, ſed hæc potius eſt cauſa omnis meriti, & omnis boni, quod nobis in hac vita, & in futura contingit.

87. *VT ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.*) Chriſtus Dominus ſecundũ æternam generationem abſque fratrũ erat conſortio, exiſtens in ſinu Patris, & ex hac parte vnigenitus dicitur à Patre: aſſumpta verò humanitate factus homo, vnigenitus quoque dicitur, non enim aſſumpſit illã vt eſſet adoptiuus ſicut nos, ſed naturalis Dei filius. Dicitur etiam vnigenitus à matre, fuit enim vnicus matri ſuæ benedictæ, cuius venter beatus qui ſpatio nouem menſium portauit eum, cuius vbera beata quæ eundem Dominum lactauerunt, & ipſa tota fœlix, quæ Spiritu ſancto concepit, & virgo peperit, & poſt partum virgo permanſit. At verò hic vnigenitus qui ab æterno erat ſine fratribus, voluit in tempore habere illos. Quemadmodum enim Deus ſuam naturalem bonitatem voluit alijs cõmu-
Tho. nicare, participando eis, vt ait D. Tho. ſimilitudinem ſuæ bonitatis, vt non ſolùm ſit bonus, ſed etiam actor bonorũ: ita Dei filius voluit conformitatẽ ſuæ filiationis alijs cõmunicare, vt non ſolùm ſit ipſe filius, ſed etiam primogenitus filiorum. Et ſic qui per generationem æternam eſt vnigenitus, per collationem gratiæ ſit primogenitus in multis fratribus. Diuerſa tamen ratione, nam ipſe eſt naturalis, nos verò per eius gratiam adoptati, ac proinde nullus ad hæreditatem potuit admitti, quoaduſque primogenitus à mortuis
1.C.15 reſurgeret. Vnde & primogenitus mortuorum quoque dicitur, quia primus omnium reſurrexit. Hinc etiam patet quomodo Chriſtus conſtitutus ſit hæres vniuerſorum, nos verò cohæredes ipſius: nimirùm, quia tanquam naturali Dei filio, homini facto, debetur hæreditas: nobis verò tanquam membris eius cõmunis per ipſum ſit. Alludit in hoc ad priſcorum, & noſtri etiam temporis nobilium morem, quo primogenitis decernitur hæreditas, cum onere alendi fratres: idemq; myſterium adũbratum eſt, in Iſaac, Iacob, manaſſe, qui paterna benedictione præ genitis fratribus prælati ſunt. Dicitur etiam iuxta Apoſtol. primogenitus omnis creaturæ, ſecundum æternam generatio- *Col. 1.*
nem, non quod ipſe ſit creatura, vt impius Arrius voluit, ſed quòd de ſumma *Arrius.*
eſſentiæ cognitione, in qua omnis relucet creatura, genitus eſt. Pari quoque modo dicendum, quod primogenitus æterni Patris, eſt etiam primogenitus virginis matris, naturalis quidem ipſius, nos verò per amorem ſumus filij tantæ matris, quam forſitan filiationem in dilecto Euangeliſta Ioanne ſignificare voluit Chriſtus eum pendens in cruce cũ matri commendauit, dicens, mulier ecce filius tuus: & ad Diſcipulum, ecce mater tua. Quis enim dubitat quod dilecti fratres Chriſti, ſint etiam filij dilectæ matris ſuæ? Generationem tuã, ò Chriſtiane, quis enarrabit? fratrem habes regem omnium ſeculorum, cuius pater, qui nunquam fuit natus, eſt etiã tuus pater, & mater eius virgo, eſt quoque tua, quæ eſt mater miſericordiæ.

88. *QVOS autem prædeſtinauit, hos & vocauit.*) Quo certa fides ſit nobis Deum quod ſemel inſtituit, ad plenũ vſque præſtiturum, eos *(quos prædeſtinauit,)* ideſt, ante omnia tempora nouit ac delegit, de quibus animi ſui decretum, iam euulgarat Prophetarum oraculis, *(hos)* per Euangeliũ, *(et)* ideſt, etiam *(vocauit.)*

Præſcientia, & Prædeſtinatio, cauſæ ſunt æternæ: vocatio autem, & iuſtificatio, & magnificatio, tẽporales effectus prędeſtinationis. Deinde, quoniam primũ iuſtificationis fundamentum eſt *fides*, quæ per auditum ſuſcipitur, primus prædeſtinationis effectus eſt *vocatio*. Nam vox ad aures fit. Vnde Paulus, quo-

Quomodo,inquit,credent niſi audiant? Quomodo autem audient ſine prædicante? Eſt autem *duplex vocatio*, altera exterior, quæ fit ore prædicantis: altera interior, quæ nihil aliud eſt, quàm quidam mentis inſtinctus, quo hominis cor mouetur à Deo, ad aſſentiendũ his quæ ſunt fidei, vel virtutis. Sed *vtraque vocatio* tàm exterior, quàm interior, item eſt duplex : *altera*, quæ ſuum non ſortitur effectum, ob duritiã cordis illius qui obturat aures,vt patet in Euangelio de vocatis ad nuptias, & ex illa ſententia, ſi non veniſſem & locutus eis non fuiſſem, peccatum non
Mat. 22 haberent : qua vocatione vocatus eſt
Ioa. 15. mundus vniuerſus. *Altera* verò,eſt efficax, quæ ſuum ſortitur effectum: in illis ſcili. qui vel ante rationis vſum abluuntur aqua Spiritus ſancti. vel poſteà aſſentiuntur Euangelio. Vtrunq; enim eſt neceſſarium ad fidem, & *fauor Dei* mouentis nos ad eam, nam ideò inuitat, vocat, rogat, & tanquam gallina congregat pullos ſuos ſub alis clemẽtiæ ſuæ: vnde filius Dei Ieſus Chriſtus, Nemo,inquit,venire poteſt ad me, niſi Pater qui miſit me traxerit eum.
Thi. 5. Et Hierem. Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur. Eſt deinde neceſſarius ad fidem, *ſpontaneus noſter aſſenſus*, quia omnis qui audit à Patre, inquit Filius, & didicit, ideſt, obtemperauit, & aſſenſus eſt, venit ad me, credendo ſcil. per fidem viuam. Sed & *hæc efficax vocatio, eſt etiam duplex: altera*, eſt tantùm in diem ſecundum temporariam & præſentem iuſtitiam, prout in illa ſeminantis parabola, ſatis exactè deſcripta eſt, in ſemine quod cecidit ſe-
Luc. 8. cus viam, vel in petroſis : dedit enim fructum ad tempus, ſed qui vel exaruit demum, vel à volucribus cœli conſumptus eſt. Hac vocatione vocati ſunt illi de quibus ait beatus Euangeliſta Ioãnes, ex nobis exierunt, ſed nõ erant ex nobis. Hac vocatus eſt Iudas, qui non perſeuerauit in dignitate ſui Apoſtolatus. *Altera*, eſt efficax vocatio,ſecundũ æternam prædeſtinationem, veluti proprius eius effectus, de qua hîc loquitur Paulus, & ſuprà cum dixit, *Vocati ſecundum propoſitum* : ac proinde talis *vocatio* eſt certiſsima, iuxta illud Prophetæ. Iurauit Dominus exercituum di- *Iſa.* 14.
cens, Si non vt putaui ita erit, & quomodo mente tractaui, ſic eueniet. Et propter hanc certitudinem, more prophetico, vſus eſt Paulus verbo præteriti dicens, *Vocauit*. Hac quidem vocatione vocati ſunt, Petrus, Paulus, Andreas, cum cæteris Apoſtolis, & omnibus quotquot prædeſtinati ſunt ad vitam.

89. *ET quos vocauit, illos & iuſtificauit.*) Simul tempore ſunt vocatio & iuſtificatio : natura autem præcedit vocatio iuſtificationem, tamquam cauſa ſuũ effectum. Nam quemadmodum vocatio eſt effectus prædeſtinationis, ita & vocationis iuſtificatio, ideò enim quis iuſtificatur, quia vocatur à Deo, & non èconuerſo. Quoniam vocatio motionẽ Dei ſignificat trahentis hominem, iuſtificatio verò terminum, hoc eſt, recõciliationem, per infuſionem gratiæ Spiritùs ſancti, in eum qui vocationi Dei auſcultat. Nõ igitur fruſtrà vocat De⁹ illos quos prædeſtinauit, nam vocatos ſua indulgentia ex impijs pios, ex nocentibus innocentes reddidit.

90. *QVOS autem iuſtificauit, illos & magnificauit.*) Significat & futuram gloriam, & præſentem gratiam ſanctorum. Valde enim magnificum & glorioſum eſſe videtur, in hac vita vacare vitijs, innocẽtiæ gloria florere, affectibus eſſe incorruptis, ſic inſitum eſſe Chriſto,vt idem ſis cum illo, ſpiritũ illius habere pignus, hæredem eſſe Dei, cohæredem Chriſti, vt de gloria cœleſti quæ fupereſt, ſuo tempore implenda, non liceat diffidere.

91. *QVID ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos?*) Manifeſtat maiorem propoſitionem ſuprà poſitam,nempè,illis,quos Deus gubernat, nemo nocere poteſt, nec per malũ pœnæ, nec per malum culpæ, & ait, (*Quid ergo dicemus ad hæc?*) quaſi dicat,quid reſpondebimus ad tantæ chari

tatis beneficia fratres? Cura enim noſtri tam altè inſidet Deo, vt ab æterno nos prædeſtinauerit, deinde vocauerit, iuſtificauerit, magnificauerit, ſpiritumq; ſuum nobis donauerit clamãtem pro nobis *Abba Pater*, ſuſpirijs altiſsimis ſalubria petentem: quas illi gratias pro tantis beneficijs fragilitas noſtra perſoluet? Aut quo non repleamur gaudio, ſtuporeq; expaueſcamus, quod talem habeamus Deum, tam propitium, tam beneuolum, & noſtri amãtem. Quis iam negare poterit, diligentibus Deum omnia cooperari in bonum? Quis enim diuinum poterit impedire conſilium? Nam iuxta Sapientem, non eſt ſapientia, neque prudẽtia, neque conſilium contra Dominum. Et cum hoc ita habeat, quid eſt quod de diffidendo loquatur aliquis? Nam (*ſi Deus pro nobis, quis contra nos?*) ac ſi diceret, tot argumentis iam Deus declarauit ſuam erga nos charitatem ac beneficentiam, qui ſi à nobis ſtat, quid poterit vllus aduerſarius? Quid poterit hominum malitia, protegente nos Deo? Hinc eſt, quod beatus Iob, poſt- *Iob.17.* quàm diuinum fauorem expertus fuerat, dixit, Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me. Et Regius *Pſ.26.* Vates Dauid, ſimiliter dixit: Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? ſi conſiſtant aduerſum me caſtra non timebo: ſi exurgat aduerſum prælium, in hoc ego ſperabo. *Pſal.* Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Quibus ſententijs valde arguũtur puſillanimes, dum tot auxilijs muniti, non ſolùm ingentibus, verùm & leuibus ſucumbunt tentationibus, valẽdo omnia Dei fauore vincere. Exemplo ſunt robuſtiſsimi pariterq; fortiſsimi martyres, in quos mundus fremens & furens prorſus nihil valuit, imò ſtupore plenus manſit circa eorum conſtantiam & fortitudinem, eo quod non eſſet poteſtas contra ſpiritum qui vigebat in eis.

92. *QVI etiam proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illũ, quomodo non etiam cum illo, omnia nobis donauit.)* Mirum profectò argumentũ, Dei erga nos eximiæ charitatis, idem prorſus cum illo, ſic Deus dilexit mũdum, vt filium ſuum vnigenitum daret. *Ioa.3.* Quid non dabit, qui hoc nobis dedit? aut quid non expectabimus ab eo propitio, qui pro nondum reconciliatis, nõ pepercit vnico filio ſuo, ſed pro nobis omnibus vnum expoſuit? pro nocentibus innocentem, pro peccatoribus, iuſtum & ſanctum tradidit: exinaniuit, ac deiecit, vt nos ſubueheret: peccatũ fecit, vt nos à peccatis liberaremur: in mortẽ tradidit, vt nos reuiuiſceremus. Proinde cum filiũ dederit in quo ſunt omnia, nõne conſequitur, eo nobis donato, donata eſſe omnia quæ ſunt filij, cuius nos fecit cohæredes? Donata, inquam, nunc in ſpe, poſtea donanda in re, cuius ſpes eſt certiſsima per Chriſtum. Quid enim non impertiet nobis, poſteaquàm impendit eum qui potior eſt vniuerſis creaturis?

93. *Proprio filio ſuo.)* Non adoptiuo, ab æterno ſibi genito, ſuæ ſubſtantiæ ſplendori.

64. *NON pepercit.)* Pro nihilo ducit mortalis homo omnia quæ poſsidet perdere, vt dilecto filio parcat: & tamẽ Deus vt filijs iræ, & peccati, parceret, proprio filio qui fons totius eſt ſanctitatis, non pepercit.

95. *Tradidit.)* Nemo traditur pœnæ, niſi peccati reus: ſed amator hominũ Deus, innocentem filium tradidit, vt nobis iniquis parceret. Tradidit, inquã, dum miſit eum in mundum, in ſimilitudinem carnis peccati: tunc enim poſuit in eo iniquitates omnium noſtrũ. Quin & ipſe ſe quoque tradidit, dũ charitate ardentiſsima ſuccenſus, paſsioni ſua ſponte ſe obtulit. Tradidit eum etiã Iudas, & Iudæi, exterius aduerſus eum aliquid operando.

96. *PRO nobis omnibus.)* Quantum ad ſufficientiam, pro peccatis totius mun-

1. Ioa. 2. mundi paſſus eſt Chriſtus, vt ait Ioan. ſed quantũ ad efficatiam non niſi pro prædeſtinatis.

97. *Donauit omnia.*) Iure qnidẽ Chriſti Saluatoris noſtri, qui eſt Rex regum & Dominus dominantium, omnium rerum ſunt quodammodo poſſeſſores, ſancti & iuſti, tamquàm ipſius Chriſti Domini membra, dum omnibus ad ipſius gloriam vtuntur, & nihil eos remoratur in via huius vitæ, ſed omnia illis cooperantur in bonum. Habent Angelos in miniſterium terrenæ militiæ, & eoſdem habebunt in conſortium cœleſtis triumphi. Habent cœlos in miniſterium corporalis vitæ, & eoſdem poſtea habebunt in habitaculum, & perpetuam ſedem æternæ vitæ. Omnia veſtra ſunt, ait Paulus ad perfectos Chri-
1. C. 3. ſtianos, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei.

98. *QVIS accuſabit aduerſus electos Dei.*) Reiecto pœnæ metu ab animo ſanctorum, confert ſe ad expellendum timorem etiam culpæ, quo eos ſecuros reddat tàm ab actore accuſante, quàm à iudice condemnante: & ait, (*Quis accuſabit aduerſus electos Dei?*) quaſi dicat nullum periculum eſt, ne animum ſuũ beneuolum erga nos, vertat, mutetq; Deus, opera calumniatoris: quis enim auſit accuſationem inſtituere aduerſus eos, quos Deus deſtinato, certoq; conſilio delegit, ac pro ſuis ducit? num audiet calumniatorem aduerſus eos, quibus ipſe gratis omnia cõmiſſa do-
Chryſ. nauit? Nam iuxta Chryſoſt. Si quis eligendi peritiſsimus, vel equorũ pullos, vel aurum, vel quãuis rem aliam, optimo conſilio rem eligeret ſuæ artis, nullus auderet in re electa quidquam reprehendere. Sic electos Dei nemo poteſt reprobare, cum ſint electi ab ipſo qui eſt ipſamet ſapientia, & falli non poteſt. Ac propterea non dixit Paulus, *Iuſtos, aut vocatos*, hi enim ſi ad tẽpus tantùm iuſtitiam habẽt, non ſunt quidem immunes ab accuſatione, quia nõ perſeuerant vſque in finem. Sed dixit, *Electos*, ideſt, probatos, quos nullus offendet accuſator: accuſare enim improbare eſt, quomodo ergo improbabit calumniator, quos Deus probauit?

99. *DEVS qui iuſtificat, quis eſt qui condemnet?*) Quemadmodum electionẽ Dei, oppoſuit accuſationi, ita & eius iuſtificationem, opponit condemnationi: & alludit ad tribunal ſupremi iudicis. Cum enim prætor, reum iuſtificat, hoc eſt, iuſtum pronuntiat, non omnis miſeto aufertur metus, ne rex ſi ad ipſum appelletur, eum condemnet: quem verò rex abſoluerit, omni prorſus timore caret lætus & iucundus. Optimè ergo colligit diuinus Apoſtolus, ſi (*Deus*) omnium iudex, quem nihil latet, & cuius poteſtate, nulla eſt ſuperior, nos (*iuſtificat*,) ideſt, à priſtinæ vitæ reatu abſoluit, & pro iuſtis habet, (*et quis erit qui condemnet*) abſolutos? quaſi dicat, nemo, modo nos cauerimus ne in priſtinas relabamur culpas. Vnde beat Iob. 34.
Iob, Ipſo concedente, inquit, pacem, Pſ. 31.
quis eſt qui condemnet? Et Dauid, Beati quorũ remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata, ideſt, ita abolita, vt nulla in perpetuum reſtet memoria ad confuſionem illius cui cõdonata ſunt.

100. *CHRISTVS IESVS qui mortuus eſt, imo qui & reſurrexit, qui & eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.*) Poſſet quis deceptus aſſerere quod à Chriſto Ieſu, qui eſt legiſlator, accuſarentur tranſgreſſores mãdati ſui, ſicut & de Moyſe dicit ipſe, eſt qui ac- Ioa. 5.
cuſat vos Moyſes, in quo ſperatis: & quod etiam ab ipſo condemnarentur, eo quod ſit conſtitutus à Deo iudex viuorum & mortuorum. Ipſe etiam eſt Act. 10.
immunis ab omni peccato, atqueadeò 1. C. 2.
idoneus videtur ad accuſandum, & cõdemnandum, iuxta illud, Qui ſine pec- Ioa. 8.
cato eſt veſtrum, primus in illam lapidẽ mittat. Cum ergo ipſi etiam iuſti ſæpenumero delinquant, potuiſſet eis quiſpiam forſitan talem timorem incutere: ſed Paulus eum aufert, reſpõdens quod Chriſtus mortuus eſt pro nobis, qui idcirco non eſt metuendus à iuſtis pro
qui-

quibus mortuus eſt, & quibus tot tantaq; contulit beneficia. Poteſt autem tota hæc oratio interrogatiuè legi, ſecundum Aug. & alios, in hunc modũ: cùm Deus ſit qui iuſtificat, quis eſt qui condẽnet? Chriſtus nè qui mortuus eſt? &c. quaſi dicat, non. Poteſt etiam aſſertiuè pronuntiari, ſed ironicè. Hoc modo, quis accuſabit aduerſus electos Dei? Reſpondet ironicè, quòd Chriſtus, de quo talia ſentire fas non eſt, cum ipſe tam raro ſit in nos affectu, vt pro nobis ſeruandis mortem etiam oppetierit. Imò qui & nobis reſurrexit à mortuis, ne ſuis deeſſet. Is tantus aduocatus, & idem iudex, aſsidens dexter Deo Patri, (*interpellat pro nobis.*) ideſt, cauſam noſtram agit apud illũ; tantum abeſt vt accuſet, vel condemnet ſuos. Itaque cum Pater, morte Filij nos abſoluerit ab omni reatu: cum filio, tam chari ſimus: quid eſt quod poſthàc metuamus diabolum, aut diaboli miniſtrum hominem, vel criminantem, vel condẽnantem? Non licet iam timere eos qui occidunt corpus, animam autẽ non poſſunt occidere, ſeruatam vtique à Chriſto in gloriã ipſius. Eximia ſunt hæc beneficia, & maiora valdè, quam vt lingua vlla valeat exprimere: nimirũ, (*mors, reſurrectio, thronus, interpellatio filij Dei pro nobis.*) Nam & ſi Chriſto vt Dei filio naturali, & reſurrectio debebatur, & thronus ad dexteram Patris: hæc tamen omnia retulit in rem noſtram, quæ rurſus ſalus in eius gloriam refunditur. Bono ergo animo ſint iuſti, pro quibus mortuus eſt Chriſtus, & ſi peccauerit quis eorum ſepties, aut ſeptuagies ſepties, non diffidat de ſalute, aduocatum habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantùm, ſed & pro totius mundi, vt inquit Ioannes. *Ioa.*

101. *Mortuus eſt*) Mors Chriſti, cauſa efficiẽs eſt noſtræ redemptionis.

102. *Imò qui & reſurrexit.*) Reſurrectio Chriſti, cauſa exemplaris eſt noſtræ iuſtificationis, vt quomodo ipſe ſurrexit à mortuis, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Addit autem (*imò*) quia potiùs eſt nunc cõmendãdus ex virtute reſurrectionis, quàm ex infirmitate paſsionis: nam ſi crucifixus eſt ex infirmitate noſtra, ſed viuit ex virtute Dei: vnde ſpes noſtra augetur, tùm, reſurrectionis noſtræ, tùm etiam auxilij eius. *2 Cor. 13.*

103. *QVI & eſt ad dexteram Dei.*) Magnum & mirabile, & ſtupore plenũ *Chry.* eſt, ait Chryſoſt carnem noſtram ſurſum ſedere, & adorari ab Angelis & Archangelis: hæc quotieſcunque mecum cogito, exceſſum patior, magna de genere humano imaginans. Eſt Chriſtus Dominus (*ad dexteram DEI,*) in æqualitate quidem Patris, ſecundum diuinam naturam: & in potioribus bonis eius, ſecundum naturam humanam, vt docet S. Thom. *Tho.* & nos etiam quatenus eius membra, in eodem loco cum ipſo ſumus, quod eſt nobis magnę gloriæ. Vnde Paulus, Conſedere, inquit, nos fecit in cœleſtibus in Chriſto Ieſu. *Eph. 2.* Qui ſcil. eſt caput noſtrum, nos verò ipſius membra.

104. *Interpellat.*) Superiùs de Spiritu ſancto loquens dixit, quòd (*poſtulat.*) De Chriſto verò nunc dicit quòd (*interpellat,*) quod idem eſt. Sed differenter Spiritus ſanctus & Chriſtus poſtulant: nam Spiritus ſanctus facit nos orare tantùm, quoniam, nec mediator eſt, neque naturam creatam aſſumpſit, ſecũdum quam poſsit orare, nam hoc, inferioris eſt ad ſuperiorem. Sancti igitur numinis aflatu, nos tanquam miſeri & rei, poſtulamus veniam à Patre miſericordiarum. Chriſtus verò quia homo eſt, & mediator, (*poſtulat*) pro nobis intercedendo tanquam medius aduocatus, iuxta illud, Aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtũ iuſtum, &c. *1. Ioa. 2.* Quod quidem patrocinium, & interpellandi munus, etiam in hac vita mortali, non ſolùm reipſa præſtitit, vbi ait, Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, verum & in futurũ pollicitus *Luc. 22.*

licitus eſt dicẽs, rogabo Patrẽ, & aliũ paraclitum dabit vobis. *Ioa. 14.* Eſt autem munus & officium aduocati, non accuſare, aut condemnare, ſed potiùs accuſatorẽ repellere, & condẽnationem impedire. Chriſti itaque pro nobis interpellatio, tripliciter fit, primo quidem orando, iuxta illud, Non pro his, ſcil. Apoſtolis, *Ioa. 17* rogo tantùm, ſed & his qui crediturí ſunt per verbum eorũ in me. Deinde, volendo: iuxta illud, Volo Pater, vt vbi ego ſum, & illi ſint mecum. Tertiò, humanitatem pro nobis aſſumptam, & myſteria in ea celebrata, conſpectui paterno repreſentãdo: iuxta illud, Introi- *Heb. 6.* uit in ipſum cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. Huic tanto ac tali mediatori debentur omnia quæ poſtulauerit: ad quem proinde omnis ſermo noſter, & oculi noſtri, donec miſereatur noſtri. Quoniam à Patre, niſi per ipſum, quidquàm non obtinebimus: eſt enim filius dilectionis ſuæ. Et hoc quidem dum facimus, illum colimus, cultu qui dicitur latriæ. Sancti etiam tanquàm amici interpellant, & orant pro nobis: non tamen eis quidquàm ex cõdigno debetur: ſunt nihilominus orandi, quos dum præcamur vt orent pro nobis, minimè colimus latria, ſed dulia.

105. *PRO NOBIS.)* Quantum ad ſufficiẽtiam, de omnibus ſumitur hoc. Oratio enim Chriſti, ſicut & eius paſſio, de ſe ſufficiens eſt vniuerſis, niſi iniqui ſua obdurarent corda: iuxta illud Oſeæ, Auxilium meum Iſrael, ex te *Oſea.* autem perditio tua. In aliquibus etiam reprobis, gratiam ad tempus impetrat, quam & in cruce meritus eſt Chriſtus. Sed quantum ad efficatiam, de ſolis electis accipitur, quibus ſicuti moriendo, ſic & orando obtinuit gratiam & gloriam. Aduerſum hos in die iudicij, nulli locus dabitur accuſationi. Nec verò in ſtatu præſentis vitæ aduerſarius poteſt illos accuſare, accuſatione ſcil. procedente ad cõdemnationem.

Nihil tamen prohibet, quominus iuſtus ſemper ſit pauidus, an ſit in gratia Dei, necne. Huius certiſsimum ſignum, eſt vera pœnitentia, quæ tres partes comprehendit, per quas Deus iuſtificat adultos, nimirùm, contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem: his ritè peractis, nemo eſt qui in extremo iudicio condemnetur. Nam per gratiam & iuſtitiam Chriſti, in ratione meriti, & cauſæ efficientis, iuſtificamur. Per gratiam verò quam nobis infundit, iuſtificamur formaliter. Hæc quidem in paruulis, eſt eiuſdem æqualitatis per ſacramentum collatæ. In adultis verò non niſi ſecũdum conatum & feruorem, quo ad Deũ conuertuntur. Vndè qui minori contritione & dolore, quàm pro grauitate ſuorum criminum par erat conuertitur, is iam in gratia conſtitutus, fructibus pœnitentiæ, teporem ſuum, & negligentiã recompenſet. De pœnitentibus Chriſtianis nunc loquor, nam hac ratione, Eccleſiæ prælati, autoritate ſibi à Chriſto tradita, repoſcunt ab eis ſatisfactiones, quas ſi non in hoc ſeculo perſoluerint, exacturus eſt Deus in futuro, vt iuxta Paulum ſaluentur quaſi per ignẽ. *1. C. 3.*

106. *QVIS ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti?)* Colligit ex dictis hanc concluſionem, & iuxta Aug. eſt vna ex *lib 4. de doc. chr.* orationibus quæ in ſacra Scriptura grãditer & cum vehementia prolatæ ſunt. Habet autem ex proximis verbis conſequentiam hanc. Cum tot beneficijs, tot pignoribus obſtricti ſimus Deo, Chriſtoq;, qui vt prædeſtinatos vocaret, iuſtificaret, ac magnificaret traditus eſt: & quò fructus iuſtificationis, iugiter vberiores nobis proueniant, aſſidens dexter Deo Patri, pro nobis interpellat, corporis ſanctiſsimi cicatrices glorioſas paternis oculis oſtendendo. *(Quis ergo nos ab illius charitate diſtrahat?)* Vt non redamemus, ſic adamati? nulla malorum humanorum procella, poterit aduerſus habentes charitatem, ſi volunt: tùm, quia Deus eſt pro illis, imò eſt in illis, & ipſi in illo. *1. Io. 4.* Tùm etiam, quia vt habetur in Canticis, Fortis eſt vt mors dilectio. Et, aquæ *Cant. vl.* multæ non potuerunt extinguere charitatem.

107. *Tribulatio, an angustia?*) A tribulo, dicitur *tribulatio*, ſiue ferreo, ſiue ſpineo: & ſignificat mala quæ exteriùs inferuntur ab hoſte, qualia ſunt, carceres, exilia, calumnias, & huiuſmodi alia. *Anguſtia* verò ſignificat internas anxietates: hæc facit tribulationem grauiſſimam. Nam ſi in tribulatione, datur euadendi via, ſolatiū eſt: ſin autē minùs, tum grauiter anguſtiatur animus, & tribulatio recrudeſcit. Vnde Dauid, *Pſal. 4.* pro magno decantat beneficio, in tribulatione dilataſti mihi. Et Apoſtolus, *2. C. 4.* Tribulationem, inquit, patimur, ſed non anguſtiamur: quia, vt ait Dauid, *Pſal.* Multæ tribulationes iuſtorum, & de omnibus his liberauit eos Dominus.

108. *AN perſecutio?*) Optimè cum anguſtia componitur impiorum perſecutio, quæ non videtur eſſe aliud quàm miſeri inſectatio, quouſque omnis illi occludatur via ſalutis, & in extremas conijciatur anguſtias: quod fit infligendo illi quodlibet nocumentum.

109. *AN fames?*) Pertinet ad ciborum ſubtractionem.

110. *AN nuditas?*) Indigentiam tegumenti deſignat, & aliarum rerum penuriam, quæ nobis eſſe ſolent extrinſecus refrigeria aduerſus aëris inclemētiam.

111. *AN periculum?*) De naufragio poteſt inteligi, & alijs malis futuris.

112. *AN gladius?*) Vniuerſa mortis genera, quæ à diris tyrannis contra ſanctos martyres perpetrabantur: ſignificat.

113. *SICVT ſcriptum eſt, quia propter te mortificamur tota die; æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis.*) Admonitos his verbis facit filios huius ſeculi, ne, dum viderint filios Dei tam immania pati tormenta, cogitent, in cauſa eſſe vel eorū demerita, vel quaſi derelictos habeat Deus in obliuione: quandoquidem talia euentura pijs in hoc mundo, iam olim præuidit myſticus ille pſalmographus, cum in perſona fideliū pro Chriſto patientium, diuino aflatus ſpiritu, canit, (*quia propter te mortificamur tota die,*) ideſt, morti tradimur quotidie, (*æſtimati ſumus,*) ideſt, habiti ſumus, (*ſicut oues occiſionis,*) ideſt, ſicut oues cædi deſtinatæ. Quos ſanè, per talem mundi ſæuitiam, & probatur eorum amor tanquam aurum in fornace, & ad cumulatiores coronas, promouet Deus.

114. *Propter te.*) Sola Chriſti charitas, fuit cauſa paſsionis martyrū, aliàs non eſſent martyres Chriſti, quia, vt ait Aug. martyrem nō facit pœna, ſed cauſa. *Serm. de mart.* Sicut enim Chriſtus dominus inter latrones diuerſa de cauſa crucifixus eſt: ita inter Chriſtianos diuerſis cauſis patiuntur homines: vt latro, propter rem alienam: ambitioſus, propter innanem gloriam: auarus, propter aurum: & alij, propter alias cupiditates ſeſe morti offerunt, vt vnuſquiſq; cum idolo ſuo quaſi loquens poſsit dicere, (*propter te mortificamur tota die.*) Diuerſa tamen mercede patitur impius, & pius homo. Aurum enim auaro poteſt reſpondere, tu ſi naufragium feras, & me perdes & te: ècontrà verò Chriſtus ſuis ſic dicit, Qui perdiderit animam ſuam propter me, ſaluam faciet eam. *Mat. 5. & 10.* Atqueadeò beatus Petrus, Nemo, inquit, patiatur vt fur, aut homicida, ſi autem vt Chriſtianus, non erubeſcet. *1. Pe. 4.* Patitur etiam propter Chriſtum, vt ait D. Tho. *Tho.* non ſolùm qui patitur propter fidem Chriſti, ſed etiam qui pro quocunq; iuſtitiæ opere, amore Chriſti. Strenui militis eſt, *Mat. 9.* ducem ſuum ſequi, diſcipuli magiſtrū, ſequamur Chriſtum ducem ac præceptorem noſtrum, ſequamur eum in hac parte, nam hæc eſt Chriſtianorum gloria, pati pro Chriſto, ſicut ipſe pro illis paſſus eſt. Pro quo tanto lubentius debemus pati, quanto ipſe pro nobis gratius mortuus eſt: iuſtus, pro iniuſtis: diues, pro miſeris, vt nos fœlices faceret, & participes gloriæ ſuæ. Morientes igitur pro Chriſto, quid multū facimus? Ipſe bonorum noſtrorum non eget, nec vitæ, nec mortis noſtræ. Sed mori pro ipſo, quid inde nobis cōmodi pro-

prouenit, aut incommodi? Nimirùm, mortalem vitam, pro immortali cōmutamus, vt mori pro ipſo non formidemus. Imò ſi nihil à Chriſto ſperaremus, mori pro ipſo debemus, cū illi debeamus vitam & omnia.

115. *Mortificamur.*) Mortificare, nō ſignificat in hoc loco macerare carnem per opera pœnitentiæ, vt in epiſtol. ad
Col. 3. Col. vbi ait Paulus, Mortificate membra quæ ſunt ſuper terram. Sed ſumitur pro eo quod eſt, morti tradi.

116. *Tota die.*) ideſt, quotidie. Et dicit hoc propter varias Chriſtianorum afflictiones, quibus olim afficiebantur. Vnde Chryſoſto. Cum naturæ, inquit, noſtræ, datum ſit ſemel mori, tamen primitiui illi Chriſtiani, ſua ſe ſponte, mille mortibus obiectabant propter
2. C. 4. Deum. Iuxta illud, Semper nos qui viuimus, in mortem tradimur propter Ieſum, vt & vita Ieſu manifeſtetur in carne noſtra mortali.

117. *Æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis.*) Conuenit cum illa ſententia Saluatoris, Venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur ſe obſequium præſtare Deo. Tyranni enim neceſſariū ducebant, Apoſtolos, & reliquos Chriſtianos, tanquam legum peruerſores & religionis, ſuprimere, & extinguere: quos propterea, perinde ac pecudes victui neceſſariæ, quotidie cædebant, diſcruciabant, diſſecabant, ac dilaniabant: inter quos Apoſtoli præcipui habiti ſunt, iuxta illud Pauli dicentis, Puto, quod Deus nos Apoſtolos nouiſsimos oſtendit, tāquàm morti deſtinatos, quia ſpectaculum facti ſumus mundo. Hinc
Hiero. ſumitur pro nobis, valde ſalubre documentū, quod non licet perfectis Chriſtianis, per impatiētiam ſemetipſos defendere, ſed exemplo Domini & Magiſtri, qui ſicut ouis ad victimam ductus eſt, omnia illata patientiſsimè tolerare.

118. SED *in his omnibus ſuperamus propter eū qui dilexit nos.*) Hæc eſt ſolutio ſuprapoſitæ quæſtionis de Chriſti charitate, & ait, prædictas omnes tribulationes pro nihilo ducendas eſſe, propter eum qui ita nos dilexit, vt pro nobis moreretur: in quo etiam nos ipſos confortante, poſſumus vtique omnia: & quando pro eius nomine morimur, tunc maximè ſuperamus, & triumphamus. Quanuis ergo tyrannorum mala acerba videātur aduerſus Chriſtianos, nihil tamen eos terrere debent, ſi ad eorū manus venire contingat. Incidere poſſunt, opprimere non poſſunt: imò quo magis incūbunt, hoc magis ac magis eleuabimur ſicut palma: & confirmabunt noſtram erga Chriſtū, & Chriſti erga nos charitatem, dum vbiq; victores diſcedimus, non qnidem noſtris ipſorum præſidijs, (*ſed propter eum qui dilexit nos,*) ideſt, illius protectu cui debemus omnia. Neque enim ille, quando nos ſic amat, ſinet vinci: neq; nos, memores illius erga nos beneficentiæ, vllis malorum inſultibus labefactabimur ab illo redamando.

119. *Superamus.*) Obſerua pie Lector, ſtupendas martyrum victorias, aduerſus hoſtes Chriſti: facili ipſorum iuſſu è delubris dæmonia exire cogebant: idola, imperio confringebant: flāmæ illis parebant, & inimicos conſūmebāt: illorum conſtantia & lætitia in paſsionibus, ſtupebant hoſtes, vt frequenter ad fidem Chriſti conuerterentur, & ex inimicis crudelibus, fiebant amici & ſocij earundem paſsionum.

120. *Propter eum qui dilexit nos.*) Dilectio Chriſti, eſt cauſa noſtræ dilectionis, & totius noſtræ fortitudinis: vnde *1. Ioa. 4.*
Ioannes, Non quaſi nos, inquit, dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos. Amanti ergo nihil eſt difficile, imò omnia ſunt poſsibilia: amāti, inquam, Chriſtum qui eum confortat, vt dictum eſt.

121. *Certus ſum enim.*) Inſignis Chriſti amor erga ſanctos eius, magnam parit in eis animi fiduciam, quam in hoc loco Paulus vocat certitudinem: quāpropter cum dixiſſet propter eum qui dile-

dilexit nos, in tanto amatore fretus, quaſi omnimoda certitudine munitus, omniq; excellenti virtute armatus, quaſi pro nihilo ducens omne robur creaturæ, paruipendéſq; omnia mala quę à mundo euenire poſſunt ait, Certus ſum, quia, pro quod.

122. *Neque mors.)* Terribilium omnium, terribiliſsimum eſt mors, includens in ſe omnia mundi mala quæ hominem terrere poſſunt, vt diſcedat à charitate Dei.

123. *Neque vita.)* Hæc eſt præcipuũ, inter appetibilia bona quæ allicere valent hominem. Nam pellem pro pelle

Iob. 1. & cuncta quæ habet homo dabit pro anima ſua.

124. *Neque Angeli, neque principatus, neque virtutes.)* Nomine Angelorum, Archangelos: nomine autem principatuum, Dominationes: & nomine Virtutum, Poteſtates etiã inteligere poſſumus. De ſuprema autèm Hierarchia non poteſt cógruè inteligi, vtpote quæ non tàm ad creaturas, quàm ad Deum reſpectum habet. Eſt enim *Seraphim*, idem quod ardor charitatis Dei: *Cherubim*, ſplendor ſcientiæ ipſius: *Throni*, ſedes eius dicuntur. Loquitur autem

In lib. de cõpunct. cord. nunc diuinus Apoſtolus, amatorũ more, per hyperbole: amor enim inter cunctos animi affectus, gaudet hyperbolis. Vnde Chryſoſt. Amantium, inquit, mos eſt, vt amorem ſuum ſilentio tegere nequeant, ſed neceſſarijs & charis produnt, & flãmas ſuas intra pectus cohibere non poſſunt: enarrant ea frequenter, vt ipſa aſsiduitate narrandi, amoris ſui ſolatium capiant, & refrigeria immenſi ardoris aſſumant. Sic facit hic beatus eximius amator Chriſti: omnia quæ ſunt, & quæ erunt, quæq; accidere poſſunt, & quæ omnino non poſſunt, ſimul vno ſermone complectitur: vt per hoc quanta in eo vis eſſet diuinæ charitatis oſtenderet, atq; omnibus ante oculos poneret. Deinde, cũ Deus, (authore Bernardo) ſine modo amandus ſit, non potuit hic eximius amator, modum torrenti orationis ponere, ſed vt oſtenderet contra illam vim amoris, nullam extare in creaturis facultatem, facilius, inquit, eſſet, cœlicolis illis diuino amore flagrantibus, velle me ab eodem amore diuellere: quàm vt hoc conficere poſſent. Prætereà *Angeli* ſunt nuntij, & adminiſtratorij ſpiritus, quos Deus mittit in miniſterium, propter eos qui hæreditatem capient ſalutis, ex quibus ſuperiores *Archangeli* de- *Heb. 1.*

legantur ad ſumma negotia, veluti Gabriel ad virginem. *Principatus* verò ſunt, qui prouincijs præſunt in eorum cuſtodiam. *Virtutes* autem, per quas prodi- *Dan. 10.*

gioſa fiunt miracula: qualia fuerunt, maris rubri exſiccatio: Sodomorum euerſio: & in fine mundi facient ſtupenda, nam tunc virtutes cœlorum mouebuntur, ad operandum ſcil. illa. Inquit ergo Paul. quanuis *Principatus* omnes huic negotio prælati eſſent, cuius gratia & mitterentur omnes *Angeli*, & *Virtutes* miracula ederent, nihilo plus aduerſum me valerent, quàm ſi imbeciles creaturæ eſſent. Hoc itaque modo Paulus per hyperbole hìc loquitur, veluti cum ad Galatas dixit, Si ego vel *Gal. 1.*

Angelus de cœlo, aliter Euangelizauerit vobis, præterquàm quod Euangelizauimus vobis anathema ſit. Et ſi ita loqui de fœlicibus potuit, multo melius *de damnatis Angelis*, inter quos, licet nulla ſit ordinis pulchritudo, ſed ſempiternus horror, eſt tamen in eorum confuſione, imago quædam ordinis Principatuum, in malum noſtrum inſtructi. Hos autem inuiſibiles hoſtes, eius virtute vincimus, qui expoliauit Principatus & Poteſtates, triumphans illos in *Col. 2.*

ſemetipſo.

125. *Neque inſtantia, neque futura.)* Ad circunſtantiam temporis pertinet hoc. *Inſtantia*, ideſt, præſentia bona, gaudium & lætitiam pariunt: ſi verò ſint mala, triſtitiam & dolorem. *Futura* autem bona, ſpem: mala verò, timorẽ cauſantur. Nulla ergo bona aut mala, ſiue præſentia ſiue futura, mouere me poterunt à charitate Chriſti. Vnde & alibi dicebat, non ſolum alligari, ſed *Hier. 9.*

&

& mori in Hieruſalem paratus ſum, propter nomen Domini Ieſu.

126. *Neque fortitudo.*) Pro creatura forti ſumitur, qualis eſt ignis magnus, ingens aqua: & ſimilia: fortior autem eſt dilectio, quia, vt habetur in Cantic. Fortis eſt vt mors dilectio, &, Aquæ mul-
Cant. tæ non potuerũt extinguere charitatẽ.

127. *Neque altitudo, neque profundũ*) Ad circunſtantiam loci pertinet hoc, cuius præſtantiſsima differentia eſt *surſum, & deorſum*: exponitur autem primò, ſic, ſi quis mihi præcipitium minaretur, vel ab *altitudine* ſumma, vel in *profundiſſimum* mare, non expaueſcerẽ.
in de cõ Deinde iuxta Chryſoſt. per hyperbole,
pũc. cor. ſi à regno cœlorum perpetuò exulandum mihi eſſet, vel in gehennam deſcendendum pro Deo, ab eius charitate mihi nè diſcederem. Vel ſic, neque amor *altitudinis*, putà regni cœlorum, ſi illùc per impoſsibile, niſi contra voluntatem Dei nequirẽ aſcendere: neq; timor gehennæ, ſi Deus illùc me demitteret, dimouere me poſſent ab eius amore. Vel ſic, nemo quantumuis fortis, cogere: quantumuis magnus & ſublimis, ſtupefacere: quantumuis ſapiens & profũdus, decipere me poterit vt vel latum vnguẽ diſcedam à charitate Dei.
2. Re. 2. *Fortitudo* enim virtutis, *Altitudo* authoritatis,
Pſal. *Profunditas* ſapientiæ, apud ipſum
Iob. 11 ſolum eſt.

128. *Neque creatura alia.*) Secundũ
Chry. Chryſoſt. de his dicit qui nõ ſunt, quaſi illi non ſufficiant omnia quæ ſunt, ſed illa quæ non ſunt prouocat quodãmodo ad certamen: non ſolùm viſibilis, ſed inuiſibilis, non ſolùm vera, ſed & poſsibilis, & quæ excogitari poteſt *creatura*, quantumuis potens & efficax, haud tamen poterit nos diſtrahere à charitate Dei. quippe quæ diuinæ eius potentiæ innititur, cui nemo poteſt reſiſtere.

129. *QVÆ eſt in CHRISTO IESV.*) Ideſt, in virtute Chriſti Ieſu, nam charitas quæ per Spiritum ſanctum nobis infuſa eſt, in virtute Chriſti Ieſu confertur nobis: & per eundem qui à dextris Dei interpellat pro nobis, cuſtoditur, propugnatur, & augetur. Nã ipſe vult, vt ardeat ſemper ille ignis, ideſt, diuinus amor, quem ipſe venit mittere in terrã: qui vtique tanquã in ſuo fonte & principio, (*eſt in Chriſto*) & in Patre illius: eſt etiam (*in ipſo*) tanquam in fine, nã finis legis, Chriſtus eſt, ideſt, ſcopus noſtræ dilectionis. Nam ad locum vnde exeunt flumina amoris, reuertuntur, vt iterum fluant. Tu amas Chriſtum, quia ipſe te amat. Amor enim tuus erga illum, effectus eſt ſui amoris. Orãdus eſt ergo Dominus vt multum nos amet, quò illum etiam multum reddamemus.

Defenſores autem certitudinis gratiæ, arbitrantur hunc locum pro ſe agere quo ait Paulus, *Certus ſum, &c.* Hæc tamen certitudo, vt iam ſuprà tetigimus, nihil aliud eſſe videtur, quàm eximia quædam animi fiducia amatorum Chriſti, qui licet ex parte ſui arbitrij collabi poſsint tanquàm debiles: ex parte tamen charitatis, ſunt fortes & robuſti: nam fortis eſt vt mors dilectio. Poteſt etiam ſumi pro infallibili veritate in prædeſtinatis, qui licet ad tẽpus poſsint cadere, non tamen moriuntur in peccato, cum ſint prædeſtinati ad vitam. Ab omni autem caſu, ſolũs ille tutùs eſſe poteſt, qui eſt confirmatus in gratia, ſicuti fuerunt Apoſtoli in Penthecoſte.

ARGVMENTVM NONI CAPITIS.

APERIT Diuinus Apoſtolus, ſuũ erga Iudæos affectum, animumq; beneuolũ, oſtendens eorũ dignitatẽ: & quod ob plurium infidelitatem, Dei

promiſsiones nequaquam irritas fieri, quippe quæ non ſolùm Iſraelitis, neq; omni Abrahæ ſemini ſecundum carnē, ſed ijs qui per fidem veri filij Abrahæ ſunt, factæ ſint. Deinde, agit de electione gentium, oſtendens, Iacob & Eſau, Iſmaeliſq; & Iſaac exēplo, abiectis Iudæis, vocatas ad fidem, nullis earum meritis. Demùm, in prædeſtinationis, & reprobationis profundiſsimam Abyſſum deſcendens, differenſq; de vtraq;, Deo vult omnino nos parere, neque quidquàm contradicere.

CAPVT NONVM.

VERITATEM dico in CRISTO IESV, nō mētior, teſtimonium mihi perhibente conſciētia mea in Spiritu ſancto, quoniam triſtitia mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo.

EXPLANATIO.

1. *VERITATEM dico in CHRISTO IESV, non mentior.*) Contra Iudæos acturus, inquit beatus Hieron. *Hiero.* primùm illis ſatisfacit, non ſe odij cauſa hæc dicere, ſed amoris, eò quòd doleat illos non credere Chriſtū, ad quos primum ſaluandos aduenerat. Oportet enim prælatū ſubditos habere perſuaſos, nil ſe niſi paterno affectu erga eos agere & velle, maximè cum ſubditi ſunt tales, vt opus ſit cum omni lenitate eos ad virtutem inclinare, quales erant Iudæi. Vtitur iuramento (quod eſt confirmatio per teſtimonium ineffabilis veritatis) propter neceſsitatem & grauitatem rei, quam proponere volebat. Iuramentum autem fulcitur atteſtatione Chriſti, & Spiritus ſancti, & propriæ conſcientiæ. Tales enim ſunt teſtes Sanctorum, Chriſtus qui eſt veritas abſque mendatio: Deinde, propria cōſcientia à Spiritu ſancto rectificata. *Veritatem*, inquit, *dico, non mentior*: poteſt quis falſa loquens non mentiri, ſi arbitratur ſe dicere verum: & dum veritatem fortè dicit, mentiri, quia it cōtra mentem: ideò benè vtrūque copulatur, veritatem loqui & non mentiri. Deinde, qui in Chriſto loquitur, ideſt, virtute & ſugeſtione Chriſti, mentiri nō poteſt: vnde Cayphas licet verum prophetauerit, tamen ſi eius intentionem ſpectes, non dixit verum, quia non in Chriſto Ieſu loquutus eſt: & Phyton ille, cuius ſpiritu puella veritatem inclamabat, iuſſus eſt ab ea exire, tāquàm iniquus veritatis aſſertor. Qui ergo alio ſpiritu quàm Chriſti, veritatem annuntiat, vt ait quidam doctor, mētitur nonnunquam, dum quod ſe latet affirmat. In Chriſto itaque loquitur & operatur, qui per baptiſmum & ſacram euchariſtiam, effectus eſt membrum eius. *Orig.* *Act. 26.*

2. *Teſtimonium perhibente conſcientia mea.*) Hoc eſt non mentiri, loqui ſcil. iuxta cōſcientiam, cuius veritatis Chriſtus eſt author, ſine quo errare poteſt, & errat. Propterea dicit.

3. *IN Spiritu ſancto*) Nam virtute Chriſti, Spiritus ſanctus nobis infunditur.

4. *Quoniam triſtitia mihi magna eſt.*) Magna, inquit, quia de re graui, impédioq; infauſta, qualis erat aberratio Iudæorum à fide: & inſuper ex magno amore profecta. Nam amicorum mala, licet maxima ſint, niſi maximè illi diligantur à nobis, non indolēt nobis maximè. Non aduerſatur huic, ſententia illa quæ habetur in Eccleſiaſtico, vbi dicitur, Triſtitiam non des animæ tuæ. *Eccl. 3.* Inteligitur enim de triſtitia mundana, quæ de amiſsione bonorū temporaliū, aut de paſsione malorum procedens, amorem Dei corrodit, vel tollit. Nec tenenda eſt Stoicorum ſententia, qui *Stoici.* triſtitiam omninò ab animo ſapientis propellebant. Cum enim triſtitia ſit de malo præſenti, non poteſt (aiebant) ſapienti competere, cui nullum malum

eſt

eſt præſens. Non enim æſtimabant aliquid eſſe bonum niſi honeſtum, & malum niſi peccatū. Sed hæc opinio iuxta D. Tho. dupliciter refellitur: primò *Tho.* quia corporales deffectus, licet nō ſint ſimpliciter mala, quibus ſcili. homines fiant mali, ſunt tamen quædam mala quæ natura abhorret. Vnde & ipſe Dominus, de his etiam triſtatus eſt dū dixit, Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. *Mat.26* Deinde, cum ex charitate homo ſuum debet diligere proximum, ſicut ſe ipſum, imminet ſapienti triſtitia laudabilis de peccato proximi ſui, ſicut de peccato ſui ipſius. Triſtitia itaque illa eſt laudabilis valdè, quæ eſt de peccatis alienis, quam ſæpe habuiſſe Dominum, & pro huiuſmodi lachrimaſſe, rationabiliter creditur, & ſancti ſimiliter cum eo. Vnde beatus Paulus, & lugeam, inquit, multos ex eis qui peccauerunt. *2.C.12.* Seculi igitur triſtitia, quæ ex amore ſeculi procedit, reprobatur, vt quæ mortem operatur. Sed triſtitia quæ eſt ſecundum Deū, ex diuina charitate procedens, ſalutem operatur. Et talis eſt hæc, qua Apoſtolus nimium erat affectus, & conſciebatur.

5. *ET continuus dolor cordi meo.*) Dolor in corpore, triſtitia in animo eſt: dolor cordis, eſt diſcrutiatio ipſius ex acepto vulnere. Grauis ergo & nimiū acerba erat triſtitia qua affectus erat Paulus pro pereuntibus Iudæis. Accedit ad eam aſsiduitas doloris: vnde ait, (*& continuus dolor,*) non quod continuò actu doleret, ſed ſecundum habitū. Quotieſcunque enim reminiſcebatur, dolebat eorum miſeriam. Quem triſtitiæ modum tenuit etiam Hieremias, *Hier.9.* vbi dixit: Vt plorē die ac nocte, interfectos populi mei. Exageratur etiam hæc triſtitia, ex ſui veritate, dum ait, (*cordi meo,*) non enim erat ſuperficialis, ſed in corde radicata. Qualis erat illius qui dicebat, Multi gemitus mei, *Thren.1* & cor meum mœrens.

6. *Optabam enim ego ipſe, anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis.*) Quid maius amore illo Pauli erga Dominū ſuum excogitari poteſt? Honoris aucupandi gratia quidam pater nobilis, dilectiſsimum filium dimittit peregrè abire, vbi honor ipſe filij in cauſa eſt, vt velit ab illo longe fieri: ita hîc Paulus abeſſe lōge cupit à fruitione Chriſti pro fratribus, propter honorē Chriſti. *Anathema* enim *à Chriſto* in hôc loco, ſeparationem à Chriſti præſentia & fruitione, quam ardentiſsimè Paulus exoptabat, ſignificat. Nam ad literam, (*anathema,*) idem eſt quod ſurſum poſitum: & ſignificat dona quæ in templis pendebant diuis ſacrata, ab humano vſu ſemora: ea præcipuè quæ ex hoſtiū preda illis dicabantur. Hinc iuxta Chryſoſt. per contrarium ſenſum *Chryſ.* deductum eſt vt ſignificet quidquid ſemotum eſt à Deo vel Eccleſia. Separatio igitur eadem eſt vtrobique, ſed modus eſt diuerſus. Nam alia ſunt anathemata aquorum vſu, honoris gratia abſtinemus, quoniam dicata ſunt Deo. Alia verò quæ vituperij cauſa à nobis alienamus, quales ſunt rebelles homines, quos à ſe Eccleſia abrupit. Quo ſenſu accipitur in hoc loco, ſed id poteſt contingere dupliciter, vno modo per culpam, dum quis præceptū Chriſti non ſeruās, à Chriſto, ideſt, à Chriſti charitate ſeparatur. Hoc verò Apoſtolus nulla cauſa optare poterat, cum ſit contra ordinem charitatis, quoquis tenetur Deum ſuper omnia diligere, & ſalutem ſuam pluſquàm aliorum. Alio modo citra culpam ſeparari à Chriſto, ideſt, à Chriſti fruitione quæ eſt in gloria, & ſic volebat Apoſtolus, vt dictum eſt, non ſolùm pro conuerſione Iudæorum, ſed etiam pro ſalute gentiū, quēadmodum & alibi teſtatur ipſe dicens, Deſiderium habens diſſolui & eſſe cū *Phil.1.* Chriſto, multo melius permanere in carne, neceſſarium propter vos. (*Optabam*) inquit, prætetiti imperfecti, quia iam in præſentia cernebat, decretum eſſe à Deo, vt Iudæos in ſua excitare permitteret, proindeq; tunc forſan non optabat contrarium, ſed anteà. Vel certè (*optabam*) pro optarim, ideſt, Vtinā *anathema* eſſe poſſem *à Chriſto pro fratribus*, ideſt, à gloria Chriſti, vel ſim-

pliciter, vel ad tempus propter honorem Chriſti, qui eſt ex conuerſione Iudæorum. Sic enim Deus plures haberet amatores, quod facit ad honorem Dei, iuxta illud. In multitudine po- *Pro.14* puli dignitas regis. Qui ergo nec exulare à cœlo, nec in tartara detrudi, vllius momenti arbitrabatur vt ſeparari poſſet à charitate Chriſti: eadem nũc charitate abſque præſcriptione vel temporis, vel loci, ait cupere ſe à Chriſto pro fratribus anathema eſſe: non conſiderans quo id pacto fieri poſsit. Vis enim amoris vbi in (*ecſtaſim*) rapit amantem, rationes has non ſinit circunſpectare, vt ſeſe latiùs proferat: in quo vtique ſe maxime dilectio pate- *in de cō. cord.* facit. Et D. Chryſoſt. de hoc eximio amatore loquens, ait, ita totam eius mentem deuicit amor vt etiã eò quod præ cæteris omnibus amabilius erat eſſe cum Chriſto, rurſum idipſum quia ita placeret Chriſto, contemneret, ſed & cœlorum regna quod videbatur laborum eſſe remuneratio, pro Chriſto nihilominus perdere pateretur.

¶ Videtur etiam hic Apoſtoli ſermo, *Ex.32.* eſſe hyperbolicus, qualis fuit ille Moyſi, cum dixit, aut dimitte eis noxam hãc, aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti: quod nonnulli interpretantur de libro in quo erat inſcriptus, dux populi. Alij verò intelligunt de libro vitæ, id quod ſubſequens reſponſio Dei oſtendere videtur, qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo. Alludere quoque videtur per hæc ver- *Ioa.gan.* ba, vt ait Ganeius, ad quædam ſacrificia Gentilium. (*Anathema*) enim Græcis, ait ille, dicuntur ſacri ſceleſtiq; homines, qui ad vrbis luſtrationem, dijs manibus & inferis mactabantur, ſi qua lues aut calamitas ingrueret, quam, huiuſmodi hominum internitione placatis dijs, ſedatum iri putabant, ad cuiuſmodi ſacrificia alludens Paulus, Vſque adeò mihi dolet, inquit, Iudæorum abiectio, quod ſi Dei, aduerſus illos iram, vel quouis meo malo placarè poſſem, optarem anathema eſſe, hoc eſt, peſſundari & exterminari à Chriſto, *Hiero.* modo ſic illis prosſim. Certè Hiero. vt tradit hic autor, anathema ſumit, pro corporali occidione. Sed Orig. quid *Orig.* mirum, ait, ſi Apoſtolus pro fratribus anathema fieri velit, qui ſciat eum qui in forma erat Dei, exinaniſſe ſe de ea, ac ſuſcepiſſe formam ſerui, & factum eſſe pro nobis maledictum.

7. *Qui ſunt cognati mei ſecundum carnem.*) Hoc eſt, generis ac gentis cognatione innctus ſum illis, pro quibus, vt dictum eſt, non recuſarem à Chriſto reijci, modo mecum ſociarentur in fide Chriſti. At verò quanuis cognatio hæc, partim in cauſa eſſet tantæ beneuolentiæ, potiſsima cauſa erat honor Dei, ob quem adeò illis optabat ad fidem conuerti: penes quod erubeſcere debemus, qui ita tepidè & negligenter nos habemus in amore veræ fraternitatis. Non enim eorum ſalutem, ſed potiùs eorum bona caduca diligimus: Chriſti verò honoris, prorſus obliuiſcimur: tantum abeſt, vt pro ipſo anathemata fieri velimus.

8. *Qui ſunt Iſraelitæ.*) Nomen inſigne honoris, & fortitudinis eſt, Iſrael. Diuinitùs enim datum fuit Iacob, nomen hoc, in lucta illa celebratiſsima cum Angelo, quando dictum eſt illi, *Gen.32* appellabitur nomen tuum Iſrael, quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quãto magis contra homines præualebis. Et ſequitur, vocabitque Iacob nomen loci illius Phanuel, dicens, Vidi Dominum facie ad faciem: vbi ſignificatur, nomen perſonæ inditum fuiſſe à fortitudine: loco verò, à viſione: & ſic interpretatur (*Iſrael, potens Dei,*) ideſt, poteſtatem habens in Deum. Secundum alios, (*Videns Deum.*) Quo nomine pudefacit illos, eo quod cum à tanto Patriarcha deſcendere, & nominari Iſraelitæ ſe iactent. qui Angelum Dei vicerit: Angelis ipſi Sathanæ tam turpiter ſe ſubijciant, vt fidem reijciant: debentes eam maximè, & totis viribus amplecti. Nam cognitione veri, & fortitudine animi, eſſent verè Iſraelitæ.

9. *Quorum adoptio eſt filiorum.*) Iu-

dæorum

dæorum natio ea fuit olim, quam Deus à cæteris ſecretam, ſibi peculiariter delegit, ac cæteras gentes, ceu pro nothis habens, hanc vnam veluti germanos veroſque filios fouit. Quo etiam verbo pudefacit Iudæos, quod qui hac filiorum prærogatiua, præ cæteris nationibus fuerant inſigniti: iam tunc adueniente primogenito Chriſto, ſua culpa poſthabiti fuerint gentibus, cum quibus nunquam fuerat Deus conuerſatus.

¶ Hæc autem filiatio ſumitur quantum ad ſpirituales viros, qui fuerunt in illo populo: quantum ad carnales verò, iam ſupradixit quod acceperunt ſpiritum ſeruitutis in timore. Et licet ex gentibus fuerint nonnulli etiam in gratiam filiorum recepti: populus ille tamen peculiare nomen filiorum Dei recepit in orbe, quibus tanquam pater

Deu.4. aderat ſemper Deus Vnde Moyſes, Non eſt, inquit, alia natio tam grandis quæ habeat Deos apropinquantes ſibi, ſicut adeſt nobis Deus noſter. ac propterea primogenitus vocauit eos filios

Mat.15 loquens cũ muliere Chananæa, & Gentiles vocauit canes, dicens, Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & dare canibus. In cuius figuram, ſcil. cœleſtis hæreditatis, donata eſt illis tanquam filijs, terra promiſsionis, eiectis indè gentibus, ideſt, non filijs. Eſt tamen diſcrimen inter adoptatos Iu-

Gal.4. dæorum, & Chriſtianorum: quod illi erant tanquam paruuli, & ætate minores quàm quibus tradenda eſſet hæreditas: vnde & eorum gemitus erant,

Pſal. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt Chriſtiani verò tanquam iam in ætate legitima conſtituti, ſi nullum obſtet crimen purgandum, ſtatim euolant ad ſuperos, qui eos expectant, vt pariter recipiant cum illis, hæredita-

Pſal. tem æternam. Nec refert, ſi hoc tanto adoptionis beneficio caruerint aliqui eorum: animus enim Pauli in hoc loco, non eſt niſi oſtendere, diuinum propoſitum in conferenda circumciſione & vtraque lege fuiſſe, vt homines gratis reconciliati, & in filios aſciti, Deum colerent vt patrem.

10. *ET GLORIA.*) De virtutibus, & miraculis, & portentis inteligitur, quibus Deus ſuam gloriam illis tanquam filijs manifeſtauit: qualia fuerunt prodigia in Ægypto, & in mari rubro, & in deſerto: aſsidua etiam cum illis Angelorum cœleſtium locutio. Vnde Moſes, Ecce, inquit, gloria Domini apparuit in nube. Et in latione legis habitauit gloria Domini ſuper Sinai: & gloria Domini impleuit tabernaculum. Idemque legitur de gloria templi. Hæc autem gloria, figura fuit cœleſtis conferendæ per Chriſtũ, prout transfiguratio ipſius in monte coram Prophetis eiuſdem legis, ſatis præſe tulit. Aut accipitur gloria, pro cognitione & cultu vnius veri Dei, quod fuit illis gloria & dignitas præcipua. Nam ſpretis Gentilium Simulachris, Deum verum coluerunt.

11. *ET teſtamentum*) Pro pacto & fœdere cum Abraham & alijs patribus inito, inteligitur: vnde & totum illud priſtinum volumen, nomen accepit: quod vtique tanquam ſingulare beneficium fuit illis conceſſum, & in illo nouum promiſſum: iuxta illud, Feriam domui Iſrael fœdus nouum. Hoc, pri- *Hier.31*
mum Iudæis per ipſum Dominum fuit prædicatum, iuxta illud, Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſrael. Quotidieque idem offertur ac- *Mat.15*
ceptare volentibus.

12. *ET legislatio.*) Hæc etiam prærogatiua, & authoritas legis à Deo conditæ, fuit penes Iudæos. Illis enim peculiariter inter nationes totius orbis, ſcripta fuit lex Dei.

13. *ET OBSEQVIVM.*) Tria erant in lege mandatorum genera: moralia, iudicialia, & cerimonialia. Duo prima, in lege comprehenduntur: Sed quantum ad cerimonialia dicit. (*& obſequium,*) ideſt, ritus diuini cultus iuxta Dei præſcriptum fuit penes illos, quo ſcil. Deo ſeruiebant, omnibus alijs gentibus ſeruientibus idôlis.

14. *ET promiſſa.*) Penès Iudæos etiã fuerunt Prophetarum oracula, multis antè ſeculis Chriſtum venturum, & fœlicitaté æternam pollicita: quibus duobus omnia bona gratiæ, & gloriæ comprehenduntur. Fuerunt autem eis multa pollicita de bonis temporalibus & terrenis, ſed per illa temporalia, figurantur ſpiritualia & æterna.

15. *Quorum patres, ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem.*) Commendat Iudæorum dignitatem ex genere. Ducũnt enim genus ab inclitis illis, ac Deo gratiſsimis, ipſorumq; luminibus & authoribus, Abraham, Iſaac, & Iacob, aliiſq; ex quorum ſtirpe, Chriſtus ipſe naſci dignatus eſt ſecundum carnem: vt hac certè parte iam illi velint nolint, propinqui cognatiq; ſunt Chriſto: quod eſt ſupremum Iudæorum decus. Quonam enim maiori poterant Iudæi affici honore, quàm vt vnigenito filio Dei, mater optaretur ex eorũ genere, vt idé eſſet, & Dei filius, & eorum conſanguineus. Sed ò ſcelus impudens & cæcum. Iudæi Deum ſibi ipſis promiſſũ & miſſum, non ſolùm negauerunt, verumetiam eundem in carne quam ab ipſis ſuſcepit crucifixerunt: & eum ſanguinem quem ex ipſorum viſceribus cõtraxerat, per quinque vulnerum foramina, prorſus effuderunt. Pro quo tanto facinore iuſtè repudiari meruerunt: & ab alienigenarum gentium natione, cui eum perimendum tradiderunt, fide & obedientia ſuſcipi.

16. *QVI eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula. Amen.*) Ne parum illis videretur, Chriſtum habere cognatum, oſtendit illis, dignitatem Chriſti præſtantiorem eſſe patrum dignitate, quorum titulis Iudæi adeò ſe venditant. Siquidem illi quantumuis pij fuerunt, nihil aliud tamen quàm homines fuerunt. At Chriſtus ſic eſt homo, vt idem & Deus ſit (*ſuper omnia,*) ideſt, non huius aut illius gentis peculiaris, ſed vniuerſorum Deus, præſidens omnibus. (*Benedictus in ſecula*) quia ei ſoli debetur laus in omne æuum, amen. Hęc igitur omnia beneficia populo Iſraelitico exhibita peculiariter, quò magis multa erant & magna, eò magis augebatur dolor in Apoſtolo, dum videret eos, quos tantis beneficijs Deus ſemper eſt proſecutus, & quibus etiam tũc omnia quaſi primis & præcipuis offerebantur, obſtinato animo ſolos reſiſtentes Euangelio Chriſti.

¶ Deſtruuntur his Apoſtoli verbis, quatuor hæreſes. Prima eſt Manichæi, qui dicebat Chriſtũ habuiſſe corpus phantaſticum & non verum. Secunda, Valẽtini, qui dicebat Chriſtũ non de maſſa humani generis, ſed de cœlo corpus attuliſſe. *Tho.* Sed vtrunque damnatur per hoc quod ait, (*ex patribus ſecundũ carnem,*) Tertia eſt Neſtorij, qui poſuit alium eſſe filium hominis, alium eſſe filium Dei. Contra quem Apoſtolus, eũdem qui eſt ſecundũ carnem, affirmat eſſe (*ſuper omnia Deum benedictum in ſecula.*) Quarta eſt Arrij, qui dicebat Chriſtum eſſe minorem Patre, & quod erat creatus ex nihilo. Contra vtrũq; dicit Apoſtolus, quod eſt *ſuper omnia*, quæ certiſsima & propria dignitas Dei eſt, vt quæ nullæ creaturæ poteſt competere. Et itidem, quod eſt *benedictus in ſecula*, quod de ſolo Deo dicendum eſt, quòd eius bonitas duret in ſecula, vt ait D. Tho. *Tho.* Simile huic habetur in Epiſtola ad Philip. vbi poſtquàm de Chriſto præmiſerat, *Phil. 2.* quod non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualẽ Deo, addit, Datum eſt illi nomen ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, &, Omnis lingua confiteatur, quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus, in gloria eſt Dei Patris. Manifeſtè igitur Apoſtolus, Chriſtum Dominum filium Dei, non adoptiuum, ſed verum & naturalem, & Deum omnipotentem dicit.

17. *NON quod exciderit verbum Dei.*) D. Hiero. ait, *Hiero.* licet Apoſtolus doleat Iudæos excidiſſe à promiſsionis gratia, oſtendit tamen non inane fuiſſe verbum Dei, & his promiſſa deleri: non

qui

qui ſecundum carnem, ex Abraham, Iſaac, & Iſrael, nati ſunt: ſed qui ſeruantes fidem Patriarcharum, de quorũ ſemine putant eſſe. Item, quia ſuperiùs dixerat, dolere ſe quod genus Iſrael, proprio vitio excluderetur à regno, quorum hæc omnia fuerunt, hìc oſtendit, illos qui non credunt, non eſſe filios Abrahæ, ne omnibus Iudæis præiudicare videretur, & obiiceretur ei, nũquid Deus mentitus eſt Abrahæ? propterea inquit, (*non quod exciderit verbum Dei*) quaſi dicat, neque tamen tantum valet iſtorum impietas, vt ideò non præſtet Deus, quod Prophetarum oraculis ſe præſtaturum promiſit. Populo Iſraelitico, ac poſteris Abrahæ promiſſa fuit iſta fœlicitas, verùm non quibuſlibet, ſed his modo, qui verè eſſent horum poſteri.

18. *NON enim omnes qui ex circunciſione ſunt Iſrael, hi ſunt Iſraelitæ: neq; qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filij.*) Hoc eſt, non omnes qui genus ducunt ab Iſraële, verè ſunt Iſraelitæ: neque quicunque ex Abrahæ ſanguine ſunt orti, continuò filij ſunt Abrahæ: vt promiſsionis hæreditatem ſibi vindicẽt;
Gen. 12. Tres fuerunt inſignes patres in lege ce
22. 26. lebratiſsimi, quibus, data fide, factæ
28. ſunt promiſsiones. Primus fuit Abraham, in quo maximè gloriabantur Iudæi. In Iſaac verò non ita ſolemniter; quoniam non fuit primus in promiſſione, neque tota eius progenies obtinuit hæreditatem promiſſam, ſed ſolus Iacob, abdicato Eſau: in quo idcirco; ſicut in Abraham, maximè gloriabantur. In quibus propterea duobus, Apoſtolus aſsignat exemplum quo manifeſtat, promiſsionem eſſe omnino impletam, in horum poſteris ſpiritualibus. Quicunque enim ſiue ex natione Iudaica, ſiue gentilica, qui fidei robore fortes ſunt, & inuicti aduerſus huius mũdi incommoda, quibus Deus explorat animi noſtri pietatem, in hos verè cõpetit cognomen Iſraelitæ. Et qui fidẽ Abrahæ referunt, hi ſunt filij Abrahæ, & per fidem merentur promiſſam hæreditatem. Hoc ſermo Dei palàm apperit: dum ait,

19. *IN Iſaac vocabitur tibi ſemen.*) Semini Abraham promiſſum eſt fore, vt per illud celebres eſſent vniuerſæ nationes, at non vult quoſuis Abrahæ poſteros, in ſeminis venire appellationem, niſi ſint in Iſaac qui eſt fidei filius, & Chriſti typum gerit. Iſaac non iuxta communem natiuitatis rationem editus eſt, verum ex Patre effœto, nam ſenex quidem erat, ſed fidente Deo: & ex anu item effœta. Hunc igitur Dei virtus, & patris fides, genuit verius quàm caro.

20. *Ideſt, non qui filij carnis, hi filij Dei: ſed qui filij ſunt promiſſionis, æſtimantur in ſemine.*) Ecce germanus ſenſus illius diuini oraculi, videlicet, (*in Iſaac vocabitur tibi ſemen,*) ſenſus eſt ſpiritualis, quo palàm docet, non quoſlibet iuxta carnem natos, quemadmodum Iſmael ex Abraham, eſſe continuò filios Dei, & per hoc hæredes promiſſorum: (*ſed qui filij ſunt promiſſionis,*) ideſt, hi quib' adeſt fides, per quam Abraham, Dei promiſſum promeruit, (*æſtimantur in ſemine,*) ideſt, pertinẽt ad ſemen Abrahæ, quemadmodum Iſaac qui ex promiſsione fuit natus: & eis tantùm facta eſt promiſsio filiationis Dei, quos ipſe ſecundum æternum propoſitum elegit.

¶ In Epiſtola ad Galat. habetur hæc eadem allegoria multo explicatiùs, vbi ait filiũm ancillæ, ideſt, Iſmaelem, natum fuiſſe ſecundum carnem, ideſt, naturali virtute carnis, ex iuuencula: filium autem liberæ, ideſt, Iſaac, per repromiſſionem, nimirùm emortuis iam & deficientibus viribus naturæ, ſed per miraculum reſtitutis. Hæc enim omnia, in typo facta ſunt propignendi Chriſti, adoptandorumq; mortalium per eius gratiam, Iudæi autem id inteligebant carnaliter. Vocabant enim Deum, pa- Ioa. 8.
trem, non per gratiam qua illi erant accepti, nec per naturam ſicut Iſmael, ſed quia ſuper naturam per miraculoſam electionem DEI, ſicut Iſaac nati eſsent.

21. *Promiſſionis autem verbum eſt hoc,*

ſecundum

ſecundum hoc tempus veniam ad te, & erit Sara filius.) Probat conuenientem fuiſſe ſuam expoſitionem, qua per Iſaac ſignificari dixit eos, qui ſunt filij ex gratia diuinæ promiſsionis: quoniam Iſaac per promiſsionem natus eſt. Vnde dicit, (*promiſſionis autem verbum eſt hoc,*) quod ſcil. Angeli, imò Dominus
Gen. 18. in Angelis hoſpitio receptis dixit ad Abraham, (*ſecundum hoc tempus,*) ideſt, anno altero (*veniam,*) ideſt, reuertar ad te, (*& erit Sara filius.*) Si autem Deus hac forma promiſiſſet, nempè, quicũq; nati fuerint ex te, ad hos pertinebit mea promiſsio: iure ſibi vindicarent hanc gloriam, quicunque ad progeniẽ Abrahæ pertinerent iuxta ſanguinis cognationem: nunc cum dixerit, (*ſecundum hoc tẽpus veniã, & erit Sara filius,*) vnicum, eumq; fidei filium deſignauit, quem ſua voluntate Deus ad hoc delegiſſet, non ex commendatione circunciſionis, cum nondum eſſet natus: ſed ob meritũ paternæ fidei. Abrahæ poſtea nati ſunt liberi ex alijs vxoribus, & tamen ſolius Iſaac nomine promiſſa eſt Abrahæ benedictio.

¶Spiritualiter autẽ ſignificatur in hoc, tempus gratiæ. *Secundum hoc tempus,* inquit, ſcil. mihi ab æterno præfinitum,
Gal. 4. de quo ad Galat. vbi venit, inquit, plenitudo temporis, miſit Deus filiũ ſuũ, factum ex muliere, ſcil. ex virgine per miraculum, præfiguratũ in miraculoſa generatione Iſaac. Vt adoptionẽ filiorũ reciperemus, quod eſt expoſitio huius, (*& erit Sara,*) ideſt, Eccleſiæ, ſiue militanti, ſiue triumphanti, (*filius,*) ideſt, filij, ſingularis pro plurali: nam omnes Chriſtiani ſunt veluti vnus filius, quoniam ſumus omnes vnum corpus in Chriſto, & ipſe eſt caput noſtrum.

22. *NON ſolùm autem illa, ſed & Rebecca, ex vno concubitu habens Iſaac patris noſtri.*) Clariori exemplo inſtat contra Iudæos, putantes ſe Dei gratiam adepturos propter merita patrum, di-
Ezec. cente Ezechiele de viris iuſtis, quod filium & filiam non liberabunt, ſed ipſi in iuſtitia ſua liberabuntur. Vnde & Ioannes dicebat eis, ne cœperitis dicere Mat. 3. patrem habemus Abraham. Cum itaq; Apoſtolus dixiſſet quod de filijs Abrahæ, vnus fuit electus, & alius reprobatus, poterant quidem hoc aſcribere, vel diuerſitati matrum, nam Iſmael natus eſt de ancilla, & Iſaac de libera: vel diuerſitati meritorum patris, quia Iſmaelem genuit incircunciſus, Iſaac autem circunciſus. Vt igitur omne ſubterfugium excludatur, aſsignat exemplum vbi vnus eligitur, & alius reprobatur eorum qui non ſolùm ab vno patre, ſed etiam ab vna matre ſunt geniti, & eodem tempore, imò & ex vno concubitu. Ordinatur autem litera in hũc modum, (*non ſolùm autem illa*) ſcil. Sara, ex electione Dei, peperit benedictionis prolem, (*ſed & Rebecca ex vno concubitu Iſaac patris noſtri habens,*) ideſt, concipiens, nimirùm peperit ſimili electione Iacob. Habere ex aliquo, pro concipere ex illo, latinè dicitur. Fuit autem Rebecca ſterilis ſicut & Sara, nam pro ea fudit praces ad Dominum maritus eius Iſaac, eoquod eſſet ſteri- Gen. 25 lis, qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ. Illa verò, collidentibus in vtero paruulis, conſuluit Dominũ: qui reſpondens ait, duos populos ex eius vtero prodituros, ſed quorum maior, ſeruiturus eſſet minori. Senſus igitur Pauli in hoc loco, ſic ſe habet: quod in Iſaac euenit, & cæteris Abrahæ liberis, idem euenit in Iacob & Eſau. Si corporum ſola cognatione, benedictionis diuinæ hæreditas obueniret, magis ad Eſau maiorẽ natu pertinebat quàm ad Iacob: Iſaac, pater erat amborum cõmunis: mater eadem ambos vno cõgreſſu concepit: ſimul intra matris vterum geſtati: ſimul in lucem editi: & tamen alterum agnouit Deus ceu partum legitimum: alterum ceu nothum abdicauit, dicens per Malachiam Prophetam, Iacob dilexi, Eſau autem odio Mal. 1. habui.

23. *Cum enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali, vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt*

ei,

ei, quia maior ſeruiet minori.) Ac ſi ita quæreret, quænam res diſcreuit hos geminos, ſcil. Iacob & Eſau, vt ille dilectus, hic verò ſit inuiſus? Non vtique carnalis propinquitas, cum eorundem parentum eſſent filij: nec legis obſernatio, aut circuncisio, ſiquidem de nōdum natis priusquàm omnino (*quidquam egiſſent boni,*) ideſt, iuxta legem (*aut mali,*) ideſt, aduerſus legem, (*non ex operibus,*) ideſt, ex merito operum, (*ſed ex vocante,*) ideſt, ex gratuito Dei vocantis beneplacito (*dictum eſt ei*) ſcil. Rebeccæ ipſorum matri, (*quia*) pro, quod, (*maior ſeruiet minori,*) ideſt, Eſau ſeruiet Iacob.

¶ Sed cur ita viſum eſt Deo? aut quid nobis hoc facto declaratum eſſe voluit? Declarat vtique nobis in hoc paruulorum exemplo, prædeſtinationis myſterium, quod non merita, nec corū præuiſio, eſt in illius cauſa, ſed ſola voluntas diligentis & vocantis Dei: iuxta illud, *Eph. 1.* Elegit nos in Chriſto, ante mundi cōſtitutionem, vt eſſemus ſancti: ideſt, non ob præuiſam ſanctitatem nos elegit, ſed electio fuit ſanctitatis cauſa. Ne igitur Iudæus, circuncisionis aut legis fiducia, ius promiſsi Dei ſibi vindicet, niſi talem ſe fide prebeat, vt inter electos habeatur: ac talis ſit, qualis fuit Iſaac & Iacob: quādoquidē electio Dei, filios facit Abrahæ, nō propinquitas.

¶ Verbum autem hoc, ſcilicet, (*Maior ſeruiet minori.*) tripliciter poteſt inteligi, *Tho.* iuxta D. Tho. primò, ſecundum eorum perſonas: & ſic inteligitur, Eſau ſeruiſſe Iacob, non directè, ſed occaſionaliter, in quantum perſecutio quam ei intulit, in eius bonū ceſsit, iuxta illud, *Pro. 11.* Qui ſtultus eſt ſeruiet ſapienti. Deinde, poteſt referri ad populos ex vtroque progenitos: quia Idumæi aliquando fuerunt ſubiecti Iſraelitis: iuxta illud, *Pſal.* In Idumæam extendam calciamentum meum. Et huic pertinere videtur quod dicitur in Geneſi, *Gen. 25* Duo populi ex ventre tuo diuidentur, populus populum ſuperabit, & maior ſeruiet minori. Tertiò, inteligitur figuraliter, vel ſpiritualiter: vt per maiorem inteligatur populus Iudæorum, qui primò adoptionem filiationis accepit, iuxta illud, Primogenitus meus Iſrael. *Exo. 4.* Per minorem autem figuratur, populus gentium, qui poſterius eſt ad fidem vocatus: qui etiam figuratur per filium prodigum. Maior ergo populus ſeruiet minori in quantū Iudæi ſunt noſtri capſarij, cuſtodientes libros ex quibus noſtræ fidei teſtimonium perhibetur: & tamquam ſerui famulantur Chriſtianis, circunferentes ſcripturas, vnde Chriſtiani legitimos eruant ſenſus, quibus eos reuinciant.

¶ Excluduntur etiam per hæc verba tres *Tho.* errores, ſecundum eundem D. Thom. *Primus error* eſt Manichæorum, *Manic.* qui diuerſitatem eorum quæ hominibus accidunt, natiuitati aſcribunt, vt ſcil. vnius cuiuſque vita & mors diſpenſatur ſecūdum cōſtellationem, ſub qua natus eſt. Excluditur hic error per hoc quod ait, cum nondū nati fuiſſent. Vnde & Hiere. *Hier. 10* à ſignis, inquit, cœli, nolite metuere, quæ gentes timent. *Secundus error* eſt Pelagianorum, *Pelag.* qui ex præcedentibus meritis aſſerebant alios diligi, alios verò odio haberi à Deo. Hic error etiam excluditur per hoc quod ante opera vnus filiorum Rebeccæ, alteri eſt prælatus: propterea, inquit, non ex operibus, ſed ex vocante. *Tertius error*, qui vulgò aſcribitur Origeni, *Orig.* poſuit animas hominum cum Angelis ſimul eſſe creatas, & quod pro meritis eorum quæ ibi egerunt, ſiue benè, ſiue malè, diuerſitatem vitæ ſortiūtur. Sed aduerſus hoc pugnat quod ait, cum nondum quidquam boni, aut mali egiſſent.

24. *Sicut ſcriptū eſt, Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.*) *Hiero.* D. Hiero. in hoc loco inquit, hoc autē quod dicitur, ſicut ſcriptum eſt, & ad Geneſeos librum, & ad Malachiam pertinet. In Geneſeos libro ad Rebeccam dicitur, Duæ gentes, *Gen. 25.* & duo populi in vtero tuo. *Mal. 1.* Vnde benè oſtendit Apoſtolus promiſsiones non eſſe eorum qui ſecundum carnem filij ſunt Abrahæ, ſed eorum qui fidem patrum ſeruant atque cuſtodiunt. Iacob & Eſau fratres vterini, ille minor, hic maior natu: & tamen Deus (*Iacob dilexit,*)

cum

eum ad primogenituram eligens, & benedictionem paternam ei conferens, atque etiam ad hoc vt in eo compleret promiſsiones patribus factas: *Eſau reprobato*, atq; ab his omnibus retruſo: cui tamen videbatur ſecundum iudicium humanum, vt primogenito illa magis competere.

¶ Dilectio autem hæc Dei, vt docet D. Tho. *Tho.* non temporalis eſt, ſed æterna, cũ enim ipſe ſit immutabilis, affectus eius minimè mutari poteſt. Et licet tria hęc, nempè, *Dilectio, Electio, & Prædeſtinatio*, realiter ſunt idem in Deo: differunt tamen ratione. *Dilectio* enim dicitur, ſecundum quòd abſolutè vult bonum alicui. *Electio* verò, ſecundum quod per bonum quod alicui vult, eum alteri præfert. Sed *Prædeſtinatio* dicitur, ſecundũ quod hominem dirigit in id bonum quod ei vult diligendo, & eligendo. Sequitur ergo dilectionem prædeſtinatio, ſicut voluntas de fine, naturaliter pręcedit directionem eorum quæ ſunt ad finem. Hæc ita in Deo. At verò in homine aliter contingunt. Voluntas enim hominis mouetur ad amandum ex bono, quod in re amata cõſiderat, ratione cuius ipſam alteri præfert, & eligit, electamq; amat. Sed voluntas Dei, eſt cauſa omnis boni, quod eſt in creatura, & ideò nihil eſt prius dilectione Dei: & ipſa eſt cauſa noſtræ dilectionis. Vnde beatus Ioa. Non quaſi nos dilexe-
1.Io.4. rimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos.

¶ Odium autẽ, ſiue reprobatio de qua *Tho.* hic loquitur Paulus, etiam eſt æterna: quia quidquid eſt in voluntate diuina, eſt ab æterno. Et ſicut prædeſtinatio eſt præparatio gloriæ, ita reprobatio eſt præparatio pœnæ: ſed prædeſtinatio importat præparationem meritorum, quorum Deus eſt cauſa, quibus peruenitur ad gloriam. Reprobatio verò importat præparationem peccatorũ, quorum Deus non eſt cauſa, quibus peruenitur ad pœnam. Vnde, merita præſcita, cauſa eſſe non poſſunt prædeſtinationis, ſub qua comprehenduntur. Sed præſcientia peccatorum, ex parte pœnę infligendæ reprobatis, aliqua ratio eſſe poteſt reprobationis. Proponit enim Deus omnipotens, ſe puniturum malos propter peccata quæ à ſeipſis habent, non à Deo. Iuſtos verò proponit ſe præmiaturum propter merita, quæ à ſe ipſis non habent, ſed à Deo: iuxta illud, Perditio tua ex te Iſrael, tantum- *Oſeæ.13*
modo in me auxilium tuum. Hæc D. Tho.

25. *QVID ergo dicemus? Nunquid iniquitas apud Deum?*) Quæritur de iuſtitia prædeſtinationis & reprobationis: & oſtenditur iuſtitia vtriuſq;. Cum enĩ dixiſſet quod Deus abſque merito pręcedenti, vnum eligit, & alterum reprobat, mouet ſuper hac re quæſtionem dicens, (*quid ergo dicemus?*) ad hæc ſcil. quæ dicta ſunt: ideſt, quid ex ſuperioribus colligamus? (*Nunquid iniquitas apud Deum?*) ideſt, nunquid Deus iniquitatem & iniuſtitiam facit, dum hæc agit atque ſimilia, pro ſuo beneplacito eligendo, & reprobando ante vlla merita, vel demerita? Nam ad iuſtitiam in diſtributionibus pertinet, vt æqualiter æqualibus diſtribuatur: homines autẽ remota differentia meritorum, ſunt æquales: ſi ergo Deus abſque conſideratione meritorum, inæqualiter diſtribuit, vnum eligens, & alium reprobãs, videtur quod ſit in eo iniquitas: quod eſt contra illud Deut. Deus fidelis, & *Deu.32.*
abſque vlla iniquitate, iuſtus & rectus. Et illud, Iuſtus es Domine, & rectum *Pſal.*
iudicium tuum.

26. *Abſit*) Familiaris eſt reſponſio Pauli, ſumma confidentia freti. *Abſit*, inquit, vt ſcil. talem Deo impingamus blaſphemiam *Abſit*, vt huiuſmodi cogitatio, ſubeat animum cuiuſquam.

27. *MOSI enim dicit, miſerebor cui miſertus ſum, & miſericordiam præſtabo, cui miſerebor*) Habentur hæc verba in Exodo, vbi fit ſermo de populi impie- *Ex.33.*
tate, qui vitulum aureum in Deum cõflauerat: cuius noxam cum Deũ Moyſes deprecaretur, reſpondet, ſecundum tranſlationem noſtram, in hunc modũ: *Miſerebor cui voluero, & clemens ero in*

quem mihi placuerit. Significans nimirum in ſuo beneplacito ſitum eſſe miſereri, miſericordiamq; exhibere, vel non exhibere, citra omnem iniuſtitiam. Sed *70. inter.* Apoſtolus aliter, ſecundum 70. citat hanc ſententiam dicens, *Miſerebor cui miſertus ſum, et miſericordiã præſtabo cui miſerebor.)* Vbi, præteritum referri videtur ad prædeſtinationem æternam: futurum verò, ad vocationem temporalem: qua quidem verborum identitate, omnem prorſus aufert cauſam prædeſtinationis, præter vnam Dei voluntatem. Et quemadmodum apud dialecticos & methaphiſicos, ridiculum eſt poſtulare cauſam propoſitionis immediatæ, vt cur homo eſt animal rationale, aut cur homo eſt homo, ita etiam cur Deus prædeſtinauerit aliquos in gloriam, ridiculum eſſet quærere aliã cauſam quàm Dei voluntatem. Et hic modus loquendi, *Miſerebor cui miſertus ſum, &c.* Eſt vulgaris apud illos qui liberè agunt, quæcunque agunt. Non *Manic.* ergo natiuitatis ſydera, vt Manichæus: nec animarum merita extra corpora, *Orig.* vt Origenes in periarchon: nec opera *Pelag.* præcedentia, vt blaſphemus Pelagius, dicebant: in cauſa ſunt gratiæ Dei, Sed ſola eius voluntas. Imò nec operum præuiſio, quæ gratiam ſubſecuntur, ſeu bonus gratiæ vſus, aliâs illa adduxiſſet Paulus in cauſam, neque dixiſſet ita nudè. *(miſerebor cui miſereor.)* Perſona etiam Moyſi citata, obſtruit audacis hominis os: nam ſi Prophetæ tanto, Deus ita præciſe reſpondit, Non eſt cur homo innanis, aliam perſcrutetur ſuæ miſericordiæ rationem & cauſam.

28. *Igitur non eſt volentis, neque currẽtis, ſed miſerentis eſt Dei)* Benè colligit ex dictis, ſalutem noſtram non eſſe in facultate humana poſitam, ſed in diuina miſericordia. Vocat autem curſum, exercitium operum, iuxta illud, Omnes qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, &c. eſt enim militia noſtra, imago quædam currentium ad brauium. ¶ Poteſt autem ſententia hæc, congruè inteligi de tribus, nempè de *Prædeſtinatione* æterna, de *Vocatione* temporali, & de *Conuerſione* ad fidem, aut pœnitẽtiam. De *Prædeſtinatione* quidem & *Vocatione*, quia non eſt humanæ poteſtatis, interiori vllo animi motu, aut externa quauis quantumuis vehementi, atque etiam laborioſa operatione, in Deo prædeſtinationem, aut vocationem cauſare: eaq; cõparare quæ ſolius ſunt Dei miſerentis quibus vult: & quos vult ſine operum conſideratione, ab æterno prædeſtinantis, & in tempore vocantis. In *Conuerſione* verò ad fidem, aut pœnitentiam, diuina motio ita nos præuenit, vt noſter requiratur aſſenſus: ad quam quidem conuerſionem adulti mouẽtur fide, ſpe, & charitate: de quibus motionibus etiam eſt dicendum, *Non eſſe volentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis.* Quoniam Deus non ſolùm operatur nobiſcũ, ſed etiam eſt cauſa quæ nos mouet ad agendum, ac proinde tota illi debetur operatio veluti principali agenti. Non enim dicimus, inſtrumẽtum ædificat, ſed per inſtrumentum artifex. Tamen ſententia Aug. eſt veriſſima dicentis, qui creauit nos ſine nobis, non ſaluabit nos ſine nobis. *Aug.* Atque etiam homines iuſti habẽt merita, quæ quatenus à Deo proficiſcuntur, dona Dei dicuntur: quoniam neq; qui plãtat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Sed quatenus per nos fiunt, & opera noſtra ſunt, & merita, & illis debentur præmia. Ex dictis patet manifeſtè, Deo nullam poſſe aſcribi iniuſtitiam. Nam ſi non ex debito, ſed ex mera voluntate, gratiam ſuam diſpenſat: & vbi non eſt debitum, ſicuti nulla datur iniuſtitia, ita nulla poteſt accidere iniquitas, Deo, qui gratis prædeſtinat, vocat, & conuertit.

29. *Dicit enim Scriptura Pharaoni, quia in hoc ipſum excitaui te, vt oſtendam in te virtutem meam, & vt annuntietur nomen meum in vniuerſa terra.)* Adducit exemplum Scripturæ de reprobatione malorum, vt oſtendat neque illic vllam inueniri iniuſtitiam circa Deum. Nam cum Deus antequàm quidquam per ſuã gratiam operetur, nemini ſit debitor hominum, fit, vt ſicuti mera eius volũ-

tas

tas & liberalitas eſt quorundam miſereri, ita nulla eſt iniuſtitia, ſi alios voluntati ſuæ prauæ relinquat, quod hic vocat indurare: non enim Deus indurat animos hominum quo minus credant Euangelio, viuantq; Chriſtianè: ſed eorum pertinatia, qui ſuaptè malitia recuſant credere, rectèq; viuere, abutitur ad illuſtrandam beneficij ſui magnitudinem, ac declarandam potentiæ ſuæ gloriam. Sic enim accipiendum
Ex.9. quod in Exodo dictum eſt Pharaoni (*in hoc ipſum excitaui te, vt oſtendam in te virtutem meam, & prædicetur nomen meũ in vniuerſa terra,*) quæ quidem ſententia prolata eſt à Deo, poſt quatuor illas plagas, Ranarũ ſcil. & Sciniphũ, Muſcarumq;, & Vlcerum, bruta animalia pe rimentium. Quibus portentis cõmoueri debuiſſet Pharao ad obediendum Deo, idcirco dignus erat morte tanquã rebellis ſeruus. Quapropter vbi iamiã percutere minaretur populum ipſum cum Rege, inquit, in hoc te hueuſque ſeruaui, & ſi fueris tanta rebellione grauiſsimam cõmeritus mortem, ſeu quaſi à mortuis excitaui, ſeu poſui in exemplum, vt iam nunc oſtendam, tum quãta ſit hominum duriries mihi renitentium: tùm, quanta ſit mea in eos expaueſcenda poteſtas, quam (*in te*) puniẽ do ſic (*oſtendam,*) ideſt, demonſtrabo (*vt &*) cum laude & gloria (*annuntietur,*) ideſt, prædicetur, (*nomen meum in vniuerſa terra,*) & ita factum eſt, nam
Ex.14 mortuis Ægyptijs, viderunt filij Iſrael manũ magnam, quam exercuerat Dominus contra Ægyptios, & inde diuulgatum eſt factum hoc per vniuerſum orbem, durabitq; fama illius vſque in finem ſeculi ad omnipotentis gloriam. Alij legunt (*poſui te,*) ideſt, ordinaui ma litiam tuam ad gloriam meam, vt ex-
Tho. ponit S. Tho. Deus enim malitiam ordinat, ſed non cauſat. Hunc ecce quia noluit, reprobauit: quem ſi voluiſſet pro ſua miſericordia, ſaluare vtique po tuiſſet.

30. *ERGO cui vult miſeretur, & quem vult indurat.*) Ex ſupradictis exemplis concludit, quemadmodum Deus pro ſuæ voluntatis arbitrio, quibus vult mi ſericorditer miſeretur: alios pro ſuo placito (ſi velit) obdurari permittit, atque in obduratione permanere. *Indurare* enim in hoc loco, idem ſignificat, quod permittere hominem ſuam inſequi naturalem carnis inclinationẽ, qui abuſus miſericordia Dei, magis ac magis recrudeſcit, iuxta illud Pauli, Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autẽ duritiam tuam & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ. Et illud Iob, Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in ſuperbia. Deus autẽ vtitur mala inclinatione naturali hominis, tùm, ad alios bonos fines, tùm etiam, vt hic docet Paulus, ad manifeſtandam iuſtitiam & potentiam ſuam. Colligendum igitur ex dictis, ſi nulla eſt in hominibus ratio debiti, reſpectu diuinæ gratiæ: ſed ſola eius eſt clemẽtia quorundam miſereri: fit, vt neque vlla ſit iniquitas ſi alijs non impendat quod naturæ ipſorũ non debetur. Nam gratia & gloria, res vtique ſunt ſupranaturales, & mereri naturaliter minimẽ poſſunt. Nec refert quod ita *induratio*, ſicut *miſeratio* tribuatur diuinæ voluntati, quia vt ait D. Tho. tàm miſericordia, quàm iuſtitia, diſpoſitionem voluntatis important: vnde ſicut miſeratio diuinæ voluntati attribuitur, ita & id quod eſt iuſtitiæ. *Cui vult ergo miſeretur* per ſuam miſericordiam, *& quem vult indurat*, per ſuam iuſtitiam. Nam illi, quos indurat, hinc merentur vt indurentur ab ipſo. Hæc S. Tho.

Rom.2.

Iob.24.

Tho.

31. *DICIS itaq; mihi, quid adhuc queritur? Voluntati enim eius quis reſiſtit?*) In perſona impij mouet quæſtionem aduerſus prædicta dicens, (*quid adhuc queritur*) ſcil. ab homine, vt faciat bonum vel malum? Fruſtrà enim requiritur ab aliquo quod non eſt in eius poteſtate: nihil autem in hominis poteſtate eſſe videtur ſecundũ prædicta, quibus omnia diuinæ voluntati videntur aſcribi, cui reſiſti nõ poteſt. Vel ſic, vt (*queritur*) ſit actiuæ ſignificationis, & ſignificet idem quod conqueritur, ſeu

ſeu reprehendit, ſeu incuſat, ſeu inculpat, ſcil. Deus. Aiunt itaque reprobati, verbi gratia, Eſau, & Pharao, eſto Paule Deum ab iniquitate tutatus fueris, propterea quod citra debitum *(cui vult miſeretur, & quem vult indurat:)* ſaltem hac tua poſtrema ſententia, nos quoque protegis, excuſaſq; ab iniquitate. Nam ſi cui vult miſeretur, & quem vult indurat, *(quid adhuc queritur)* Deus, ideſt, querelam facit aduerſus malos & *Iſai. 1.* reprobos dicens per Iſaiam. Filios enutriui & exaltaui. Aut quid eſt in quo nos incuſet poſteà, quando *(voluntati eius reſiſti non poteſt?)* ſibi imputet, non nobis ſi peccemus. Tales enim ipſe nos fecit, nec reprehendi debemùs magis quàm cœli, rerumq; naturalium vniuerſitas, in quibus neceſſariò implenda ſunt illa, quæ Deus illis decreuerit.

❡ Talia in perſona impiorum ſint dicta, quibus reſpondere oportet iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiētes eſſe videātur. Audi ò Pharao tyranne, *(voluntati Dei,* inquis, *nemo reſiſtit,)* fateor ingenuè, verùm illius voluntas non fuit tibi cauſa exitij, nec ſic indurauit cor tuū, vt ipſe pertinatiam immitteret: ſed cū noſſet arrogantiam tuam ſubitò dignā exitio, tamen paulatim ingraueſcētibus ſuplicijs in te vſus eſt, quibus corrigi facilè poſſes, ni tua ipſius malitia obſtitiſſet, verùm diuina lenitas impiam tuam mentem magis exacerbabat. Tuū igitur malum Deus in ſuam vertit gloriam. Plura poterant pro Deo reſponderi, ſed quid opus eſt verbis cum inſano? Satis eſt ſcire id quod Deus facit, eſſe valde bonum, & optimum. Cæterùm arrogantiam deteſtatur ipſe: propterea ſubditur.

32. *O Homo tu quis es, qui reſpondeas Deo?)* Reſpondere in hoc loco accipitur pro eo quod eſt reſponſare, ideſt, obmurmurare: vnde, reſponſatores famuli dicuntur, qui contra dominorum iuſſa, ſua faciunt reſponſa. Eſt autem *Orig.* diſcrimen inter fidelem ſeruum, qui volens inteligere ea quæ decent, Deum interrogat, ſicuti vir deſideriorum Daniel, & beata Virgo: & eum qui cauſa diſceptandi cum Deo, ſubmurmurat aduerſus ipſum: ille quidem dum quęrit, inuenit iuxta promiſſum Domini: hic verò increpatione potiùs, quàm reſponſione dignus eſt, quē ſubnotat hic Paulus, arguitq; tanquam arrogantem. Quid enim arrogantius quàm hominē, quo nihil abiectius, eum Deo diſceptare, velut ex æquo contendentem? Quis enim ferret, ſi luteum vas cum figulo ſuo expoſtulet, dicatq;, cur me ſic finxiſti? vnde dicit,

33. *Nunquid dicit figmentum ei qui ſe finxit, quid me feciſti ſic?)* Ex Iſaia de- *Iſai. 45* ſumptum eſt hoc, vbi inquit, Nunquid dicit lutum figulo ſuo, quid facis? & opus tuum ſine manibus. Senſus eſt, quēadmodum id quod per artem fingit figulus, qualecunq; tandem ſit quod fingitur, non obmurmurat aduerſus figulum, dicens, quid me feciſti ſic? ita neq; homo, aduerſus Deum murmurando, ſe poteſt opponere, quaſi ille malè nos finxerit, aut malum quemquam creauerit. In hoc verò magis ſe exponit dum ait.

34. *AN non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud vas in in honorem, aliud verò in contumeliam?)* Ac ſi diceret, quod lutum eſt in manu figuli, hoc ſumus omnes in manu Dei: viles enim ſumus, tum ex materia noſtra, de limo enim terræ conditi ſumus: *Gen. 2.* tùm etiam & maximè, ex corruptione peccati, quæ per vnum hominem in hunc mundum intrauit: vnde & luto, à beato Iob, meritò comparamur. Fi- *Iob 30.* gulus autem fingit, quodcunq; animo ſuo collibuit, aliud vas in ſordidos vſus, aliud in honeſtos producens: quocūq; iudicio id facit, ſuo iure facit figulus, nec conuenit lutum, conſilij rationem ab illo exigere. Longè vilior eſt homo collatus cum Deo, quàm argilla collata cum homine figulo. Igitur ſi prodigioſæ ſit arrogantiæ lutum argutari cum figulo, quanto maioris arrogantiæ eſt hominem de conſilijs Dei diſceptare? quæ tanto ſupra nos ſunt, vt vix vmbram, aut ſomnium poſsimus aſſequi.

credamus & non diſceptemus, atque ita citius inteligemus. Figulus errare poteſt, Deus non poteſt. Illud nobis ſatis eſt credere, Deum, cum ſit omnipotens, poſſe quicquid vult: ſed eundem, cum ſit optimus, non velle niſi quod optimum eſt. Redeamus ad Apoſtoli verba, (*Deus quoſdam indurat, quorundam miſeretur:*) cur ita ô diuine Apoſtole? Ego quidem firmiſsimè credo, quod Deus eſt optimus, & quod omnia eius opera ſunt valde bona: ſed inteligere ſatis non valeo bonitatem eius circa induratos. Nam circa iuſtos, planiſsima res eſt. In omnibus ſiue reprobis, ſiue pijs, luce clarius fulget immenſa Dei bonitas: quæ duplicem habet partem, iuſtitiæ ſcil. & miſericordiæ: illa contra impios, hac erga pios vtitur. Huius autem dubij aſsignatur hæc ratio in generali, qua diuina bonitas manifeſtatur. Si enim aliquis ædificare volens haberet multos lapides ſimiles & æquales congregatos, poſſet quidem dari ratio, quare quoſdam ponat in ſummo, & quoſdam in imo, ex parte finis: quia ad perfectionem domus quam facere conatur, requiritur & fundamentum, quod habet lapides in imo: & cacumen parietis, quod habet lapides in ſummo. Sic Deus vt ſuã manifeſtet bonitatem, quorundam miſeretur, qui ſunt lapides ſuperiores ædificij: quoſdam indurat, qui ſunt lapides in imo poſiti. In ſpeciali verò alia non poteſt aſsignari ratio, niſi ſimplex Dei voluntas, quare ſcil. hos induret, horum verò miſeretur: quemadmodum ſi ab artifice quæratur, quare hos lapides in imo, hos verò in ſummo collocet, reſpondebit tibi, non ob aliam

Tho. cauſam, niſi quia ſic ipſe vult. Sic Deus quos vult indurat, non quidem compellendo eos ad peccandum, ſed deſerendo, & auxilium alioquin non debitum ſubtrahendo: quia Dei monitis auſcultare nolunt, neĉ aſſentire Deo inſpiranti, & auxilianti. Voluntas igitur Dei propria & efficax, eſt cauſa quod alij ſaluentur: permiſsiua verò, quod alij damnentur: dum propter eorum duritiam & impietatem, eos derelinquit. Voluntas ergo damnatorum propria, eſt cauſa quod eos derelinquat Deus: iuxta illud, Perditio tua Iſrael, tantum ex me auxilium tuum. *Oſea. 13.*

35. *Quod ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum, vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ quæ præparauit in gloriam.*) Ad finem huius ſententiæ ſuplendum eſt, (*quid ad te?*) vel (*tu quis es qui reſpondeas Deo?*) ſeu (*quid contra hoc iuſte poterit dici?*) quaſi dicat, nihil. Eſt enim hic locus, vnus ex eclipticis Pauli, habentibus conſtructionem defectiuam, & ſuſpenſiuam. Per hanc autem ſententiam ſoluit quæſtionem in generali factam, quare ſcil. velit Deus quibuſdam miſereri, & quoſdam in miſeria relinquere: ſiue quoſdam eligere, & quoſdam reprobare. Cuius cauſa finalis, aſsignari non poteſt alia, quàm (*manifeſtatio diuinæ bonitatis:*) iuxta illud, Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus. (*Bonitatis*) verò duplex eſt ratio, nempè, (*Iuſtitia & Miſericordia:*) vt illam oſtenderet, reprobauit quoſdam: hanc vero vt patefaceret, prædeſtinauit alios. Sic erit ſenſus planus, ſed exponamus ſigilatim vnũquodque verbum. *Pro. 16.*

36. *Volens oſtendere iram.*) Ira in hoc loco, eſt iuſtitia vindicatiua, quæ ſpeciem habet irati iudicis. Seu eſt ſeueritas iuſtæ vindictæ Dei: quoniam in Deo, nec eſt paſsio, nec paſsionis imago: effectus tamen vltricis iuſtitiæ ſuæ, ſunt ſimiles effectibus iræ noſtræ. Nec verò ait, vt exerceret iram ſuam: nam Deus nec habet iram, nec iraſci cupit: ſed ait, (*volens oſtendere,*) ideſt, vt oſtenderet & patefaceret (*iram,*) ideſt, iuſtitiam ſuam.

37. *Et notam facere potentiam ſuam.*) In triplici operum genere, oſtenditur (*maxima Dei potentia:*) nempe, (*in mundi creatione, & redemptione,*) & in malorum (*punitione.*) Idcirco dies illa, dies iræ, dies magna & amara valde nuncupatur: tunc enim ait Propheta, loquetur

Pſ.2. cur ad impios in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos, eſſlabitque tanquam fauillam in ignem æternum: cuius punitionis veluti veſtigia, fuerunt olim orbis inundatio, Sodomorũ exuſtio, & alia id genus plura.

38. *Suſtinuit in multa patientia vaſa iræ.*) Pharao & omnes pertinaces qui addunt peccata peccatis, dicuntur *vaſa*, ideſt, inſtrumenta *iræ* Dei: nam ſua ipſorum malitia ſeipſos capaces faciũt, qui repleantur ira Dei. Hos Deus (*ſuſtinet in multa patientia,*) quia nõ protinus de medio tollit, ſed ſuſtinet illos, procraſtinando vindictam, ſi fortè conuertantur & viuant.

¶Si autem Deus ita ſuſtinet inimicos, maximos peccatores, quare nos non ſuſtinebimus fratrum imbecillitatem? Immortalis, multa patiẽtia ſuſtinet mortales, & nos mortales ferre nolumus mortales. Abhorret natura humanum odium, nam omne animal, naturaliter diligit ſibi ſimile: & nos, inuita natura, odio habemus illos qui ſunt os ex oſsibus noſtris, & caro de carne noſtra. Sed væ illis qui malè affecti ſunt erga fratres: plangendi ſunt tanquam mortui, nam iuxta Ioannem, qui non diligit, manet in morte, ſcil. animæ, ſepelieturq; in inferno cum inimicis Dei.

39. *Apta in interitum.*) ideſt, aptata (*in interitum,*) ſeu vaſa merita quæ mox confringantur. Sunt impij Gentiles, increduli, ac pertinaces Iudæi, mali Chriſtiani: hos Deus multa lenitate ſuſtinet, ac tolerat, quò magis euidens fiat omnibus, illos eſſe exitio dignos, qui tot modis prouocati, corrigi nõ queũt. Non ſic Deus eos aptauit, nec finxit *vaſa* immunda: ipſi ſeipſos conſpurcarunt, & inhoneſtis vſibus addixerũt.

40. *VT oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ, in vaſa miſericordiæ.*) Pœna malorum adauget gloriam bonorum, ſicut ſcri-
Pſal. ptum eſt, Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam, manus ſuas lauabit in ſanguine peccatorum. *In ſanguine*, ideſt, in pœnâ, *lauabit*, cõparatiuè: nam oppoſita iuxta ſe poſita, magis eluceſcunt. Pro iuſtis ergo faciet etiam punitio malorum, vt ex eorum punitione reluceat copioſiſsima illa, & ditiſsima gloria miſericordiæ eius, (*in*) ideſt, erga, (*vaſa miſericordiæ,*) ideſt, viros iuſtos & ſanctos, qui ſunt veluti quædam vaſa, & inſtrumenta, quibus Deus vtitur ad manifeſtandam ſuam miſericordiam.

41. *Quæ præparauit in gloriam.*) Diſcrimen eſt inter bonos & malos, quod *mali ſeipſos præparant* ad interitum: ſed *bonos Deus præparat* ad coronam: tùm, prædeſtinando ab æterno: tùm, in tempore adiuuando per gratiam ſuam: vt tandem effundat in eos cœleſtes diuitias, impleatq; gloria ſua.

¶AD maiorem prædictorum inteligẽtiam, notare maximè opportet, quod prædeſtinatio, vt ait quidam vir eruditiſsimus, eſt particularis deſtinatio rationalis creaturæ, in ſuum ſupræmum finem, ad quem ſupra naturam ſuam, ductu & fauore Dei perducitur: & eſt pars ſubiectiua, & ſpecies prouidentiæ, quæ eſt ordinatio rerum generalis, & æterna in ſuos ipſarum fines, ſiue naturales illi ſint, ſiue ſupranaturales. Soto.

¶Reprobatio verò, eſt æterna quoquè voluntas Dei permittendi quoſdam per ſuum liberum arbitrium, aberrare ab illo vltimo fine. Si igitur in genere quæſieris, cur Deus quoſdam prædeſtinauerit, quoſdam reprobauerit: reſpondẽdum, prædeſtinationis nullam nobis ineſſe cauſam: reprobationis verò, meritum quidem eſt in nobis, finis autem in Deo. Si autem in particulari ſcruteris, cur Deus hos prædeſtinauerit, vt Iacob, & Paulum: hos verò reprobauerit, vt Eſau & Iudam: reſpondet Aug. Aug. ſu-
cur hunc trahat, & illum non trahat, per Ioã.
noli iudicare, ſi non vis errare. Quãuis tractionis alla ratio eſt, cum ſit prædeſtinationis effectus: & ideò addit, nõdum traheris, ora vt traharis. At non dixiſſet, nondum es prædeſtinatus, ora vt prædeſtineris. Tametſi eum res ſit occultiſsima, optare ſibi quiſque poteſt apud Deum, vtinam & ego Domine, in numero ſim tuorũ prædeſtinatorũ.

❡ Prædeſtinationis finis eſt oſtenſio gloriæ & miſericordiæ Dei: reprobationis verò, manifeſtatio iuſtitiæ ipſius, & patientiæ: quarum neutra quidquam ponit in homine, ſed tantùm in Deo: licet executio prædeſtinationis, vt iuſtificatio & glorificatio, aliquid ponat in prædeſtinatis. Cauſa reprobationis non eſt Deus, cum Deus non poſsit eſſe cauſa mali: ſed propria culpa eſt cauſa reprobationis, propter quam præuiſam reprobauit iniquos. Vnde Propheta, Perdi-
Oſea. 13. tio tua Iſrael, tantùm in me auxilium tuum. Et quamuis Deus iuxta Apoſtolum, vult omnes homines ſaluos fieri, inteligendum eſt de voluntate antecedenti, non conſequẽti: hæc enim abſolutè & ſemper impletur, iuxta illud,
Pſal. Omnia quæcunque voluit fecit. Et voluntati eius quis reſiſtit? illa verò, eſt voluntas, qua Deus vult aliquid non in particulari & abſolutè, ſed ſecũdum aliquam generalem rationem boni, & ſecundum quid. Quemadmodũ iudex vellet ſeruare hominem amicum, tamẽ quatenus malefactor eſt, iuſtè ſuſpendit eum. Sic Deus vult homines quatenus creaturæ & imago ſui ipſius ſunt, & ſuæ beatitudinis capaces, fieri ſaluos, licet vult iniquos ſuplicio affici perpetuo. Quæ quidem diſtinctio non ſumitur ex parte Dei, in quo nihil eſt prius aut poſterius: ſed ſumitur ex parte obiecti, in quo ratio generalis boni prius conſideratur, quàm ratio particularis qualitatis.

❡ Ad hæc, gratia Dei eſt cauſa directa bonorum operum: permiſsio verò, non niſi cauſa per accidens delictorum, & obdurationis, auferendo ſcil. miſericordiam, quæ peccatum vel impediret, vel
Aug. in epiſt. ad Sixt. remoueret, vnde Aug. non indurat, inquit, Deus impartiendo malitiam, ſed non impartiendo miſericordiam. Quo fit, vt cum Deus ſtet ad oſtiũ pulſans, paratus ſubuenire cuicunque, prius natura ſit quod homo nolit aſſentiri, quàm quod Deus eum obdurato ſuo permittat arbitrio. Nam qui audit, in-
Ioa. 6. quit Saluator, & didicit, venit ad me.
Oſea. 13. Meritò ergo per Oſeam, inquit Dominus, Perditio tua Iſrael, &c. ſed quid de Eſau odio habito, antequam quidquam boni, aut mali egiſſet? Dicendũ hoc fuiſſe, tùm, propter originale, quod vtique pœna damni punitur, tùm etiã, propter actualia præuiſa, quorũ & dãni & ſenſus pœnas luit homo.

42. *QVOS & vocauit, non ſolùm ex Iudæis, ſed etiam ex Gentibus.*) Oſtendit gratiam vocationis non ſolùm pertinere ad Iudæos, ſed etiam ad Gentes, vt ſic excludat Iudæorum iactantiam. Cum autem præceſſerit *vaſa* in neutro genere, & ſequatur *quos*, in maſculino, non ad verbum, ſed ad ſignificatum referre oportet, vt ſit ſenſus, *vaſa*, id eſt, homines æternaliter præparati à Deo in gloriam, aſciti ſunt in tempore ab ipſo Deo, *non ſolùm ex Iudæis*, veluti nos, *verumetiam ex Gentibus*. Quandoquidem hîc non natiuitas, ſed Dei delectus facit hæredes. Probat vtrunq; ex autoritate Scripturæ, & primò de copioſa Gentium vocatione, quæ modo impletur per vaticinium Oſeæ. Deinde de vocatione Iudæorum, & paucitate vocandorũ, ex Iſaia Propheta. Quoad *Oſea. 1.*
primum dicit. *Iſa. 51.*

43. *SICVT in Oſea dicit, Vocabo non plebem meam, plebem meam: & non dilectam, dilectam: & non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam. Et erit, in loco vbi dictum eſt eis, non plebs mea vos, ibi vocabuntur filij Dei viui.*) Senſus literæ eſt planus. Populus enim Gentium, qui idololatria ſua olim erat non populus Dei, non miſericordiam conſecutus, & non dilectus: ſuſcepta poſtmodum fide, lenitate, clementiaq; diuina, factus eſt populus Domini, & dilectus, & miſericordiam conſecutus, & populus filiorum Dei viui. Tales ſunt omnes Chriſtiani, quondam à Deo alieni, & prophani: auxilio tamen Chriſti reſipiſcentes & emendati, recepti ſunt in gratiam Dei: vocanturq; filij Dei viui ad differentiam mortuorum, qui habebantur pro dijs, idq́ue per Spiritum ſanctum clamantem Abba Pater. De Iudæis verò ita inquit.

44. *Iſaias autem clamat pro Iſrael.*)

Clamat, inquit, ideſt, apperte, conſtanter, & indubitanter & clara voce loquitur, *pro Iſrael*, ideſt, de conuerſione Iſrael, ſeu Iudæorum, vt ſcil. notum ſit vniuerſo orbi, hoc prædeſtinationis munus, non fuiſſe in vniuerſos Iudæos protenſum, ſed paucis impenſum: quam paucitatem reliquias vocat Iſaias tàm hic, quàm inferiùs cap. 11. vnde dicit.

45. *SI fuerit numerus filiorum Iſrael tanquã arena maris, reliquiæ ſalue fient.*) Ac ſi diceret, ex maxima & innumerabili multitudine filiorum Iſrael, (*reliquias aliquas,*) ideſt, paucos electos, ad ſalutem fidei peruenturas. Vaticinium

Iſai. 10. hoc habetur apud Iſaiam, vbi ad lite-

Hiero. ram, interprete Hiero. loquitur de obſidione Senacherib, qui poſt tranſlatas decem tribus Iſrael, regnante illic Oſea, inuaſit cæteras duas tribus, eiſque penè abſumptis, obſedit Ezechiam in Hieruſalem: qui tum demum diuino fauo-

4. Reg. 19. re per Iſaiæ conſolationem recreatus eſt, & per Angelum ab Aſſyrijs liberatus. Quamobrem ait Propheta, (*ſi fuerit numerus filiorum Iſrael,*) ideſt, omnes decem tribus, (*tanquam arena maris,*) ideſt, par numero arenarum quæ ſunt in marino littore, ſiq; tam multi ſuo vitio pereant, (*reliquiæ ſalue fient,*) ideſt, particula reliqua quæ cum Ezechia ſeruata eſt Hieroſolimis: cæteris decem tribubus plurimaq; duarum parte conſumptis. Id quod in figura Chriſti Seruatoris peractum eſt, qui veluti Angelus Dei redemit orbem adiabolica tyrannide: ſed duritia Iudæorum obſiſtente, non niſi particulam eorum lucri fecit, qui fide ſalui facti ſunt. Nec refert tamen quod tam multi Iudæorũ ceciderint, ad hoc quod Deus non habeatur fidelis in omnibus verbis, promiſsiſq; ſuis. Nulla enim quamlibet ingens turba decidentium, Dei promiſſum irritabit.

46. *VERBVM enim conſumans, & abreuians in æquitate.*) Reddit cauſam quare tam pauci Iudæorum ſalui facti ſunt, quia nimirùm (*verbum*) prædicationis Apoſtolorũ fuit (*cõſumans,*) ideſt, perficiens, (*& abreuians*) erga paucos, quamplurimis verò excluſis. Et hoc, (*in æquitate,*) ideſt, iuſto Dei iudicio. Nam pauci tantum fidem ſuſceperunt, cæteri verò illam contempſerunt, lapidibus obruentes Apoſtolos Chriſti: ad quos proinde Apoſtoli, vobis, inquiunt, oportebat primum prædicare regnum Dei, ſed quoniam contemnitis illud, Ecce conuertimur ad gentes. De hac autem verbi abreuiatione & conſummatione, fuit vaticinium Iſaiæ dicentis.

47. *QVIA verbum breuiatum faciet Dominus ſuper terram.*) Quaſi dicat, ne *Iſai. 10.* miremur eſſe tam paucos Iudæorum ſalutem conſecutos, nam iuxta vaticinium Iſaiæ, ſtatuit Dominus, iuſto ſuo iudicio, quod prædicatio Euangelij eſſet curta & breuis, ſcil. in effectu, & cõuerſione Iudæorum: decurtando & breuẽ faciendo copiam illorum qui ſeruandi ſunt, & omnes infideles deperdere: quã quidem verbi decurtationem, prædixit futuram (*ſuper terram,*) ideſt, in Iudęa. Ibi enim conuerſi ſunt nonnulli, & Euangelium receperunt: cæteri verò qui in cæcitate & contumatia permanſerũt, à Romanis partim occiſi, partim capti, & miſera ſeruitute oppreſsi, in varias mundi plagas relegati ſunt.

¶ Poteſt etiam inteligi vaticinium hoc, de verbo incarnato, qui decurtatus, & ad hominis vſque naturam abreuiatus, atque exinanitus (nõ quia aliquid ſubtractum ſit plenitudini, & magnitudini diuinitatis ipſius, ſed quia noſtram exilitatem, & paruitatem ſuſcepit) reliquias Iſrael ſaluas fecit: vt ſic reſpondeat myſterio incarnationis filij Dei, paucitas fidelium Iudæorum, ex quorum genere dignatus eſt carnem humanam ſumere.

Prædicta quidem lectio, eſt iuxta trãſlationem Græcam ſeptuaginta interpretum, qua frequenter vtitur apoſtolus, ob id fortè quod conuerſis ex gẽtibus pro maiori parte ſcribit, quibus tranſlatio illa magis arridebat, celebriorque erat apud illos: quæ vtique neque Iudæis diſplicebat, eo quod à ſuis etiam fuiſſet facta. In tranſlatione autem noſtra aliter legitur, hoc nimirum modo

(*conſummatio abreuiata, inundabit iuſtitiam,*) hoc eſt, ex illis paucis Iudæorum conuerſis, in fide conſũmatis, magna iuſtitiæ copia, quæ nomine inundationis inteligitur, proficiſcetur, quales fuerũt duodecim Apoſtoli Chriſti, qui iuxta Paulum, primitias ſpiritus acceperunt. Sequitur. *conſummationem enim & abreuiationem, Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.* Iam hoc explanatum eſt ſuprà in prima lectione.

48. *ET ſicut prædixit Iſaias. Niſi Dominus Sabbaoth reliquiſſet nobis ſemen, ſicut Sodoma facti fuiſſemus, & ſicut Gomorra ſimiles fuiſſemus*) Confirmat ſententiam ſuam, alia Iſaiæ authoritate,
Iſai. vbi vocat *ſemen Abrahæ*, Chriſtum: vel *ſemen* verbi Dei, ſcil. Euangelium: vel Apoſtolos, qui ſemen Abrahæ ſunt, vtpotè ex Iudæis orti: & cum Apoſtolis alios qui crediderunt, quos priùs *reliquias* vocauerat. Illos igitur paucos qui ex tam innumerabili Iudæorum multitudine Chriſtum receperunt, ſemen vocat: ſumpta metaphora à re ruſtica. Quando enim coloni paruam & exiguam meſſem conqueruntur, ſolent dicere, vix ſemen ſuperfuiſſe. Propterea inquit, (*niſi Dominus Sabbaoth. reliquiſſet nobis ſemen,*) ideſt, aliquos dediſſet, reſeruaſſetq; electos, *ſicut Sodoma facti fuiſſemus*, neque ſecus quàm *Gomorra fuiſſemus* habiti. Proinde licet deſciſcãt à Chriſto Iudæi pleriqne, non ſinet Chriſtus intermori germanum ac legitimum ſemen Abrahæ.

49. *QVID ergo dicemus?*) More ſolito ſub interrogatione infert, (*quid ergo dicemus*) ſcil. de his mirabilibus Dei iudicijs? miranda ſanè ſed vera ſunt quæ dicimus. Quid dicimus? nimirum id quod res eſt.

50. *QVOD gentes quæ non ſectabantur iuſtitiam, aprehenderunt iuſtitiam.*) ideſt, gentes quæ videbantur à iuſtitia alieni, & à legalibus ceremonijs immunes, veram tamen aſſecuti ſunt iuſtitiam. Vel (*gentes quæ iuſtitiam,*) ideſt, virtutem non requirebant, in appertis & enormibus peccatis ſine rubore viuentes, ſtatim audita prædicatione Euangelij, credentes, agentesq́ue pœnitentiam, (*aprehenderunt iuſtitiam*) veram. Non enim Iudaicam, quæ rebus corporeis conſtans, vmbram quandam iuſtitiæ præſeferebat, ſed *iuſtitiam* fidei. Vnde dicit.

51. *Iuſtitiam autem quæ ex fide eſt.*) Hæc ſalutaris efficaxq; iuſtitia eſt, quæ quidem contingit non ijs qui ſibi placent operibus legalibus, ſed qui ſe per fidem vitam Deo ſubmittunt, dedũtq;. Ad hoc enim gentes conuerſæ ſunt, nõ vt obſeruent iuſtitiam legalem, ſed vt iuſtificentur per Chriſti fidem. Viens autem hoc verbo (*ſectabantur,*) alludit ad Philoſophos, quorum dicuntur eſſe ſectæ, propterea quod in ſuis ſcholis, ſua ſinguli dogmata ſectabantur.

52. *Iſrael verò, ſectando legem iuſtitiæ, in legem iuſtitiæ non peruenit.*) Iudæorũ euentum colligit, vt ſi diceret, èdiuerſo populus Iudæorum, dum *iuſtitiæ legem*, ſcil. Moyſi, (ſic dicta, quoniam habebat Chriſtum pro fine, ad quem tanquam pedagogus manuducebat homines) iuxta carnem vel literam, ſcil. in exterioribus tantùm, *ſectatur*, ac mordicus renet, ad veram *iuſtitiæ legem*, quæ eſt lex Euangelica, lex fidei, & lex ſpiritus vitæ, per quam iuſtificantur homines, (*non peruenit,*) quantum ad magnam eorum partem, videlicet excidens à Chriſto, in quem ceu ſcopum, vt dictũ eſt, omnia legis Moſaicæ tendebant oracula.

53. *Quare?*) Quærit cauſam vnde tãm repentina rerum mutatio proceſſerit, aut res ſic in diuerſum exierit. Reſpondet dicendo,

54. *QVIA non ex fide, ſed quaſi ex operibus.*) (quia non ex fide) ſubaudi, ſectabantur illam iuſtitiam, vel quærebant iuſtificari, vnde debuerant. (*ſed ex operibus,*) ideſt, ex legis carnali obſeruantia, vnde non poterant. Non in Chriſto, & Meſsia qui finis erat legis, ſed in externis operibus inflati cõfidebant, cum Deus maximè auerſetur elatos, & ſeſe in partum modeſtis ac ſubmiſsis: idcirco gentes quæ morbum ſuum agno-

agnouerunt, & ſeſe Deo ſubmiſerunt, recepit: Iudæos verò erectos, ſibiq; falſo iuſtitiæ titulo plaudentes, fretos ſabbatis, lotionibus, circuncisione, atque his conſimilibus obſeruati unculis, fidei iugum dedignantes recipere, reiecit, Chriſtum abnegantes, & authorem vitæ morti tradentes.

55. *Offenderunt enim in lapidem offenſionis.*) Manifeſtat cauſam proximè dictam, inquiens, (*offenderunt,*) ſcil. Iudæi pertinaces (*in lapidem offenſionis,*) ideſt, ad Chriſtum, qui aſsimilatur (*lapidi offenſionis.*) in hoc quòd ſicut lapis in quem quis offendit, non cauetur propter ſuam paruitatem: ita Iudæi videntes Chriſtum infirmitate noſtra cõtentum, non cauerunt in eum offendere. Fuit enim quaſi abſconditus vultus eius, & deſpectus, vnde, non reputauimus eum, inquit Iſaias. Et Hiere. etiam *Iſa. 53.* dicit, antequam offendant pedes veſtri ad montes caliginoſos, ideſt, ad Chri- *Hier. 13* ſtum & eius Apoſtolos, qui, vt ait S. Th. dicuntur (*montes caliginoſi*) propter *Tho.* hoc quod eorum dignitas & magnitudo latebat in eis. Vita veſtra, ait Paulus, abſcõdita eſt in Chriſto, & beatus Euangeliſta Ioannes, nondum apparuit quid erimus, cum apparuerit, ſimiles ei erimus. Sed mira fuit Iudaicæ affectionis deprauatio, quod cum legem, veluti lumen, Deus illis irradiaſſet, in quo Chriſti fidem proſpicerent, vt eum paratiores ſuſciperent, (promittebat illis Chriſtum Seruatorem) eadem lege ita ſeſe obtenebrarũt, vt veluti in caligine oberrantes, ad ipſum pro maxima parte alliſi corruerint. Sic enim offenderunt vt caderent: & factus eſt eis qui erat Saluator datus, eorum peruerſitate & incredulitate, quaſi (*lapis offenſionis,*) & ſuæ occaſio ruinæ: atque idem lapis qui pijs futurus erat ſolido, tutoq; præſidio, iſtis verteretur in pernitiem, dum in illum malunt impingere reluctantes, quàm in eo conquieſcere credentes. Quod ipſum euenturum, olim præſcius vaticinatus eſt Iſaias, dicens.

56. *Ecce pono in Sion lapidem offenſionis, & petram ſcandali: & omnis qui credit in eum non confundetur.*) Componit Apoſtolus verba Iſai. in diuerſis locis *Iſa. 28.* ſcripta. Nam cap. 28. ſic habetur, (*Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem: lapidem angularem, probatum, pretioſum, in fundamento fundatum: qui crediderit, non feſtinet.*) Hinc ſumitur principium authoritatis, nempe (*Ecce ponam in Sion lapidem,*) ſcil. quaſi fundamentum, in quo deſignatur quod Chriſtus diuina ordinatione conſtitu- *1. C. 3.* tus erat Eccleſiæ fundamentum. Sumitur etiam inde finis authoritatis, nam pro eo quod dicit, (*qui crediderit non feſtinet,*) poſuit, (*omnis qui credit in eum, non confundetur,*) quia ſcil. conſequetur mercedem ab eo. Sic habet tranſlatio. 70. & ad hunc ſenſum pertinet, ait S. *Tho.* Th. quod in litera noſtra dicitur, (*qui crediderit non feſtinet,*) ille enim feſtinare videtur, qui deluſum ſe reputat, quia citò non adipiſcitur quod ſperabat. Legitur etiam Iſai. 8. cap. (*in la-* *Iſa. 8.* *pidem autem offenſionis, et petram ſcandali, duabus domibus Iſrael*) & hinc ſumitur medium authoritatis quo dicit, (*lapidem offenſionis & petram ſcandali*) vt *Tho.* (*offenſio,*) iuxta D. Th. referatur ad ignorantiam, quia vt inquit Paulus, ſi cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. (*Scandalum*) autem refe- *1. C. 2.* rendum eſt ad impactionem, & caſum quo per infidelitatem ceciderunt, Chriſtum & eius Apoſtolos perſequentes.

¶ Vocatur autem (*Chriſtus lapis, & petra,*) per metaphoram: nimirum propter ſoliditatem, & firmitudinem, de *Dan. 2.* quo eſt illud Danielis dicentis, qui exciſus eſt de monte ſine manibus. Chriſtum enim deſcendentem de cœlo, concepit virgo ſine ſemine. Quo etiam nomine alluditur ad ædificium Eccleſiæ, quæ eſt fabrica omnipotentis Dei. Figuratus eſt enim Chriſtus in lapide illo reprobato ab ædificatoribus templi, poſteà vero conſtituto in caput anguli. *Pſ. 118.* Compegit enim veluti angularis lapis duos populos, gentium ſcil. & Iudæorum, in vnam Eccleſiæ vniuerſitatem. Chriſtus igitur lapis angularis ideò dicitur, quia vtrunq; populum in Eccle-

ſia

ſia ſua contineat. At vero, diuerſa hominum affectio in cauſa fuit, vt diuerſis diuerſus appareret. Vt enim id quod apis ſumit ex flore, conuertitur in mel: id autem quod araneus carpit ex eodem flore, conuertitur in venenum, cum flos ſit vnus & idem: ſic Chriſtus flos campi excellentiſsimus, alijs fuit in ſanctificationem, ſiue ſaluationem ei ſcil. adhærentibus: alijs vero in ruinam, eum ſcil. contemnentibus. Et hoc eſt quod
1.C.1. dixit ad Corinthios ſcribens Paulus, prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam, ipſis autem vocatis, Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam. Et Simeon ſenex ille iuſtus, ac timoratus, puerum Ieſum brachijs tenens,
Luc.2. ecce, inquit, hic poſitus eſt in ruinam, & reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum cui contradicetur. (*Offendere itaque in Chriſtum, offendiculoque confringi,*) nil aliud eſſe videtur, quàm
Ioa.15. Chriſto contradicere: nam ſi non veniſſem, inquit, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent. Sed eſt (*diſcrimen*) inter eos qui impingunt, ſiue incurrunt in hunc lapidem & eos ſuper quos cadit lapis iſte, vt Saluator apud
Mat.21 Mattheum dicit, qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur, ſuper quem verò ceciderit, conteret eũ. Nam quãdo humilis apparuit Dominus, tunc qui ſe illi non ſubdiderunt, cadentes ſuper illum veluti vaſa fictilia fracti tantùm ſunt: quia poterant per miſericordiam rurſus conſolidari. Sed cum in montem creuerit, putà cum excelſus venerit ad iudicandum, corruet ſuper illos, tanquam ſuæ poteſtati ſubiectos, & tunc ſicuti obduratos lapides vſqueadeò conteret, vt nullus deinceps detur reficiendi locus, proijciens illos ad æternos ignes.

H.P. ¶EX dictis manifeſtè conſtat, nullam eſſe tam inſignem virtutem, tam illuſtrem, tot tantiſq; laudibus decorandã, quam impij vitio non tribuant. Vt enim lignum arenæ fixum in medio fluminis, altera parte in aqua exiſtente, altera in aere extra aquam, videtur obliquum & fractum, cum ſit rectum & integrum, non ob ligni defectum, ſed quia illud oculi per aquam reſpiciunt, quo fit vt videntes longè, opinione fallantur: ſic virtutis actio recta, omnibusq; numeris abſoluta, cenſetur ab improbis obliqua & nefaria, non ipſius actionis, ſed iudicij deprauati corruptela. Fallit enim iudicium eos qui per aquã inuidiæ, & malitiæ res geſtas inimicorũ cernunt, cupientes eam gloriam labefactare & infringere, quam magni viri fuerunt rectè factis, & virtute cõſecuti. Vt enim febri atque freneſi laborãtes, perexigua quadam linearum rectarum ſimilitudine, in pariete deſcriptarũ decepti, animalia quædam deformia videre exiſtimant & teſtantur, vt aſſerit Ariſtoteles: ſic improbi homines, ani- Ariſt. mi ægritudine deprauati, lineas rectas, hoc eſt, aliorum facta illuſtria, digna quæ publicis munimentis mãdetur ad memoriam poſteritatis ſempiternam, non ſolùm ſpoliant ornamentis, ſed etiam vitio vertunt, & ad calumniam rapiunt.

57. *ET omnis qui credit in eum non confundetur.*) Iam diximus ſuprà, hoc dictum eſſe iuxta verſionem .70. interpretum: in veteri autem translatione ſic legitur, (*qui crediderit non feſtinet.*) quod idem eſt, vt expoſuit D.Tho. nam Tho. confuſio contingit credenti, quando nõ ita accidit vt ipſe crediderat, idcirco ſolicitus feſtinat, vt quod credit cernat, ne confundatur. Igitur, (*non feſtinet,*) idem eſt, quod qui in hunc lapidẽ pretioſum & benedictum crediderit, quieto ſit animo & pacato, quia non confundetur. Nam licet moram fecerit, vt ait Propheta, Nemo deſperet, quia ve- Abac.2 niens veniet, & promiſſa ſua complebit. Hoc ideò dixit Iſaias, quia conſiderabat difficile eſſe fragiles homines, de promiſsionibus Dei aliquando non dubitare: cum ſæpenumero videamus eũ permittere, priuſquam promiſſa perſoluat, res multò aliter euenire quàm exiſtimabamus, id quod ex locis è media ſcriptura depromptis perſpicuum fiet. Dauidem in adoleſcentia ſua Regem deſignauit Deus, eumq; à Samuele voluit vngi: ſed poſtea tot tantiſq; calamita-

mitatibus eum opprimi permiſit, tam varijs caſibus, & accerbis ærumnis eum exercuit, priusquam ad altum dignitatis gradum adduceret, eiq; regni poſſeſſionem traderet, vt vix credibilia viderentur ea, quæ Dauidi facturum ſe eſſe prædixerat. Ioſeph quoque dixit Hebræis in Ægypto: poſt mortem meam Deus viſitabit vos, & aſcendere vos faciet de terra iſta, ad terram quam iurauit Abraham, Iſaac, & Iacob. At poſtquàm ille è vita migrauit, vexati ſunt Hebrei multis annis, donec Deus eos liberaret, & in promiſſam terram perduceret. Ex quo fit, vt imbecilli homines cadant animo, & Dei promiſsionibus interdum diffidant: quapropter hoc ſalutare præceptum debet in omni animo firmiter inhærere. Qui enim nequit tolerare moram Dei, is neque fortitudinem habet, neque conſtantiam: quocirca non ſolùm id quod voluit nõ conſequitur, ſed etiam grauiſsimas diffidentiæ pœnas luit. At qui æquo animo & læto fert moram, & ab incepta ſpe non deſiſtit, is obtinet promiſsũ, & adipiſcitur æternam beatitudinem, quod Deo adhæſerit, & animo fidente, firmo, & erecto, perſeuerauerit. Hanc ſententiam inuenies apud D. Paulum,
Heb. 10. in Epiſtola quam ad Hebræos ſcripſit, vbi ait, Nolite itaque amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem: patientia enim vobis neceſſaria eſt, vt voluntatem Dei facientes, reportetis promiſsionem. Adhuc enim modicum, aliquantulumq; qui venturus eſt veniet, & non tardabit: iuſtus autem meus, ex fide viuit: quod ſi ſubtraxerit ſe, non placebit animæ meæ.

ARGVMENTVM DECIMI CAPITIS.

PRO Iudæorum cõuerſione, ad Dominum ſe dicit preces effundere: teſtimonium illis perhibẽs, (quod in ſe experientia didicerat,) illos zelo quodam Dei, ſed non ſecundum veritatem, & rectitudinem ſciẽtię fidei zelare, propter ſuam carnalem legem mordicus tuendam: Chriſti filij Dei Euangelicam legẽ, & æternam reſpuentes, cum ſit tamen ipſe finis totius legis. Deinde oſtendit, omnes ſiue Gẽtiles, ſiue Iudæi, ſine diſcrimine ad ſalutem vocari, vt nemo quaſi non vocatus excuſari queat. Obiter verò nonnihil de iuſtitia legis, ac fidei diſſerit: oſtendens, iuſtitiam quæ facit dignum vita æterna, eſſe ſolùm ex lege & fide Chriſti.

CAPVT DECIMVM.

FRatres, voluntas quidem cordis mei, & obſecratio ad Deum, &c.

EXPLANATIO.

1. *FRATRES, voluntas quidem cordis mei, & obſecratio ad Deum, ſit pro illis in ſalutem.)* Vtitur in exordio vrbanitate apoſtolica, & lenitate vt ſolet, qua aſperitatem verborum ſiue præteritam ſiue futuram temperet ac mitiget. Cum ergo in concluſione capitis ſuperioris, Iudæos, per illam comparationẽ ad gentes, rubore ſuffuderit, quod vera iuſtitia illis gentes anteiſſent, quã ipſi per legem, & non per fidem ſectabantur, lenit nunc aſperitatem verbi vt oſtendat ſe non inuidia, aut odio, ſed commiſeratione præcedentia de Iudæis dixiſſe. Propterea, inquit, (*fratres*) nomen eſt *amoris* quo vtitur æqualiter ad omnes Chriſtianos ſiue ex Iudæis, ſiue ex Gentibus conuerſos, iuxta Chriſti admonitionem qui ait, Omnes vos fra- *Mat. 23*
tres eſtis, nam omnes Chriſtiani, filij ſunt vnius patris, nempe Dei, quoniam non

non ex ſanguinibus, nec ex voluntate
Ioa.1. carnis, nec ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. (*Voluntas quidem cordis mei, &c.*) quaſi dicat, nemo de me ſiniſtrè ſuſpicetur, odio me habere gentē meā, eo quod dixerim eos in legem iuſtitiæ non perueniſſe, proptereaquod in lapidem offenſionis, ideſt, in Chriſtum offenderunt: nam hæc cum ingenti animi dolore ita loqui cogor, propteteà quod illis ex animo benèvolo, ſi queā pereuntibus ſuccurrere: (*Pro illis eſt voluntas cordis mei,*) ideſt, ex intimo cordis affectu procedens, nam ego vellem
1.C.7. omnes homines eſſe ſicut meipſum. Nec ſola voluntas, & ſummum deſiderium eſt pro eorum ſalute, ſed etiam voluntatis effectus. Nam (*& obſecratio mea ad Deū, fit pro illis in ſalutem*) ideſt, hoc vnum quod poſſum, in quotidianis precibus meis, quibus Deum ſolicitare ſoleo, precor vt reſipiſcant aliquando, neque ſemper in hac cæcitate perdurēt. Hinc accipitur (*orandum eſſe pro infidelibus,*) vt veniant in agnitionem fidei, quæ donum Dei eſt. Vnde beatus Ia-
Iac.5. cobus, Orate, inquit, pro inuicem, vt ſaluemini. Et hoc pertinet ad omnes, maxime verò ad Prælatos. Vnde Samuel Propheta loquens cū Iudæis, quorum fuit iudex, inquit, abſit à me hoc
1.R.12. peccatum, vt ceſſem orare pro vobis.

2. *Teſtimonium enim perhibeo illis, quod æmulationem Dei habent, ſed non ſecundū ſcientiam.*) Licet Iudæorum incredulitas non poſsit excuſari, aliquid tamen vtcunque prætexi poteſt illorum peccato. Non fuerūt omnino alieni à Deo, veluti gentes: circūtulerunt vmbram aliquandiù, ſed non aſſecuti ſunt veritatem. Et quanuis ad ſummam impietatem prolapſi, dominum omnis gloriæ fontem crucifixerunt, tamen hoc fecerunt ducti aliquo ſtudio, zeloq; Dei, ſed abſque iudicio. Non omnino errauerunt in affectu pietatis, ſed vehemēter errant in delectu. Fuit Iudæorum zelus cæcus. Cū enim legis, quam ipſi profitebantur, autor eſſet Deus, exiſtimabant legis operibus ſe iuſtificari: & hoc eodem zelo, Chriſtum oſtendētem ſe Deum, perdere procurarunt. At verò, ſi ipſi oculos haberent mundos, à lege ipſa, ſalutem per Chriſti doctrinā pollicente, erudiri poterant veritatem fidei. Ea igitur parte qua Iudæi æmulatores Dei ſteterunt, à nemine poſſunt omnino damnari. Qua verò eorum zelus fuit inſipiens & ſtultus, vtpotè qui non fuit ſecundum ſcientiam fidei, imò fidei contrarius, excuſari vtcunq; poſſunt propter ignorantiam, quæ nonnihil habet excuſationis, & alleuiat culpam, dum aduerſus Chriſti nomen feruidè agunt, putantes per illud veri Dei (quem colunt) gloriam minui: & ob hoc, ipſum impugnantes, Deo ſe putāt præſtare obſequium. Huius rei, tanquā *Phil.3.* expertus beatus Paulus, potuit illis certiſsimum teſtimonium perhibere: quī vt ad Philip. ſcribit, ſecundum æmulationem fatetur ſe fuiſſe perſecutū Eccleſiam Dei: at quia talis æmulatio nō erat ſecundum ſcientiam, non protſus excuſatur à culpa, nam blaſphemum, perſecutorem, contumelioſum, &c. ſe fuiſſe confitetur, miſericordiam tamen conſecutum dicit, quia ignorans fecit. Sed Iudæi tamen iam nunc omnino ſunt inexcuſabiles, ſuo errori, poſt tot miracula, & teſtimonia quæ fidei veritatem manifeſtant, pertinaciter inhærentes.

¶ Notatur in hoc loco à quibuſdam, quod cum *voluntas bona*, non ſit niſi de obiecto, quod non ſolùm apparenter, ſed verè ſit honeſtum: *intellectus autē officium* ſit, cæcam voluntatem edocere, fit, vt voluntas quæ non ſequitur ſciētiam, bona eſſe non queat. Vnde Ariſt. inter *conditiones iuſti*, hanc præſertim aſsignat, vt ſciens operetur.

Æmulatio, propriè loquendo, idem eſt quod feruidus amor, ſiue in bonam, ſiue in malam partem accipiatur. *Zelare ergo pro Deo*, eſt animo ferventi, aliquid in eius honorem perſequi. Et ita *Ezh.2.* ſumitur in hoc loco.

3. *Ignorantes enim iuſtitiam Dei, & ſuam quærentes ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti.*) Oſtendit cuius rei ſcientiam non habebant Iudæi, & inquit, quod

quod *iuſtitiam Dei ignorauerunt*, quæ
eſt illa qua Deus nos iuſtificat, ideſt,
reconciliat remittendo culpam, nempè
fides viua, quæ nobis formaliter inhæ-
ret: & cum hæc ſit proprius effectus
& donum Dei, dicitur iuſtitia Dei: *gra-
tis enim iuſtificamur per fidem Chriſti.*
Dicitur etiā *Chriſtus, iuſtitia Dei*, quia
ad integrum Deo Patri pro nobis ſa-
tisfecit. *Iuſtitia verò noſtra*, eſt iuſtitia
operum, videlicet, opus moraliter bonū,
per vires naturales exhibitum, quod
perſonam iuſtificare non ſufficit apud
Deum, benè autem apud homines, ci-
uili quadam honeſtate: iuxta illud, Si
Abraham ex operibus iuſtificatus eſt,
habet gloriam, ſed non apud Deum.
ignorabant Iudæi *iuſtitiam Dei*, ideſt,
fidem Chriſti, ſiue ipſum Chriſtum, ſine
quo, & ſine qua, impoſsibile eſt place-
re Deo. Atque hinc proficiſcitur prima
eorum culpa, nimirùm quod propriam
iuſtitiam in obſeruatione legis, ſecun-
dum ſubſtantiam operum, poſitam, ſta-
tuebant, veluti quæ ad ſalutem ſatis e-
rat. Nam ſabbatum, circuncisio, diſcri-
men ciborum, fuga cadauerum, ieiunia,
feſti dies, & alia id genus pertinaciter
ab illis retinebantur, tanquam ad ſalu-
tem neceſſaria: & horum tumore non
parum inflati, alteram iniquitatem ad-
diderunt, nolentes *iuſtitiæ Dei*, ideſt,
Chriſto, & eius fidei, *eſſe ſubiecti*. Ama-
uerunt vmbras, ac ſimulachra veritatis,
ipſum verò veritatis fontem ſpreuerūt,
ideſt, Chriſtum, quibus proinde fuit
ipſe lapis offenſionis, & petra ſcandali,
vt dictum eſt.

4. *Finis enim legis Chriſtus eſt, ad iu-
ſtitiam omni credenti.*) Manifeſtè patet
Iudæos iuſtitiam Dei neſcire, cum igno
rarent Chriſtum veræ iuſtitiæ autorem.
Sine ipſo enim, opus iuſtum apud Deū,
nec cognoſcere, nec facere poſſumus,
idcirco erat ipſe *finis legis*, hoc eſt, ma-
nuducebat Iudæos lex ad Chriſtum, vt
illius fauore & fide, iuſtificarentur apud
Deum. Propterea non inquit *ad iuſti-
tiam* omni operanti, veluti Iudæi, qui
facientes opera legis quoad ſubſtantiā
tantùm operum ſine Chriſto iuſtos ſe
eſſe iactabant, ſed inquit, *omni creden-
ti*, ſcil. in Chriſtum iuſtitiæ Dei autho-
rem, non tantùm aſſequendo illam per
gratiam ipſius, quæ eſt expiatio pecca-
torum, ſed etiam colendo: nam quod
lex requirit, fides præſtat, ideſt, lex ad
intentionem præcipientis, non niſi per *Mat. 5.*
gratiā Chriſti impletur: & hoc eſt quod *Ro. 8.*
ipſe ait, Non veni ſoluere legem, ſed *Gal. 5.*
adimplere.

5. *Moyſes enim ſcripſit, quoniam iuſti-
tiam quæ ex lege eſt, qui fecerit homo, vi-
uet in ea.*) Cum diſtinxiſſet iuſtitiam
humanam à iuſtitia Dei, adducit huius
rei cauſa Moyſem in teſtē, qui vtriuſq;
iuſtitiæ imaginem aptè depinxit. Nam
temporariam illam iuſtitiā, quæ in ce-
remonijs ad certum modo tempus ſer-
uandis ſita erat, *deſcribit* in Leuitico di *Leui. 18.*
cens: quoniam *homo qui fecerit iuſti-
tiam quæ ex lege eſt, viuet in ea*, ideſt,
per eam: quaſi dicat, qui iuſtitias legis
omnes, & præcepta omnia diligenter
impleuerit, mortem quidem ac cæteras
corporis pœnas tranſgreſſoribus depu-
tatas effugiet, nullum veræ iuſtificatio-
nis fructum ex legis obſeruatione aſsi-
gnans. Litera autem noſtra ſic habet,
*Cuſtodite leges meas atque iudicia, quæ fa-
ciens homo, viuet in eis.* Et Ezechiel Pro *Ez. 20.*
pheta inquit, Iudicia mea proiecerunt,
quæ faciēs homo viuet in eis, quia ſcil.
hoc cōmoditatis conſequebatur homo
per legis obſeruantiam, ne occideretur,
aut aliter puniretur tāquam legis trāſ-
greſſor: nam iuxta Apoſtolum, irritam *Heb. 10.*
quis faciens legem Moyſi, abſque vlla *Leu. 20.*
miſericordia moritur. *Audi legem*, qui
maledixerit patri vel matri, morte mo-
riatur. Et ſic de alijs.

¶ Poteſt etiam inteligi quod per legis
obſeruationem, homo ordinabatur in
præſenti vita, eo quòd temporaria bo-
na pollicebatur, quibus alitur humana
vita. Sed aduerſum hæc videtur facere
teſtimonium Chriſti apud Math. Nam
quærenti, quid boni faciam vt habeam *Mat. 19*
vitam æternam? Reſpondit, Si vis ad vi-
tam ingredi, ſerua mādata. Sed & quę- *Ro. 5.*
dam gloſſ. ſuper illud, Lex autem ſub- *Gloſſ.*
intrauit &c. etiam inquit, Iuſtitia legis
ſuo tempori cuſtodita, non ſolùm bona
tēporalia, ſed & vitam cōferebat ęternā.

horum reſponſio eſt, quod hæc intelligenda ſunt, ſecundum ſpiritualem ſenſum legis, qui pertiuet ad fidem Chriſti: ſed quod hic dicitur, refertur ad exteriorem legis ſenſum, ſecundũ quẽ lex de vita æterna mentionem non faciebat.

6. *Quæ autem ex fide eſt iuſtitia, ſic dicit, ne dixeris in corde tuo, quis aſcendet in cœlum? ideſt, Chriſtum deducere. Aut quis deſcendet in abyſſum? hoc eſt Chriſtum à mortuis reuocare.)* Antea oſtendit iuſtitiam legis ceremonijs & præceptis infinitis conſtare, quæ qui fecerit viuet, ad quæ labor magnus exigitur. Nunc autem illi, iuſtitiam fidei comparans, oſtendit non multo opus eſſe labore ad illam apprehendendam, quippe quæ proximè nos eſt. Ad hoc autem aſſumit verba Moyſi ex Deute-
Deu. 30. ronomio, quibus hortabatur Moyſes
Iudæos ad legem ſeruandam: & illa de lege dicta ad fidem transfert Paulus: *cuius proinde* myſticus ſenſus, Pauli authoritate canonicus eſt, & *fides Catholica*, ſicuti & ille allegoricus quem exponit ad Galatas, de duobus filijs Abrahæ. Verba autem Moyſi, ſic habẽt: *mandatum hoc* quod ego tibi præcipio hodie, non ſupra te eſt, nec procul poſitum, nec in cœlo ſitum, vt poſsis dicere: quis noſtrum valebit in cœlum aſcendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus atque opere compleamus? neque trans mare poſitum, vt cauſeris, & dicas, quis è nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos deferre, vt poſſimus audire & facere quod præceptũ eſt? ſed iuxta te eſt verbum valde in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illud. Quæ verba ad iuſtitiam fidei trãsfert Paulus, quaſi ipſe *Chriſtus iuſtitia Dei*, qui nos fide iuſtificat, dicat vnicuique noſtrum: *(Ne dixeris in corde tuo, quis aſcendet in cœlum?)* ideſt, noli putare impoſsibilem eſſe factu, fidei iuſtitiam, aut tam difficilem, vt ad eam apprehẽdendam tibi ſit opus in cœlum aſcendere. *(hoc eſt Chriſtum deducere,)* ideſt, à cœlo auocare ad eam afferendam, quaſi non eam attulerit iuſtificans nos ſanguine ſuo: qui ſic vel hæſitaret, vel deſperaret, negaret vtique *articulum incarnationis*. Similiter exponendum quod ſequitur. Et ne dixeris, *(Quis deſcendet in abyſſum,)* vel transfretabit mare, nam abyſſus immenſa congregatio aquarum eſt, vt ſcil. iuſtitiam adferat ad nos, ideſt, omnino noli exiſtimare impoſsibile eſſe fidei iuſtitiã ad nos afferri: quia *(hoc eſſet Chriſtum à mortuis reuocare,)* hoc eſt, è numero mortuorum eximere, & negare eum aliquando pro iuſtificandis nobis fuiſſe mortuum: quod pertinet ad maximã Chriſti humiliationem, ſicut *aſcenſio* ad maximam exaltationem. In ſumma docet nos Paulus quod per illa verba Deut. docentur articuli *Incarnationis, Mortis, & Reſurrectionis Chriſti*, quibus parta eſt nobis ſalus, atque adeò *ora eorum occluſiſſe*, qui de huiuſmodi articulis veluti impoſsibilibus *dubitarent: aut experimentum flagitarent*. At *qui ſyncerè credit*, huic certius perſuaſum eſt, quàm vt vllum præterea deſideret documentum, *Chriſtum* & olim deſcendiſſe de cœlo, & nunc ſedere in cœlis ad dexteram Patris, etiam ſi rurſus vtrunque non exhibeat oculis. Item *Chriſtum* deſcendiſſe ad inferos, & ab inferis reuerſum reuixiſſe, licet nihil horum iteret ſenſibus humanis. Hæc ſemel eſſe facta ſat eſt, ſupereſt vt ijs qui viderunt credamus. *Viderunt hæc Iudæi* & non crediderunt. *Audierunt qui non viderunt*, & crediderunt. Non ergo vſqueadeò difficilis eſt, ac tam lõgè petenda iuſtificatio. Nec id tacet ſcriptura, quæ mox ſubijcit.

7. *Prope eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo, hoc eſt, verbum fidei, quod prædicamus.)* Ideſt, ſicut Moyſes Iudæis dicit proximam eſſe illis legem, vt cõplere illam poſsint, ita, inquit, *prope eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo, verbũ* ſcil. *fidei*, ſiue ſermo Euãgelij, *quod* nos huius iuſtitiæ præcones *prædicamus*, præſentem adfert ſalutem. Illud igitur verbum, quod illic aſſeritur eſſe in corde, & in ore, eſt verbum fidei quod prædicamus, putà Euangelica fides, quam quidem non eſt opus, cœlum quæſitum

euolare aut transferre mare, cum ſcripta ſit in cordibus noſtris: iuxta illud Hiere. Dabo legem meā in viſceribus eorum & in cordibus eorum ſcribam eam. Hinc patet manifeſtè cur iudæi, quam ſectabantur iuſtitiam non ſunt adepti, Gentes verò de repentè eam ſuſceperunt, nimirùm, quoniam hæc iuſtitia non per longam ſcripturam, aut exhauſtos labores & ſudores comparatur, ſed tantùm promptitudine animi & aſſenſione cordis quam Iudæi non habuerunt, ſuſcipitur, ſcribente eam in nobis digito Dei. Acōmodet ergo vnuſquiſque animū ſuum tantùm per fidē, vt tantam ſuſcipiat ſalutem. Quomodo autem ſit in ore, & quomodo in corde ſit verbum fidei, ſubiungit dicens. *Hier. 31*

8. *QVIA ſi confitearis in ore tuo Dominum Ieſum, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum ſuſcitauit à mortuis, ſaluus eris.*) Hoc eſt, ſi ore tuo *confitearis* & agnoſcas *Dominum Ieſum*, ſubijciendo ei teipſum, atque idem ex animo verèq; *credideris, quod Deus eum ſuſcitauit à mortuis*, vt nos cum illo à vitijs rediuiui poſthàc innocenter viuamus, (*ſaluus eris*,) ſcil. ſalute æterna. Non dicit ſi credideris quod mortus eſt, quia vana eſſet cōfeſsio mortis Chriſti, niſi crederemus reſurrexiſſe: nam & pagani credunt mortuum fuiſſe illum hominem, ſed quia Deum in illo non agnoſcunt, reſurrexiſſe negant: nos aūt reſurrectionem credentes, tum ipſum confitemur Deū, tum & cum ipſo ſperamus reſurgere, qui ſupremus eſt fructus iuſtitiæ fidei, & perfecta conſummataq; ſalus noſtra. Hinc innoteſcit diſcrimen inter iuſtitiam legis, & iuſtitiam fidei, ex parte finis. Eſt enim illius finis, vita temporalis: huius autē vita æterna. Non excluditur tamen, per hæc Apoſtoli verba, ſacramentum baptiſmi: neceſſarium enim eſt tanquā proteſtatio fidei qua iuſtificamur. Vnde Dominus, Qui crediderit, inquit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit. In adultis verò requiritur confeſsio fidei per charitatē, per quam fides operatur, ad hoc vt iuſti ſint apud Deum. *Ioa. 3.*

9. (*Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutem.*) Primum quo iuſtificamur ex impijs, interna fides eſt: hac expiantur peccata, propitiatur Deus, comparatur gratia, & amicitia Dei, vt contingit paruulis per ſacramentum fidei, adultis verò per viuā fidem: quæ cum ſpontanea voluntate ſuſcipiatur, adiecit, *corde*, ideſt, voluntate: nam cætera quæ ad exteriorem Dei cultum pertinent, poteſt homo nolens, ſed credere non poteſt niſi volēs. *Intellectus enim credentis* non determinatur ad aſſentiendum veritati ex neceſsitate rationis, ſicut intellectus ſciētis, (cuius ſcientia vi rationis demonſtrantis ingignitur) ſed virtute voluntatis captiuantis intellectum in obſequium Chriſti, qui fidem infundit, & ideò ſcire non pertinet ad iuſtitiam hominis quæ eſt in voluntate: ſed credere: vnde in Geneſi dicitur, Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Cæterùm quoniam gloriam debemus Chriſto, *non ſatis eſt animo tenere fidem*, niſi quoties res poſtulat, *& ore confitearis eum* ad perfectam *ſalutem* conſequendam. Nam quanuis iuſtitia per fidē cordis adepta, ſalus quoq; dicatur & ſit, non tamen eſt perfecta, ſed initiata ſalus vſque ad perceptum fructum æternæ vitæ, iuxta illud, Salus mea in æternum erit: quæ quidem ſalus, vt hìc dicit Paulus, obtineri non poteſt niſi per confeſsionem oris: ſub qua etiam comprehenditur confeſsio operis, dicente Domino, Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. *Aug. ſuper. Ioa. trac. 43.*

¶ Eſt autem *triplex confeſsio* neceſſaria ad ſalutem: videlicet, *peccatorum confeſsio* quæ eſt pœnitentis, ſine qua illi non datur venia, iuxta illud, Dixi confitebor aduerſum me in iuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatē peccati mei. Deinde, eſt confeſsio beneficiorum Dei, quæ eſt gratias agentis. Ad hanc etiam nos ſolicitat regius Vates dicens, Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum miſericordia eius. Tertia eſt confeſsio diuinæ veritatis, de qua in hoc loco ſermonem facit Paulus. Hæc omninò eſt *Pſal.* *Pſal.*

neceſſaria, ſub pœna ammittendæ ſalutis, vel quando exigitur à perſecutore fidei, quæ quidem à ſanctis martyribus maximè fuit proprio ſanguine celebrata: vel quando neceſſaria eſt ſubditis, imminente periculo hæreſeos, quod munus propriè competit prælatis & doctoribus: qua ratione baptizati deliniũtur chriſmate in fronte ſignò crucis, ne erubeſcant fidem quæ corde premitur, ore promere, ac paſsim annuntiare, ideſt, ipſum crucifixum publicè confiteri, quoties ipſum confitẽdi ſeſe offert occaſio. Vnde Paulus, Nõ
Ro.1. erubeſco, inquit, Euãngeliũ. Et ipſe Dominus, Qui me erubuerit coram hominibus, erubeſcã & ego eum coram Patre meo qui in cœlis eſt. Et rurſum,
Luc.9. Qui me confeſſus fuerit coram homi-
Mat.10 nibus, confitebor & ego eum coram Patre meo. Hæc igitur *confeſsio diuinæ veritatis*, eſt confeſsio credentis, & eſt neceſſaria ad ſalutem pro loco & tempore, ſicut & omnis virtutis actus: nã præcepta affirmatiua quæ de his dantur, obligant ſemper, ſed non ad ſemper. Sed id eſt maxime notandũ, quod ſicut *confeſſio oris* niſi ex corde proficiſcatur, vana eſt, iuxta illud, Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe eſt à me: ita & *fides cordis* ſterilis eſt & infructuoſa, niſi quoties res poſtulat, florem frugemq; proferat cõfeſsionis, non ſolùm oris, verumetiam operis, ideò vtrũq; conglutinauit, tanquam in vtroque neceſſariũ. Ex dictis itaq; manifeſtè conſtat, ſummam huius negotij, ſcil. veræ diuinæq; iuſtitiæ, nõ à ceremonijs pendere, ſed à fide: quod & Iſai. teſtatur loquens de Chriſto, dũ ait,

Iſa.28. 10. *Omnis qui credit in illum non confundetur.*) Cũ ait, (*omnis*,) tollit omne diſcrimen Iudæi & Græci: cum verò ait, (*credit*,) non autem ait, circuncíſus fuerit, aut ſimile quidpiã, omnes legis antiquat ceremonias, ſola fides viua requiritur, ea ex æquo cõmunis omnium eſſe poteſt: vnde & catholica meritò nominatur. Quicunq; igitur, vt ait Propheta, *in illũ crediderit*, fide ſcil. viuida, non pudefiet. Nam licet iuſtorũ decor modo ſit abſconditus & non appareat, & ſint ſicut palmites in vite nuda tempore hiemis nihil prorſus æſtimati, atq; apud mundi cultores & iniquos veluti confuſione & rubore ſuffuſi: vbi tamẽ in tremendo iudicio apparuerit Chrũs eorum vita, ſimiles ei erunt, & hic erit eorũ fructus glorioſus: tunc enim abiecta omni confuſione, inter filios Dei cõputabuntur: quod etiam ipſi iniqui admirati, & præ confuſione gementes, quãuis inuiti confitebuntur, vt eſt apud Sapientem. Qui verò nunc turpiter viuentes, impurè fidem colunt, tunc ſūma opplebuntur confuſione, cùm referentes Chriſto, quemadmodum in nomine eius prophetauerint, dæmonia eiecerint, ac talia fecerint ſigna, audituri ſunt ab ore diuino (proh dolor) neſcio vos. *Sap.5.*

11. *NON eſt diſtinctio Iudæi, & Græci.*) In negotio fidei & iuſtitiæ eius, nõ nouit Deus vllam inter Gentilẽ & Iudæum differentiam. In quo admonentur Chriſtiani, vt nemo quãuis recens Chriſtianus ab ipſis paruipendatur: nã apud Deum ille eſt gratioſior, qui magis Chriſtianè viuat, ſiue ex genere Iudaico, ſiue gentilico ille fuerit.

12. *NAM idem Dñs omnium, diues in omnes qui inuocant illum.*) Ex drobus diuinis perfectionibus oſtẽdit quod nulla ſit apud Deum perſonarũ diſtinctio: hæ nimirum ſunt, *quod Dñs omnium eſt, & diues in omnes eſt.* Quodcunq; horum illi deeſſet, non poſſet nõ diſcernere inter gentem & gentẽ, hominnes & homines, vt faciunt Reges terræ. Nam & ſi tanquã vniuerſorũ Dño incũberet illi omnibus prouidere, oppũlentia tamen eius eſſet quodammodo limitata, non poſſet omnibus elargiri iuxta eorum optata. Rurſus ſi imnẽſa eſſet eius affluẽtia bonorũ, niſi Dñs eſſet omniũ, non pertineret ad eũ omnibus conſulere. Deus tamen noſter is eſt, qui non tantùm Dñs ſit Iudæorũ, ſed ex æquo omniũ: cuius beneficentia non eſt tam anguſtis circũſcribẽda terminis, vt ad ſolos Hebræos porrecta, mox exhauriatur, imò imenſa eſt illius boni-

bonitas, exuberans atq; exundans non in vnam aut alterã gẽtem, ſed in omnes cuiuſcunque nationis populos. Nõ eſt ergo apud ipſum vlla perſonarũ exceptio, & quia immẽſus eſt, & immenſè diues: idcirco impẽſiſsimè à nobis poſtulat, vt ampliſsimè ab illo beneficia eflagitemus, quæ nobis cupit affatim elargiri, modo ſyncera fiducia numinis, opẽ ipſius imploremus. Affirmat hoc Propheta inquiens,

13. *Omnis enim quicunque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit.*) Ex Iohele *Iohe. 2.* Propheta deſumptum eſt hoc teſtimonium. Circa quod eſt notandum, quod nomen Dñi in hoc loco bifariam ſumi poteſt, aut quatenus Deo trino cõuenit, aut Chriſto redemptori noſtro. Nã quod Paulus dixerat, Dñs vniuerſorum, Deo conuenit, tam ratione creationis, quàm redemptionis: ſufficienter enim redemit omnes quos creauit, licet ſua ipſorum culpa nõ fuerit omnibus aplicata redemptio: dominatus attamen ratione creationis propriè cõuenit Deo quatenus vnus eſt in trinitate: ratione verò redemptionis, peculiariter conuenit Chriſto, qui iure redemptionis cõſtitutus eſt hæres vniuerſorũ, rex regũ, & Dñs gloriæ. Atqueadeò non incongruè hæc Iohelis Prophetia explanari poteſt de Chriſto, vt *talis inuocatio* inteligatur nominis ipſius Chriſti, prout *1. C. 1.* alibi præſignauit Paulus inquiens, cum omnibus iis qui inuocant nomen Dñi Ieſu, quod eſt Chriſtianorum epithetõ. Nam quemadmodum olim inter gẽtes, ſingulæ religiones & ſectæ, ſuos inuocabant proprios deos, quos proprijs ſacrificijs colebant: ſic nũc in opprobriũ gentiũ idololatrarũ, & in honorẽ Chriſtianiſmi, vſurpatũ eſt ab Eccleſia, pro eo quod eſt, Chriſtiani, dicere, ij qui inuocãt nomẽ Dñi Ieſu Chriſti. Sed talis inuocatio inteligẽda eſt ea tantùm, quæ ex fide integra, & corde puro proficiſcitur, qualis fuit olim antiquorũ patrum, nempè illius ſancti Enoch, qui cœpit *Pſal.* verè inuocare nomen Dñi. Moſes etiã & Aaron, & Samuel, qui inter eos recẽſentur a Propheta, qui inuocabant nomen Dñi: hi nimirum ſic inuocantes, Chriſtum Dñm à longè proſpiciebant. *Inuocare igitur nomen Dñi*, eſt confiteri Deum vnicum ſalutis authorem, eundemq; propterea adorare, & ab ipſo fauorem petere, ſine quo nihil apud ipſum per nos poſſumus. Adducẽs itaq; Paulus Iohelis authoritatem, inquit, *Omnis quicunque inuocauerit nomen Dñi, ſaluus erit.* Vbi nullum hominum genus excipit ſermo propheticus, Propterea, quiſquis fidẽti animo *inuocauerit*, ſalutem conſequetur, ſiue Iudæus, ſiue Græcus, ſiue Barbarus ille ſit. Atque ediuerſo, quicunque non inuocauerit, peribit. Nullus autẽ inuocat eum, aut opẽ implorat ab eo, cui non fidit. Vnde dicit,

14. *Quomodo ergo inuocabunt eum, in quem non crediderunt.*) Aſsignat ordinem quo quis vocatur in ſalutem quæ eſt ex fide. Ordo eſt huiuſmodi, nẽpè, vt quis inuocare poſsit, neceſſe eſt vt prius credat in eũ quem inuocat: credere autem non poteſt in eum, quem nunquam audiuit: neque rurſum audire potuit, ſine aliquo prædicante: prædicator tamen vt verus & apoſtolicus ſit, neceſſe eſt vt à Deo mittatur. Hæc igitur quinque ordinatè ſe habẽt ad ſalutem Chriſtianam obtinendã, vt ea quæ ſunt poſteriora in hoc ordine, ſine prioribus eſſe nõ poſsint: nimirùm *inuocatio oris*, ſine fide cordis: *fides cordis*, ſine auditu exteriori: *auditus verò*, ſine prædicatore: *prædicator* tandem, ſine *miſſione*. Hoc ordine vnuſquiſque, legitimè vocatur diuinitùs ad fidẽ: in quo Apoſtolus anſam amputat Iudæis, ſuæ legis amatoribus, vſurpandi ſibi hãc gloriam inuocandi Dñm, quaſi ipſi ſoli eſſent in orbe, qui nomen Dñi inuocarent, & non potiùs multi alij inter Gẽtes: quoniam talis inuocatio non à nobis, ſed à Deo tãquam à primo authore proficiſcitur: vnde Paulus ſermonem faciens de inuocatione hominum, peruenit vſque ad *miſſionem Dei*, vt in eius diuinam beneuolentiam, cauſas omnes *Oſea. 3.* ſalutis noſtræ reſolueret: ſicut & in malitiam noſtram reſoluuntur cauſæ noſtræ perditionis. Iuxta illud, Perditio tua ex te Iſrael, tantũmodo in me au-

neceſſaria, ſub pœna ammittendæ ſalutis, vel quando exigitur à perſecutore fidei, quæ quidem à ſanctis martyribus maximè fuit proprio ſanguine celebrata: vel quando neceſſaria eſt ſubditis, imminente periculo hæreſeos, quod munus propriè competit prælatis & doctoribus: qua ratione baptizati deliniũtur chriſmate in fronte ſignò crucis, ne erubeſcant fidem quæ corde premitur, ore promere, ac paſsim annunciare, ideſt, ipſum crucifixum publicè confiteri, quoties ipſum confitẽdi ſeſe offert occaſio. Vnde Paulus, Nõ
Ro. 1. erubeſco, inquit, Euãgeliũ. Et ipſe Dominus, Qui me erubuerit coram hominibus, erubeſcã & ego eum coram Patre meo qui in cœlis eſt. Et rurſum,
Luc. 9. Qui me confeſſus fuerit coram homi-
Mat. 10 nibus, confitebor & ego eum coram Patre meo. Hæc igitur *confeſſio diuinæ veritatis*, eſt confeſsio credentis, & eſt neceſſaria ad ſalutem pro loco & tempore, ſicut & omnis virtutis actus: nã præcepta affirmatiua quæ de his dantur, obligant ſemper, ſed non ad ſemper. Sed id eſt maxime notandũ, quod ſicut *confeſſio oris* niſi ex corde proficiſcatur, vana eſt, iuxta illud, Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe eſt à me: ita & *fides cordis* ſterilis eſt & infructuoſa, niſi quoties res poſtulat, florem frugemq; proferat cõfeſsionis, non ſolùm oris, verumetiam operis, ideò vtrũq; conglutinauit, tanquam in vtroque neceſſariũ. Ex dictis itaq; manifeſtè conſtat, ſummam huius negotij, ſcil. veræ diuinæq; iuſtitiæ, nõ à ceremonijs pendere, ſed à fide: quod & Iſai. teſtatur loquens de Chriſto, dũ ait,

Iſa. 28. 10. *Omnis qui credit in illum non confundetur.*) Cũ ait, (*omnis*,) tollit omne diſcrimen Iudæi & Græci: cum verò ait, (*credit*,) non autem ait, circuncïſus fuerit, aut ſimile quidpiã, omnes legis antiquat ceremonias, ſola fides viua requiritur, ea ex æquo cõmunis omnium eſſe poteſt: vnde & catholica meritò nominatur. Quicunq; igitur, vt ait Propheta, *in illũ crediderit*, fide ſcil. viuida, non pudeſiet. Nam licet iuſtorũ decor modò ſit abſconditus & non appareat, & ſint ſicut palmites in vite nuda tempore hiemis nihil prorſus æſtimati, atq; apud mundi cultores & iniquos veluti confuſione & rubore ſuffuſi: vbi tamẽ in tremendo iudicio apparuerit Chrũs eorum vita, ſimiles ei erunt, & hic erit eorũ fructus glorioſus: tunc enim abiecta omni confuſione, inter filios Dei cõputabuntur: quod etiam ipſi iniqui admirati, & præ confuſione gementes, quãuis inuiti confitebuntur, vt eſt apud Sapientem. Qui verò nunc turpiter viuentes, impurè fidem colunt, tunc ſũma opplebuntur confuſione, eum referentes Chriſto, quemadmodum in nomine eius prophetauerint, dæmonia eie cerint, ac talia fecerint ſigna, audituri ſunt ab ore diuino (proh dolor) neſcio vos. Sap. 5.

11. *NON eſt diſtinctio Iudæi, & Græci.*) In negotio fidei & iuſtitiæ eius, nõ nouit Deus vllam inter Gentilẽ & Iudæum differentiam. In quo admonentur Chriſtiani, vt nemo quãuis recens Chriſtianus ab ipſis paruipendatur: nã apud Deum ille eſt gratioſior, qui magis Chriſtianè viuat, ſiue ex genere Iudaico, ſiue gentilico ille fuerit.

12. *NAM idem Dñs omnium, diues in omnes qui inuocant illum.*) Ex duobus diuinis perfectionibus oſtẽdit quod nulla ſit apud Deum perſonarũ diſtinctio: hæ nimirum ſunt, *& quod Dñs omnium eſt, & diues in omnes eſt*. Quodcunq; horum illi deeſſet, non poſſet nõ diſcernere inter gentem & gentẽ, homines & homines, vt faciunt Reges terræ. Nam & ſi tanquã vniuerſorũ Dño incũberet illi omnibus prouidere, opulentia tamen eius eſſet quodammodo limitata, non poſſet omnibus elargiri iuxta eorum optata. Rurſus ſi inim ẽſa eſſet eius affluẽtia bonorũ, niſi Dñs eſſet omniũ, non pertineret ad cũ omnibus conſulere. Deus tamen noſter is eſt, qui non tantùm Dñs ſit Iudæorũ, ſed ex æquo omniũ: cuius beneficentia non eſt tam anguſtis circũſcribẽda terminis, vt ad ſolos Hebræos porrecta, mox exhauriatur, imò imenſa eſt illius boni-

bonitas, exuberans atq; exundans non in vnam aut alterā gētem, ſed in omnes cuiuſcunque nationis populos. Nō eſt ergo apud ipſum vlla perſonarū exceptio, & quia immēſus eſt, & immenſè diues: idcirco impēſiſsimè à nobis poſtulat, vt ampliſsimè ab illo beneficia eflagitemus, quæ nobis cupit affatim elargiri, modo ſyncera fiducia nominis, opē ipſius imploremus. Affirmat hoc Propheta inquiens,

13. *Omnis enim quicunque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit.*) Ex Iohelè

Iohe.2. Propheta deſumptum eſt hoc teſtimonium. Circa quòd eſt notandum, quod nomen Dñi in hoc loco bifariam ſumi poteſt, aut quatenus Deo trino cōuenit, aut Chriſto redemptori noſtro. Nā quod Paulus dixerat, Dñs vniuerſorum, Deo conuenit, tam ratione creationis, quàm redemptionis: ſufficienter enim redemit omnes quos creauit, licet ſua ipſorum culpa nō fuerit omnibus aplicata redemptio: dominatus attamen ratione creationis propriè cōuenit Deo quatenus vnus eſt in trinitate: ratione verò redemptionis, peculiariter conuenit Chriſto, qui iure redemptionis cōſtitutus eſt hæres vniuerſorū, rex regū, & Dñs gloriæ. Atqueadeò non incongruè hæc Iohelis Prophetia explanari poteſt de Chriſto, vt *talis inuocatio* inteligatur nominis ipſius Chriſti, prout

1.C.1. alibi præſignauit Paulus inquiens, cum omnibus ijs qui inuocant nomen Dñi Ieſu, quod eſt Chriſtianorum epithetō. Nam quemadmodum olim inter gētes, ſingulæ religiones & ſectæ, ſuos inuocabant proprios deos, quos proprijs ſacrificijs colebant: ſic nūc in opprobriū gentiū idololatrarū, & in honorē Chriſtianiſmi, vſurpatū eſt ab Eccleſia, pro eo quod eſt, Chriſtiani, dicere, ij qui inuocāt nomē Dñi Ieſu Chriſti. Sed talis inuocatio inteligēda eſt ea tantùm, quæ ex fide integra, & corde puro proficiſcitur, qualis fuit olim antiquorū patrum, nempè illius ſancti Enoch, qui cœpit

Pſal. verè inuocare nomen Dñi. Moſes etiā & Aaron, & Samuel, qui inter eos recēſentur a Propheta, qui inuocabant nomen Dñi: hi nimirum ſic inuocantes, Chriſtum Dñm à longè proſpiciebant. *Inuocare igitur nomen Dñi*, eſt confiteri Deum vnicum ſalutis authorem, eundemq; propiereà adorare, & ab ipſo fauorem petere, ſine quo nihil apud ipſum per nos poſſumus. Adducēs itaq; Paulus Iohelis authoritatem, inquit, *Omnis quicunque inuocauerit nomen Dñi, ſaluus erit*. Vbi nullum hominum genus excipit ſermo propheticus, Propterea, quiſquis fidēti animo *inuocauerit*, ſalutem conſequetur, ſiue Iudæus, ſiue Græcus, ſiue Barbarus ille ſit. Atque ediuerſo, quicunque non inuocauerit, peribit. Nullus autē inuocat eum, aut opē implorat ab eo, cui non fidit. Vnde dicit.

14. *Quomodo ergo inuocabunt eum, in quem non crediderunt.*) Aſsignat ordinem quo quis vocatur in ſalutem quæ eſt ex fide. Ordo eſt huiuſmodi, nēpè, vt quis inuocare poſsit, neceſſe eſt vt prius credat in eū quem inuocat: credere autem non poteſt in eum, quem nunquam audiuit: neque rurſum audire potuit, ſine aliquo prædicante: prædicator tamen vt verus & apoſtolicus ſit, neceſſe eſt vt à Deo mittatur. Hæc igitur quinque ordinatè ſe habēt ad ſalutem Chriſtianam obtinendā, vt ea quæ ſunt poſteriora in hoc ordine, ſine prioribus eſſe nō poſsint: nimirùm *inuocatio oris*, ſine fide cordis: *fides cordis*, ſine auditu exteriori: *auditus verò*, ſine prædicatore: *prædicator* tandem, ſine *miſſione*. Hoc ordine vnuſquiſque, legitimè vocatur diuinitùs ad fidē: in quo Apoſtolus anſam amputat Iudæis, ſuæ legis amatoribus, vſurpandi ſibi hāc gloriam inuocandi Dñm, quaſi ipſi ſoli eſſent in orbe, qui nomen Dñi inuocarent, & non potiùs multi alij inter Gētes: quoniam talis inuocatio non à nobis, ſed à Deo tāquam à primo authore proficiſcitur: vnde Paulus ſermonem faciens de inuocatione hominum, peruenit vſque ad *miſſionem Dei*, vt in eius diuinam beneuolentiam, cauſas omnes *Oſea.3.* ſalutis noſtræ reſolueret: ſicut & in malitiam noſtram reſoluuntur cauſæ noſtræ perditionis. Iuxta illud, Perditio tua ex te Iſrael, tantùmodo in me au-

xilium tuum. Deinde declarat quod ſu
prà dixerat, *Verbum fidei propè eſt in ore
tuo, & in corde tuo.* Non enim in corde
imprimitur à Deo, niſi prædicatoris
miniſterio, credibilia ore ſuo proponé-
tis. Tertiò, oſtendit Iudæos inexcuſa-
biles eſſe ſuæ coram Deo infidelitatis,
cum fidem à Chriſto & eius Apoſtolis
audierint, quibus non ſolùm obtempe-
rantes non fuerunt, ſed etiam iniurijs
multis eos affecerũt. Inquit ergo nũc
Paulus, (*Quomodo inuocabunt eum in
quem non crediderunt?*) in qua interro-
gatione includitur negatio, ſicut & in
ſubſequentibus: quaſi dicat, minimè
abſque fide inuocabũt. De inuocatio-
ne legitima fit ſermo, quæ fidem præ-
ſuponit: quoniam *inuocare* homo non
poteſt, niſi eum à quo ſperat ſalutem:
ſperare verò niſi in eum quẽ certò cre-
diderit potentem ſucurrere. Itaq; iux-
ta qualitatem cognitionis eſt inuoca-
tio: *Gentiles* inuocabant lumine natu-
rali Deum tamquam primam omnium
cauſam, *& licet* non eſſet meritoria ta-
lis inuocatio, Illuſtraſſet tamẽ illos tũc
Deus lumine fidei, ſi ita enim inuo-
caſſent, vt fecit Cornelio. *Eſt alia inuo-
catio Chriſtiana meritoria* quæ fit forma-
ta fide, & ſic inuocantes inhabitat Spi-
ritus ſanctus. *Alia verò non meritoria*,
quæ fide mortua communiter fit à plu-
rimis Chriſtianis. Quarta *Inuocatio* eſt
Iudæorum, qui iniquè inuocabãt Deũ
& infructuoſè: quia cum in Chriſtum
non crederent, non inuocabant illum
vt propitiatorem per quem ſalus deri-
uanda eſſet omni credenti.

15. *AVT quomodo credent ei, quem
non audierunt?*) ideſt, qui fident ei, de
quo nihil audierunt? quaſi dicat, nul-
lus. Nomen fidei, propriè deſignat aſſẽ-
ſum qui authoritate dicentis gignitur
in audiente: qua ratione, à ſcientia &
opinione ſecernitur, illa enim per de-
monſtrationem, hæc verò probabili ra-
tione ingeneratur: itaque fides eſſe ne-
in Poſt. quit, niſi ex auditu. Vnde Ariſt. oppor-
tet, inquit, addiſcentem credere. ideſt,
authoritati doctoris in initio, fidẽ pre-
bere oportet, antequàm ille demon-
ſtrando ſcientiam doceat. Eſt autem
duplex auditus internus ſcil. & externus:
illo auditur à Deo reuelante, hoc ab
homine loquẽte: illo poteſt vnuſquiſq;
audire fidem à Deo ſine exteriori prę-
dicatione, ſed Apoſtolus tamen non lo-
quitur hîc niſi *lege communi*, quæ ge-
neralis eſt. Illa autem *interna ſeu auditio*
peculiariter nonnullis ob ſingulare pri-
uilegium conceſſa eſt, veluti prophetis
& quibuſdam eximijs perſonis, iuxta
illud Pſalm. Audiam quid loquatur in *Pſal.*
me Dominus Deus. *Internus* igitur au-
ditus non pertinet ad omnes, ſed tan-
tùm ad Prophetas, iuxta gratiam ipſis
gratis datam. *Externus* verò cõmuni-
ter pertinet ad omnes, de quo hîc lo-
quitur Paulus, cum ipſe dixerit, quod
non eſt diſtinctio, in negotio ſcil. fidei.

16. *Quomodo autem audient ſine præ-
dicante?*) ideſt, niſi ſit qui prædicet ig-
notum. Abſque *actione* enim loquentis,
auditio eſſe non poteſt. Vnde & Domi-
nus mandauit diſcipulis vt irent in mũ-
dum vniuerſum, & prædicarent Euan- *Mar. vl.*
gelium omni creaturæ.

17. *Quomodo verò prædicabunt niſi
mittantur?*) ideſt, niſi miſſi ſint ab eo
cuius eſt Euangelium? *Deus* enim eſt
radix & fons vnde cauſæ ſalutis noſtræ
proficiſcuntur. Ipſe quidem olim mul- *Heb. 1.*
tifariam multiſq; modis loquens patri-
bus in Prophetis, poſt modum locutus
in filio, ac deinceps per Apoſtolos, eiuſ-
q; ſucceſſores, lumine ſuæ fidei irradia-
uit orbem. Meritò ergo dicit Paulus,
(*quomodo prædicabũt*) ſcil. myſteria fidei,
(*niſi mittantur*) à Deo ſcili. eius autho-
re? quoniã filiũ nemo nouit niſi Pater,
neq; Patrem niſi filius, & cui voluerit fi- *Mat. 11*
lius reuelare. *Miſit* autem Deus prę-
dicatores, aut per ſe ipſe vti olim Pro-
phetas, ſicut ait Iſaias, Dominus miſit *Iſai. 48.*
me, & ſpiritus eius. Et tempore gratiæ
propriũ filiũ tanquã architectũ, inſtitu
torem Eccleſiæ, prædicatorumq; magi-
ſtrũ: & quẽadmodũ filius legatus fuit
à Patre, ita & ipſe Apoſtolos ſubdelega-
uit. Nam ſicut miſit me, inquit, viuens
Pater, & ego mitto vos. In quo oſtendit *Ioa. 20.*
Chri-

Chriſtus, vt ait S. Tho. ſe eſſe mediatorem inter Deum & homines. Cæteros vero prædicatores Deus mittit Eccleſiæ authoritate, & prælatorum delectu, vices Chriſti gerentium in terris. Vnde, qui vos, inquit, audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. *Luc. 10.* Multum autem intereſt diſcriminis inter huiuſmodi legationes, nam quos per ſe Deus delegat, vt Prophetas & Apoſtolus, per ſe ipſe edocet: ac proinde præcepit illis inquiens, cum ſteteritis ante Reges *Mat. 10.* & præſides, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Quapropter ad illam primam fidei diuulgationem, non opportuit ſapientes mũdi deligere, ſed ruſticos homines, quo mundo palàm fieret, non eſſe illam humanam ſapientiam, ſed cœleſtem diuinitus afflatam. Iam verò poſt Apoſtolos & Prophetas, haud quaquam licet doctoribus, aut concionatoribus, nouas excerere reuelationes, ſed ea tantùm elucidare quæ Prophetis & Apoſtolis reuelata ſunt, ſuperedificari, vt *Eph. 2.* ait Paulus, ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum. Præſumptio itaque deteſtabilis, & ſuperbia perniciofiſſima illorum eſt, qui abſque longo improboq; theologiæ ſtudio, & ſine Eccleſiæ, maiorumq; authoritate & imperio, in huiuſmodi functionem ſe audent immergere. Hac enim peſte, his noſtris temporibus, deuaſtata eſt Ec- *Pſal.* cleſia Dei: deuaſtauit eam aper de ſylua, ille maledictus Luther, qui contẽpta Eccleſiæ ſanctæ authoritate, peſſimè conceſſit eam quibuſcunque imperitis ſecularibus, tùm ad publicè cõcio- *Luth.* nandum, tùm etiam ad interpretandũ ſacram ſcripturam iuxta cuiuſq; ſpiritum, vnicuiq; permittens ſuo ſenſu abũdare, nec ſtandum vlli conciliari, vel eccleſiaſticæ authoritati. Quo documento nullum perniciofius eſſe potuit. Nã cum Spiritus ſanctus, quem ait Luther. præſentiſſimum eſſe ſcripturæ ſanctæ, non viua voce loquatur, & natura ingeniumq; hominum ſit, vt tot ſint capita quot ſenſus, fieri nequit minus, quàm vt diuerſi homines quantocunq; polleãt ingenio, diuerſas ſequantur ſententias. Neque fidendũ eſt internæ reuelationi, quandoquidem angelus Sathan transfigurare ſe conſueuit in Angelum lucis. Neque verò vlli hominum ſanctitati: nam videmus ſanctiſſimos homines ignorantes, quod certè non contingeret, ſi Spiritus ſanctus panderet ſeſe, cuicunq; legenti ſcripturas. Quam ob cauſam, cum Spiritus ſancti munus ſit, ſcripturas quas ipſe condidit exponere, (nam in hoc promiſſus eſt nobis à Chri- *Ioa. 14.* ſto, atqueadeò miſſus qui permaneret nobiſcum inæternum) non potuit conſultius prouidere Eccleſiæ, quàm ſtatuẽdo, ſicut Chriſtus per ipſum inſtituit, *authoritatem vnam, eandemque in terris ſummam*, quæ nobis viua voce loqueretur, cuiq; nos deberemus obedire, etiã ſi rationes eius non inteligeremus, ſed ſolum quia verbo ita nos credere iuberet. *Abás* neque inter doctos cõponi vnquam poſſent controuerſiæ de fide, neq; animi indoctæ plebis pacari. Nã cum vulgus rationes & argumenta doctorum non penitus calleat, imò nonnunquam vix intelectu capiat, quomodo conuinci poteſt ad credendum, vbi nulla ſit authoritas quæ ius habeat cogendi? *Hac autem autoritas* profectò reſidere non poteſt, in priuata perſona, neque verò in ciuili poteſtate quæ iudex eſſe nequit ſpiritualium: neceſſe ergo fuerit, vt in capite & pleno corpore collocata ſit totius Eccleſiæ: cui nimirum congregatæ incumbat, ſcripturã ſacram rimari, & ſanctorum Patrũ exploratis ſcriptis, & conſultis, cũcta deffinire dubia, in ſuamq; ſententiam populum compellere. Alioqui profectò eſſe non valet vna fides, ſicuti eſt vnũ *Eph. 4.* baptiſma. *Siquidem vnitas hæc* non in hoc tantùm conſiſtit, quod eoſdem ſuſcipiamus libros, ſed quòd eodem ſenſu ſcripturas teneamus, colamuſq;, & veneremur. At verò, afferũt iſti Auguſtinum dicentẽ, quod omnia quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria, tradita ſunt expreſsè in ſacra ſcriptura. Sed hæc tamen verba nuſquã ſanè ſunt apud Aug. *Aug. in* in quadam verò Epiſtola, hoc tantũ ait, *epiſ. cõt.* quod nihil ſub ſpirituali ſenſu, hoc eſt, *Vin. Do.*

myſtico, continetur in ſcriptura, fidei neceſſarium, quod non alicubi per literalem ſenſum manifeſtè tradatur. Vbi non ſentit Aug. quod literalis ſenſus ita ſit ſemper manifeſtus, vt non contaminari, corrumpiq; ab hæreticis poſſit, atque adeò vt non indigeat eccleſię cenſura. *Articuli* namq; diuinitatis, & humanitatis Chriſti, neceſſarij planè ſunt, & idcirco in ſenſu literali expreſsi: *at nihilominus* quot olim laborauerunt hæreticorum lacerationibus? Sed rurſus aiunt, poſſunt eſſe in œcumenico concilio, viri, neque moribus, neq; doctrina illuſtres, quomodo ergo obtemperandum eſt eorũ ſanctionibus? Profectò, ſi vel ſanctitatem, vel humanam doctrinam iudicem ſtatuatuamus, non poſſamus non ſæpe falli: tùm, quia multi ſanctimoniam mentiuntur, illudentes humanis ſenſibus. Nam de hæreticis dictum eſt, veſtitos eſſe ouina pelle, cum ſint tamen lupi rapaces: tùm etiam, & qui ſanctiſsimi ſunt, non protinus ſunt doctiſsimi. Ad hæc, de doctrina, varia ſunt iudicia. Iam enim ſub hoc ætatis, illi habentur doctiſsimi, qui ſunt eloquentiſsimi. Adde, quòd quantacunq; fuerint doctrina, non poteſt euitari quin diuerſi diuerſa probent, & ex populo diuerſi diuerſos ſequātur. Cuius quidem veritatis, vel ipſi modo hæretici in tot factiones diſciſi, documento nobis ſunt, ac ineluctibili teſtimonio. Appellandum ergo nobis eſt ad Spiritum ſanctum Eccleſiæ gubernatorem, atque adeò illi conſtanter fidendum, qui non permittet Eccleſiam legitimè congregatam errare in huiuſmodi dubijs, ac controuerſijs definiendis. Vnde Chriſtus, ſũmus ac prouidentiſsimus paſtor, intelligens, non poſſe Eccleſiam in hac vita *internis inſpirationibus* ſatis gubernari, quippe quæ inſpirationes ſæpenumero ancipites nos habent, à quo nam ſpiritu proueniant, vicarium inſtituit ſuũ, qui ſuas paſceret oues, pro quo ſingu-
Luc. 22. lariter rogaſſe declarauit, ne ſua deffi-
Mat. 18 ceret fides. Et, vbicũq;, inquit, fuerint duo vel tres cõgregati in nomine meo, in medio eorum ſum. Igitur cũ multa ſint alia ſigna quibus dignoſcere poſſumus inter oues & lupos, certiſsimum omnium tamen atq; infallibile eſt, *Authoritas Eccleſiæ.* Qui enim per ipſam non mittuntur, ex illis cenſendi ſunt & habendi, quos per Hieremiã Deus in-
famat. Falſò enim, inquit, Prophetæ va- *Hier. 14*
ticinantur in nomine meo. Non miſi *& 23.*
eos, & non præcepi eis, neque locutus ſum ad eos: viſionem mendacem, & diuinationem, & fraudulentiã, & ſeductionem cordis ſui prophetant vobis. Et alibi, non mittebant prophetas, & ipſi currebant: non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant. Hactenus doctiſsimus
Magiſter Soto, Cuius ferè ſunt omnia *Soto.*
quæ hîc dicta ſunt: qui tandem hortatur, vt quiſq; ſecum reputet, quēadmodum initiũ malorum, quæ Aquilonaris flatus in Chriſtianos conflauerit, illud fuerit, quod Eccleſiaſticã authoritatem turpiter proiecerunt. Atq; eadem de cauſa eiſdem Apoſtoli verbis punguntur Iudæi. Ex eo enim non rectè ingreſsi ſunt ad fidem Chriſti, quod Phariſæis prædicatoribus ſuis auſcultabant, qui non fuerant à Deo miſsi, ſicuti fuit Ioannes Baptiſta Chriſti prænuntius.

18. *SICUT ſcriptum eſt, quàm ſpecioſi pedeſ, Euangeliζantium pacem, Euangeliζantium bona.)* Videtur hic eſſe eclipſis, & ſubaudiendum coniungendo prę-
cedētibus, *Sed miſſi ſunt & prædicauerũt,* *Iſa. 52.*
de quibus idem meminit Iſaias cũ inquit *(quàm ſpecioſi,)* ideſt, quàm decori *(pedes Euangeliζantium pacem, Euangeliζantium bona)* vbi videtis quid iubeātur prædicare Chriſti pręcones, nõ vtiq; circuncifionem, aut ſabbatiſmos, *ſed pacẽ,* quæ nos mutua charitate in Chriſto conglutinet: & ea bona quæ ſemper bona ſint, nempè *cœleſtia,* quia ſuaptè natura bona ſunt. Triplex bellum ſiue diſsidium in perniciem hominum inteligimus ab antiquo ſerpente cauſatum: primum eſt internum, inter ſpiritum & carnem: ſecundum, externum inter homines & homines: tertium inter homines & Deũ, quod vtiq; aliorũ
eſt origo, nam qui Deo reſiſtit, nec ſecũ *Iſai. 48.*
nec

nec cum hominibus vllâ poteſt habere
pacem veram. Sed Rex noſter pacificus
Pſ. 71. Chriſtus, aduerſus huiuſmodi bellum,
pulchrè compoſuit pacem, quam ideò
Angeli ſancti, in nocte illa clariſsima,
& fœlicisſima, ingreſſus Saluatoris no-
ſtri in hunc mundũ ſuauiſsimè decã-
tarũt dicẽtes, Gloria in altiſsimis Deo,
& in terra pax hominibus bonæ volũ-
2. C. 5. tatis. Erat igitur Deus in Chriſto dño
Col. 1. noſtro, mundum reconcilians ſibi, atq;
adeò pacificans per ſanguinem crucis
eius, ſiuè quæ in terris, ſiuè quæ in cœ-
lis ſunt. Deinde coniunxit in ſe duos
populos, Gentium ſcil. & Iudæorũ in-
ter ſeipſos diſsidentium, ſed Chriſtus
cõpoſuit eos, & ex inimicis fecit amicos,
propterea Apoſtolus, *Ipſe*, inquit, *eſt*
pax noſtra, qui fecit vtraque vnum.
Demùm de pace interna, ait Prophe-
ta, Pax multa diligentibus legem tuã.
Hæc eſt lex ignea ſancti Euangelij, quã
dedit nobis filius Dei. Eſt autẽ *duplex*
pax Chriſtiana, inchoata ſcil. & perfecta:
illa in hac vita præſenti, auxilio diuino
poſſumus frui: hæc verò in patria in
poſſeſsione bonorũ cœleſtium obtine-
tur, quæ exuperat omnem ſenſum. Nã
bona cœleſtia, bona vniuerſa compre-
Ex. 33. hendunt: vnde petẽti à Deo Moyſi vt
oſtenderet ei gloriam ſuam, reſponſum
eſt, Ego oſtendam tibi omne bonum.
Et Chriſtus Dñs de fideli & vigilãti ſer
uo. Super omnia, inquit, bona cõſtituet
eũ, id eſt, in Dei gloria collocabit: quia,
vt inquit Hilarius, nihil ſit vltra quod
Hilar. melius ſit. Ante Aduentũ Chriſti, igno
tum fuit hoc bonum: diſſerebant qui-
dem Philoſophi de bono, ſed non inue
niebant, quoniam illud non in ſummo,
ſed in imo quærebant, & in tenebris &
erroribus inextricabilibus verſabantur.
Bonum igitur, quod verè & realiter bo-
nũ eſt, *annuntiauerunt* Apoſtoli, quod
anteà ignorabatur à mũdo, licet eſſent
nõnulli viri ſancti, qui illud non igno-
rabant. Sed hi nomine mundi nõ com-
prehendũtur.

¶ Secundum autem noſtram literam ſic
Iſai. legitur apud Iſai. (*Quam pulchri ſuper*
montes pedes, annuntiantis & prædicantis
pacem, annuntiantis bonum, & prædican-
tis ſalutem:) omnia hæc ſub nomine E-
uangelij comprehẽduntur. *Euangelium*
enim bonum nuntium ſignificat, vnde
Chriſtus Dñs, diſcipulis ſuis, Euntes,
inquit, in mundum vniuerſum, prædi- *Mar. 16*
cate Euangelium omni creaturæ. Qui-
dam interpretantur locum hunc de Ba
bylonicæ captiuitatis liberatione ſub
Rege Cyro, ſed præcipuum propoſitum
diuini Vatis in hoc capite eſt de huma
ni generis redemptione per Chriſtum,
deq; eius Apoſtolorum prædicatione va
ticinati. Et idcirco tam feſtiua conge-
minatione verborum, *prædicantis pacem,*
annuntiantis bonum, & prædicantis ſalutẽ,
affectum exprimit hominis geſtientis,
præſtolantisq; fauſtũ aduentũ Chriſti.
Et hac de cauſa Apoſtolus loquens de
Apoſtolica prædicatione citat eũ, maxi
mè propter id vltimum quod dixerat,
de *miſſione* prædicatorum, quæ debet
eſſe ordinatè facta, ad hoc quod ſit pul
chra & ſpecioſa. *Species* ſiquidẽ & pul-
chritudo rei, in ordine conſiſtit: qua-
propter, pedes ſpecioſi tribuuntur Pro
phetis & prædicatoribus, tùm propter
ordinem progreſſus, quod nõ ſe inſi-
nuant in talem prouinciam, ſed maiorũ
ordini & iudicio obſecundantes, eam
ſuſcipiunt: vnde Apoſtoli ſancti, iuſſu
& ordine Chriſti, diſtributi ſunt per or-
bem. Tum etiam, propter rectitudinẽ
affectuum, qui pedes animi congruè
dicuntur, his enim perambulamus or-
bem, aſcendimus ſurſum, deſcendimus
deorſum, & ſtamus mente vbicunq; vo-
lumus, teſte Propheta, qui ait, Stantes
erant pedes noſtri, in atrijs tuis Hieruſa *Pſal.*
lem.

¶ Dicuntur autem ab alio Propheta,
(*pedes recti*,) quia nimirum non inten- *Ezec. 1.*
tione laudis humanæ, aut turpis lucri
gratia verbũ Dei annũtiant, ſed prop-
ter omnium ſalutem, & Dei gloriam.
Cuius cauſa ſummam adhibent diligẽ-
tiam & ſolicitudinem, curantes nemini
moleſtos eſſe, ſed omnibus gratos & iu-
cundos, præbentesq; ſeipſos exemplũ
bonorum operum, & vitæ totius puri-
tatis, quæ in pulchritudine pedum de-
ſignatur. Nam & ſi totum corpus mũ-
dicie niteat, pedes tamen ſolẽt luto, aut
pul-

puluere ſordeſcere, vnde qui lotus eſt, ait Saluator, nõ indiget niſi vt pedes lauet. *Ioa. 13.* Quare ſancti Euangelij præcones, à leuiſsimis etiam culpis abſtinere debent: cuius myſterio Christus dominus cœna facta, antequam ſacrum myſteriũ vnitatis & pacis conficeret, pedes diſcipulorum lauit, vtpotè legatione fidei functuri, circumire debebant orbem, *annuntiantes pacem eandem.* Quem pedum nitorem, ſiue animi affectuũ pulchritudinem, vt palàm circunferrent, nudis pedibus ire iubentur. Vndè, ſpõſa in Cantic. quæ Eccleſiã ſignificat, *Cant. 5. & 7.* Laui, inquit, pedes meos, quomodo inquinabo illos? quibus verbis omnimodam puritatem, & exactam diſpoſitionem ad annũtiandum verbum Dei ſignificat, quam opportet ſemper habere, & nunquam amittere, eos ſcili. qui munus concionãdi ſemel ſuſceperunt. Et hæc eadem ſponſa alibi laudatur ab ſponſo, quia ſtrenuè ſe habuit in dicto officio prædicationis, inquiens, quàm pulchri ſunt greſſus tui in calciamentis, filia principis. Cõmendat eam à ſolicitudine & diligentia & ordine prædicationis, quia non in vno loco ocioſè ſtetit, ſed veloci prædicatione ex Christi imperio, totum mundum peragrauit: ideò a greſsibus commendat eam.

Tho. *Greſſus* enim Eccleſiæ, vt exponit S.Th. ſunt veloces prædicationes Apoſtolorũ, per quos in omnem terram Euangeliũ inſonuit. *In calceamentis*, ideſt, in patrum præcedentiũ exẽplis, *calciamenta* ex mortuis fiũt animalibus. Et *calciamẽta* Eccleſiæ ſunt patrum præcedẽtiũ exẽpla, quibus greſſus habet munitos, vt ſecura, eos immitãdo, & ſine offenſione gradiatur. *filia principis*, ideſt, Chriſti, qui & pater & Sponſus eſt Eccleſiæ: *illud*, quia ſanguine ipſius redẽpta, baptiſmate eſt regenerata: *hoc* verò, quia dote Spiritus ſancti illi eſt coniuncta. Ad Prophetam igitur iam rediens (*ſuper montes*) inquit, ideſt, non in angulis, nec inter priuatos parietes, nec priuatis perſonis, nec in abſcondito, ſed quemadmodum Christus, palàm, & in locis publicis, tanquam in quibuſdam mõtibus, vbi ab omnibus audiri poſsẽt, loquuti ſunt verbum Dei. *Poſſumus* etiã per montes altitudinem virtutum intelligere, ad quam opportet Chriſti cõcionatores aſcendere.

19. *SED non omnes obediunt Euangelio*) Carpit inobediẽtiam auditorum Euãgelij. Nam cum nihil ſit prætermiſſum ab eo qui mortales omnes ad ſalutem inuitat, nulliq; gentium non ſit prædicatum Euangelium, *non omnes tamen obediunt Euangelio*, ſeu credunt. Vtitur autem obedientiæ verbo, quæ vltroneã ſignificat aſſenſionem. Nam ita *fides* donum Dei eſt, vt à noſtra etiam dependeat libertate, quam Deus nõ cogit: & propterea non vigore rationis demõſtratur, ſed ſuſcipitur obſequio volũtatis captiuantis intelectum in obſequium Christi.

20. *Iſaias enim dicit, Domine, quis credit auditui noſtro?*) Ne illi quibus ſcribebat Paulus, quaſi de re noua mirarentur adducit in teſtem Iſaiã, qui ita futurum prædixerat, ſic loquẽs ſub Apoſtolorum perſona, (*Domine, quis credidit auditui noſtro?*) ideſt, ſermonibus noſtris? quaſi dicat, rarus eſt qui credat nobis annũtiantibus Christum. Siquidem & inter Gentes perpauci credũt Euangelio, ſi cum his qui non credũt conferantur. *Cuius ratio eſt*, quia, vt inquit Iſaias, apparuit Christus deſpectus, & nouiſsimus virorum, & quaſi abſcõditus, ita vt non reputetur. Prædixit etiam hoc Michæas Propheta, inquiens ſub perſona Christi, factus ſum ſicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ. *Mich. 7.* Poſuit autem more Prophetico, *credidit*, in præterito pro futuro, ad maiorem rei futuræ affirmationem. Nec ſignificat impoſsibilitatem, quaſi nemo ſit crediturus, ſed difficultatem, & raritatem credẽtium ex Iſrael. Veluti illud Pſal. Quis aſcendet in mõtem Domini? & quis eſt homo qui vult vitã? *Pſal.* & apud Latinos, Quis leget hæc, aut vnus, aut alter. Quod verò dicit (*auditui noſtro*,) phraſis Hebraica eſt, pro eo quod eſt, quis credidit his quæ abs te audiuimus, & verbis noſtris. Quoniam à Deo audierũt Apoſtoli Euangelium.

Au-

Auditum audiuimus à Domino, inquit Abd. 1. Abdias Propheta, & legatos ad gentes miſit. Vel *auditum* ſignificat verba quæ homines ab Apoſtolis audierunt.

21. *ERGO fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti.*) Colligit rerũ quas dixit ſummam, in hũc modum, ſi inuocatio affert ſalutem, nec inuocat qui diffidit, nimirum fides inprimis exigitur, non circũciſio: porrò fides cõcipitur in animo, non per experimenta, ſed per Apoſtolorum prædicationem, hoc eſt, non per oculos concipitur, ſed per aures, per quas in animum obediẽtem trãſfunditur fides Chriſti: cuius imperio & authoritate, exterius prædicatur, & fauore ipſius interius in animo cõcipitur. *Duo enim ſunt* neceſſaria ad comparãdam fidem: primum eſt inclinatio animi qua quis appellitur ad credendum, & hanc per ſe Deus intus operatur. Deinde, vt credibilia exterius proponãtur & exponantur, quod fit per auditum, vt contigit in Cornelio, ad Act. 8. & 10. quem miſſus eſt Simõ Petrus qui eum inſtrueret: & in Eunucho Reginæ Cãdacis, quem Philipus informauit.

Vtraque ratione, fides eſt donum Dei: nam externa prædicatio, munus diuinũ eſt, quod per Apoſtolos, ac ſubinde per authoritatẽ Eccleſiæ, quæ numine ſancto gubernatur, defluxit: quod tetigit Paulus vbi ſuperiùs dixit, *quomodo prædicabunt niſi mittantur?* Et appertius in hoc loco dicẽs, (*auditus autem per verbum Chriſti.*) id eſt, per authoritatem, & imperium Chriſti mittentis prædicatores: & per eiuſdem inſpirationem auditorum animos mouentis, & inclinãtis ad credẽdum.

22. *SED dico, nunquid non audierunt? & quidem, in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorũ.*) Poſtquam oſtendit Iudæorum caſum eſſe miſerandum, quia ex ignorãtia quodãmodo peccauerint: nũc oſtẽdit quod eorum talis caſus nõ eſt omnino excuſabilis: quoniam eorũ ignorãtia nõ fuit inuincibilis, ſed quodammodo volũtaria. Tùm, quia audierũ ex doctrina Apoſtolorum: tùm etiam, quia cognouerũt ex doctrina legis & Prophetarum. Et quãuis prædicta authoritas referatur ad omnes nõ credẽtes tàm Iudæos, quàm Gẽtiles, quos quidem nudat omni excuſatione, cum fama Euãgelij peruenerit ad omnes: Iudæos tamen maximè conuincit de peccato, dũ non ſimpliciter affirmat eos audiuiſſe, ſed euocat à ſua lege teſtem idoneum, qui eos audiuiſſe aſſerat. Huius litteræ ſenſus ſic habet, *Cum igitur* iam per vniuerſum orbem eluxerit Euangelij fulgor, & innotuerit Chriſti nomẽ, quid ſibi vult quod tam pauci Iudæorũ credũt? (*ſed dico, nunquid non audierunt?*) quaſi dicat, an habent quo ſe excuſent, quod de Chriſto nihil audierũt? (*& quidem*) ſubaudiendum eſt, audierũt, quoniam iam impletũ cernimus quod prædixerat Dauid, (*In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*)

❡ Hoc autem oraculũ, ad litteram aiũt quidam ſumendum eſſe de cœlis, quos ait Propheta enarrare gloriam Dei vniuerſo orbi: & quod in textu Hebraico nõ legitur ſonus, ſed regula eorũ, hoc eſt, regularis eorum concurſus, qui veluti publicus præco, diuinam potentiã, ſapientiamq;, atque in nos bonitatem proclamat: atq; ita perſuadet, vt debeat vniuerſus mũdus à cœlis inſtructus, vnum verum Deũ colere, & adorare. Et fortaſsis Apoſtolus in hoc loco cœlos ipſos ad litteram inteligit, vtẽs tamen quadam analogia & ſimilitudine, quod pari ſcili. curſu & velocitate, tuba Euangelica, vniuerſum orbẽ perluſtrauit, quo cœli enarratores eiuſdem gloriæ Dei, eũdem percurrũt. Maiori tamen omniũ ferè conſenſu receptum eſt, vt in ſenſu allegorico per cœlos inteligantur Apoſtoli.

❡ AT verò, nondũ conuenit inter Aug. & Chryſoſt. de inteligentia huius loci. Aug in epiſt. ad Euch. ep. Aug. enim negat ſub id tũc temporis Pauli, impletam ad litteram fuiſſe prophetiam, quoniam adhuc tempore ſuo dicit fuiſſe quaſdam gentes in Aphricæ partibus, quibus nõdũ erat fides Chriſti prædicata: idcirco ait verbũ præte-

titũ,

riti, neq; apud Prophetã, neq; apud Apoſtolum, ſignificare rem iam completam, ſed more prophetico certitudinẽ, ac immutabilitatem rei perficiendæ. *Chry.* Econtra verò Chryſoſt. ſuper Mattheũ, *Mat. 24* impletam tũc fuiſſe tempore Apoſtolorum, idq; affirmare Paulũ. Pro Chryſoſtomo facit, quod ſi tũc non fuiſſet cõpleta prophetia, nihil euinceret Paulus hoc teſtimonio. Contendit enim repellere excuſationem quorũcunq; nõ credentium, propterea quod iam exierit ſonus verbi, vſq; ad extremos fines terræ. Auguſtino autem patrocinari videtur quod in Euangelio dicit Chrũs, *Mat. 24* Prædicabitur, inquit, Euangeliũ regni in vniuerſo orbe, & tũc veniet conſũmatio, videlicet, mũdi ſecũdum Aug. vbi inſinuatur, non fore implendũ vaticinium hoc, quoadusq; apropinquet rerum conſummatio. Facit etiam magnoperè pro Aug. quod ad remotiſſimas inſulas, ac demum vſq; ad antipodas, tũc tempore Apoſtolorum, non fuerit peruulgatum Euangelium. Sed Chryſoſt tamen, locum illũ Matth. nõ de cõſũmatione mũdi, ſed de Hieruſalẽ deſtructione intelligit. Et ſic vtriusque ſententia eſt aliqualiter vera. Tempore enim Apoſtolorum ad omnes Gentes, etiam vſque ad fines mũdi, peruenit aliqua fama Euangelij, per ipſos Apoſtolos, vel Diſcipulos eorum prædicati. Per mũdum intellige has tres mũdi partes, Aſiam, Aphricam, Europam, per quas iam diſperſi erãnt Apoſtoli, vt Petrus & Paulus occidentem verſus, Matthæus ad Æthiopiam, Thomas ad Indiam, atque aliorſum alij, ita vt quarta ſaltem Zona habitabilis, plena eſſet Euangelio: quæ quidem, etiam in ſacra Scriptura ſolet appellari vniuerſus or-*Luc. 1.* bis, iuxta illud Lucæ, Exijt edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vni-*Ro. 1.* uerſus orbis. Et illud Pauli, Fides veſtra annũtiatur in vniuerſo mũdo. Et *Col. 1.* illud, Veritatem Euangelij eſſe in vniuerſo mũdo. Et licet nõ omnes habue-*Hiero. ſuper Mat.* rint prædicatorem, vt ait Hiero. tamen ex vicinis nationibus opinionem fidei non potuerũt ignorare: opinionem inquit, ideſt, aliquem ſuſurrũ, vel vocem. Itaq; fama tũc Euangelij ad omnes gẽtes, etiam vſq; ad fines mũdi, vt ait S. Tho. peruenit, videlicet, à gente in gen-*Tho.* tem, à natione in nationem delata. Tamen conſummatum effectum, vt ſcilic. vniuerſus orbis fidem ſuſcipiat, Eccleſiaq; in omnibus gentibus ædificetur, non obtinebit prædicatio, niſi prope finem mundi, ſeu ante finem mũdi, vt inquit Aug. & D. Th. Magis tamẽ *Aug. ad Heſi.* vt ait idẽ S. Th. præſenti intẽtioni Apo-*Tho.* ſtoli, congruit ſententia Chryſoſt. quàm Auguſtini: nulla enim ratio eſſet auferendi excuſationem infidelibus per hoc quod in futurũ erãt audituri. Per hoc autem non habetur quod ad ſingulos homines fama prædicationis Apoſtolicæ peruenerit, licet peruenerit ad omnes gentes: & tales quidem propter ignorantiam excuſationem habent de peccato infidelitatis: iuxta illud, Si nõ *Ioa. 15.* veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, ſcil. aut per me, aut per diſcipulos meos, peccatum, ſcilic. infidelitatis nõ haberent. Non tamẽ beneficiũ Dei conſequẽtur, vt ſcil. ab alijs peccatis iuſtificentur, vel quæ naſcendo contraxerũt, vel male viuendo addiderũt, pro quibus meritò damnãtur. Nemo enim mortalium excuſatur ignorantia iuris naturæ, quod vtiq; ſi ſeruaſſent, facientes quod in ſe eſt, Deus illos irradiaſſet lumine fidei, mittendo illis nõ dicam Angelum, ſed certè hominem prædicatorem fidei, vt ait D Tho. qui eos erudiret, ſicut Pe-*Tho.* trum Cornelio, & Macedonibus Pau-*Act. 10. & 16.* lum. Sed tamen hoc ipſum quod aliqui faciant quod in ſe eſt, conuertendo ſe ad Deum, donum Dei eſt mouẽtis corda ipſorum ad bonum, vnde inquit Propheta, Conuerte nos Dñe ad *Tren. 5.* tẽ, & cõuertemur. Quamuis ante promulgationem ſufficientem Euangelij, nõ erat Gẽtibus neceſſaria expreſsior fides, quàm ante aduẽtum Chriſti, vt *Soto.* ait quidam Doctor.

23. *SED dico, nunquid Iſrael non cognouit?*) Oſtẽdit Iudæos inexcuſabiles eſſe propter notitiam quam ex lege & Prophetis habuerũt, & mouet quæſtionem in hũc modum. (*Sed dico*) adhuc

inqui-

inquirẽdo, *(nunquid Iſrael,)* ideſt, popu
lus Iudæorum *(non cognouit?)* ea ſcilic.
quæ pertinẽt ad myſterium Chriſti, &
ad vocationem gentium, & caſum Iu-
dæorũ? Planè cognouit inſtructus per
Pſal. legem. Vnde Dauid, Nõ fecit, inquit,
taliter omni nationi, & iudicia ſua nõ
Baru.4. manifeſtauit eis. Et Baruch Propheta,
Beati ſumus ò Iſrael, quoniam quæ pla
cita ſunt DEO, manifeſta ſunt nobis.
Ergo cum olim tot Prophetarum ora-
culis ſit Chriſtus promiſſus, Cum nũc
palàm in omni natione per Apoſtolos
teſtes idoneos prædicatus: num Iu-
dæi prætexere poſſunt quod Chriſtum
neſciãt? imò viderũt lucem, ſed mali-
tia excæcauit oculos eorum: audierũt
Euãgelium, ſed liuor obſepſit aureis eo-
rum: malunt enim gẽtibus ad ſalutem
vocatis inuidere, quàm fidem illorum
immitari. Atque hoc etiam vtrũq;, vi-
delicet, Iudæos reiecturos eſſe ſermo-
nem Euãgelij, & Gẽtes recepturas, à
Moyſe ſimul, & ab Iſaia prædictũ eſt:
quorum primus, ideſt, prior Moyſes li-
Deu.32. bro Deuteronomij, in Cantico, ſic fa-
cit loquentem Dominum offenſum in-
credulitate Iudæorum.

24. *EGO ad æmulationem vos addu-
cam in non gentem, in gentem inſipientem
in iram vos mittam.)* Ac ſi diceret, Ego
vos ad æmulandum prouocabo *(in non
gentem,)* ideſt, per gẽtem cõtemptiſſi-
mam, quæ hactenus præ vobis non ſit
habita pro gente *(in gentem inſipientem
in iram vos mittam,)* ideſt, excitabo in
vobis iram & indignationem aduerſus
gentes, quaſi dicat, cum ipſi videamini
vobis ſapere, irritabo vos per gentem
veſtro iudicio ſtultam, ac brutam, quo
magis vos ſtimulet animi liuor.
¶ Hæc autem inteligenda ſunt nõ po-
ſitiuè, ſed priuatiuè, deſerendo ſcil. illos
malignæ menti ſuæ, quod ſcilic. futurũ
eſſet, vt vocatione gẽtium irritati Iu-
dæi, zelo & inuidia aduerſus gẽtes inci-
tarẽtur. Fuere nimirum iuſtæ talionis
eorum pœnæ propter Deum cõtemp-
tum: nam Moyſes iuxta noſtram lite-
ram ſic de ipſis prædixerat, *(Ipſi me pro-
uocauerunt in eo qui non erat Deus, &
irritauerunt in vanitatibus ſuis. Et ego
prouocabo eos in eo qui non eſt populus,
& in gente ſtulta irritabo illos)* Quoniã
in pœnam idololatriæ qua Deum ſpre-
uerunt, permiſit vt ignorarent Chriſtũ
verum Deũ, quem gẽtes veneratæ ſunt:
atque adeò permiſit, vt liuida cõtabeſ-
cẽtes inuidia, ad iram cõcitarentur,
veluti & illi concitauerãt ipſum. Nam
gẽtilitatem quæ non reputabatur Dei
populus, ſed gẽs ſtulta & inſipiẽs, quæ
ideò nihil apud Iudæos erat abiectius,
ac vilius, eo fuerit honore dignatus, vt
Iudæis poſthabitis, in ſuam ipſius co-
gnitionem perduxerit, in Chriſtiq; fa-
miliam receperit. Vnde factum eſt, vt
populus ille quõdam Deo chariſſimus,
nũc ſit vilis & cõtemptus, omni vacuus
honore & gloria, abſq; regno, & abſq;
ſedibus vagus, qui propriam legem ſuis
oculis oclusum, in alienorũ manus tra-
ditam videat, à quibus veraciter inteli-
gitur, reuelatiſque myſterijs colitur.
Hoc ſolum Iudæos cõuincere debuerat
ad ſuſcipiẽdam fidem, ne alienigenæ ta-
lem illis honorem præriperent.

25. *Iſaias audet & dicit, Inuentus ſum
à non quærentibus me, palàm apparui ijs,
qui me non interrogabant.)* Moyſen ſe-
cutus Iſaias audet & dicit, ideſt, auda-
cter Iudæis annũtiat veritatem, quãuis *Iſai.65*
ei periculum mortis immineret, (quam
demum & acerbiſſimam pertulit pro-
pter veritatem,) cuius propterea animũ
generoſum cõmẽdat in hoc verbo Pau-
lus, dum ait, *(audet;)* nullo enim mor-
tis metu loquebatur pro veritate. Nihil
igitur veritus teſtatur appertè: Deo gra
tiorem fuiſſe gẽtium obediẽtiam, quàm
Iudæorũ pertinatiam. Sic enim ait ſub
perſona Chriſti, *(Inuẽtus ſum à nõ quæ-
rentibus me, palàm apparui ijs qui me nõ
interrogabant.)* vbi litera noſtra ſic ha-
bet, *(quæſierunt me qui antè non interro-
gabant: inuenerunt qui non inquiſierunt
me.)* quibus verbis oſtẽditur quod præ-
ter merita & intẽtionem gẽtium, facta
fuerit eorum cõuerſio: de qua eſt illud,
Simile eſt regnũ cœlorũ theſauro abſ- *Mat.13*
condito in agro, quem qui inuenit ho-
mo abſcondit, &c. & licet Gẽtiles inue-
nerint

nerint quod non quærebant, non tamē caſu factum eſt hoc ex parte Dei, qui ex gratia & miſericordia ſua voluit illis
*Tit. 2. apparere, cauſa igitur conuerſionis gētium fuit gratia & miſericordia Dei, quam deſignat dicens (*apparui*) modus autem non occultus, nec obſcurus in ænigmatibus & figuris legis, ſed in manifeſta veritate, propterea inquit, (*palàm*) ſcilic. *apparui* gentibus *qui me non interrogabant*, idest, qui meam doctrinam non quærebant. In hoc autem verbo (*interrogabant*) videtur alludere ad gentiles, qui deos ſuos interrogare & conſulere ſolebant, quorum ſuperſtitionibus impediti, & erroribus intolerabilibus inuoluti, erant prorſus obliti vnius veri ſempiterniq; Dei, atq; adeò eum non interrogabāt, nec quærebāt. At verò poſtquam ſua infinita gratia & miſericordia Chriſtiani ſumus effecti, debemus eum inceſſanter interrogare, & petere vt apperiat nobis ſuam volūtatem, vt nihil aduerſus eam faciamus: dicentes cum Dauid, Doce me
Pſ. 118. iuſtificationes tuas, bonitatem, & diſciplinam, & ſciētiam doce me: & doce
Pſ. 142. me facere volūtatem tuam, quia Deus meus es tu. Cibus meus, aiebat Chriſtus, eſt, vt faciam volūtatē Patris mei.
Ioa. 4. Veſcantur ergo adoptiui eodem cibo quo veſcitur naturalis: ſit volūtas Dei, panis eorum quotidianus, hūc eſuriāt, hūc petāt aſſiduè dicentes, *fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra:* & beati ſic eſurientes, quoniam ipſi ſaturabūtur. Errauerūt Hebræi, dicitur in libro
Ioſu 9. Ioſuæ, quia os Domini nō interrogauerūt. Et nos Chriſtiani ſæpenumero errabimus, ſi Deum nō cōſulimus, nec eius inſpirationi acquieſcimus, ſed noſtro corrupto appetitū gubernamur. Ia-
Gen. 32. cob luctās cum Angelo, mā ſit claudus: & nos cōtra volūtatem Dei pugnantes, claudicabimus.

26. *AD Iſrael autem dicit, tota die expandi manus meas ad populum non credentem, ſed contradicentem mihi.*) Poſt tam magnificum teſtimonium prō gētibus exhibitum, oſtēdit incredulitatē & duritiam Iudæorum, prænūtiatā per eūdem Prophetam in hūc modum (*ad Iſrael autem,*) idest, aduerſus Iſraeliticū populum; quem magis opportebat amplecti fidem Euāgelicam, (*dicit*) idest, continēter ſubijcit idem Iſaias, inquiēs Iſai. 56.
in perſona Chriſti. (*tota die*) idest, toto tempore legis & Prophetarum, & toto tempore prædicationis Chriſti & Apoſtolorum (*expandi manus meas*) in exhibitione beneficiorū, (*ad populum non credentem*) idest, incredulum, qui præ duritia cordis ſui miſericordia mea eſt abuſus, (*ſed contradicentem*) in hūc ſcil. modū, mihi Prophetas, eos trucidarūt. Ipſe tot miraculis editis, illos prouocaui. Pro gratia dixerunt, dæmonium habet, & præſidijs Beelzebub principis dæmoniorum facit illa. Humilitatem deſpexerūt, virtutem impie ſunt interpretati. Tota etiam die paſsionis ſuæ Dominus expandit manus & brachia extēdit, quaſi peccatores vocans, eoſq; amplecti deſiderans. O immenſa Dei pietas & miſericordia, Iudæi Chriſtum crucifigebant, & Chriſtus eos ad ſe vocabat, quinimo & pro ipſis præces fundebat dicens, Pater ignoſce illis.
Æquiſsima eſt ergo cōtra Iudæos Dei querimonia apud Salomonem has voces emittentis: vocaui, & renuiſtis: ex- Pro. 1.
tendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. In beneficijs, in cruce, homines vocauit, & manus extendit.

¶ Noſtra autem litera ſic habet, (*Expandi manus meas ad populum incredulum, qui graditur in via non bona poſt cogitationes ſuas, populus qui ad iracundiam prouocat me.*) Iſte eſt Iudæorum populus prouocator iræ Dei, qui ſequēs ſuas deprauatas cogitationes *viam perambulat non bonam*, hoc eſt, ad æternū ſupplicium ducētem. Fieri nō poteſt, vt qui ſeipſum ſequitur, Chriſtum ſequatur. Ipſe enim ait, Siquis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me. Væ illi, qui ducem ſequitur appetitum. Eſt appetitus veluti coruus, qui ei, à quo nutritur, oculos eruit. Sed qui appetitu ducitur, ſuam cæcitatē & pernitiem non intuetur. Vt enim ceruus fœminæ cupiditate incēſus, accurrit ad abſ-

abſconditum venatorem, rugitum ceruæ fingẽtem, ductusq; appetitu, dum exiſtimat ſe ad deſideratam Cernã feſtinare, currit velociſsimè ad mortem ipſam, & ad venenatam venatoris ſagittã recipiẽdam. Sic qui indomito appetitu ducũtur, quanto celerius ad res deſideratas cõtendunt, tanto pernicioſius ad mortem ipſam amplectẽdam accurrũt. Circa hanc verò ſententiam, eſt id maximè aduertẽdum, quod vbicũq; Deus legitur aliquos indurare, & excæcare, nulla ſignificatur eius intentio ad malum hominis, ſed obſtinarum humanũ cor ad eius miſericordiam: *& hac de cauſa* Paulus in hoc loco, ſententiam Dei per Moyſem allatam, quod adducturus eſſet Iudæos inuidiam, miſſurusq; in iſtam, exponit per dictam Iſaiæ ſententiam, qua oſtendit Iudæos abuſos fuiſſe diuina miſericordia, vt dictũ eſt.

ARGVMENTVM VNDECIMI CAPITIS.

QVoniã in precedentibus capitulis multa de reprobatione Iudaici populi dicta ſunt, ne quis illos in vniuerſum putet, ratione generis ſui, eſſe abiectos, in hoc cap. docet, Iudæorum perditionem, infidelitati, non generi aſcribendam eſſe: & vſq; adeò non generi, vt etiam gratiſsimos dicat Deo eſſe futuros, propter electionem patrũ ſuorũ, & eis factas promiſsiones, ſi tantùm velint, ſpiritũ inuidiæ deponentes, Chriſti fidem corde ſuſcipere. Deinde, ex Helia Propheta, non omnes Iudæos abiectos oſtendit. Abiectionem verò quorũdã, non ſine diſpẽſatione Dei, in ſalutem gentium, permiſſam ad tempus, donec complecto credentiũ gentiliũ numero, omnis Iſrael ſaluus fiat. Neq; tamen interim inſoleſcẽdum gentibus, ſed timendũ ne in incredulitatem lapſi, rurſum in oleaſtrum redeant.

CAPVT VNDECIMVM.

DICO ERgo, Nunquid DEVS repulit populum ſuum? Abſit. Nam & ego Iſraelita ſum, &c.

EXPLANATIO.

1. *DICO ergo, Nunquid DEVS repulit populum ſuum?*) Quaſi dicat, quorſum hæc quæ diximus tendũt? An huc vt doceam populum prius à Deo ſelectum, ac valde dilectum, cui facta eſt Meſsiæ promiſsio, in quo idcirco fuit Templum, Lex, Sacerdotium, Circũciſio, & Reges, quorum eſt ſanguine progenitus, nũc ob incredulitatem prorſus eſſe reiectum? Similis huic videtur eſſe illa Pſalmiſtæ interrogatio, vbi ait, vt Pſ. 78.
quid Deus repuliſti in finem?

2. *Abſit.*) Vt ſcil. populus Iudæorũ ſit totaliter repulſus. Non repellet Do Pſ. 94.
minus plebem ſuam, inquit regius Vates Dauid. Nam minimè conſentaneũ eſt, Deo nunc prorſus reiectũ eſſe populum, quem hactenus vt ſelectum, ac peculiariter ſuum libenter agnouit.

3. *NAM & ego Iſraelita ſum, ex ſemine Abrahæ, de tribu Beniamin.*) Per ſui ipſius exemplũ cõfirmat cõcluſionem, quaſi dicat, ſi gentem totam repuliſſet Deus, ipſe nõ prædicarẽ Chriſtum, in cuius fide exiſtens, verus *ſum* 2. C. 11.
Iſraelita, ſcil. genere: oriũdus *ex ſtirpe Abrahæ*, pertinens *ad tribum Beniamin*, filij Rachel prædilectæ vxoris Iacob. Cũq; ipſe non recto legis ſtudio, prius perſequerer pios, adſcitus ſum ad mu-

nus Euangelicum. Ad maiorem rei cõfirmationem videtur hæc Pauli cõmẽdatio fuiſſe neceſſaria, ex eo quod cũ ipſe ex viſceribus Iſrael fuerit vocatus ad fidem, nõ gratis Deus ex ſuo odio repulit plebem ſuam.

4. *NON repulit DEVS plebem ſuam, quam præſciuit.*) Ideſt, præcognouit, vt agnoſcendi verbo vtatur, pro eo quod eſt acceptum habere, ſicut in Euangelio de ouibus ſuis Chriſtus ait, Ego agnoſco meas. Quo quidem verbo oſtẽdit Apoſtolus, Deum ſuam liberaſſe fidem, quam ſuis olim obſtrinxerat pollicitationibus, ſeruandi populum ſuũ. Quoscũq; enim Deus acceptos habuit, ex quocũq; populo, vel natione, vel cõditione fuerint, illi præciſè conſcripti ſunt in ſuum populum, eoſdem propterea (*non repulit*:) quoniam Deus immutabilis eſt, ne falſus vnquam, nec fallens: multos autem (*præſciuit*) ex Iudaica gente, eoſdem ergo non (*repulit*.) *Aug de bon. p.* Diuus Aug. in his verbis, prædeſtinationem ſignificare voluiſſe Paulũ aſſerit. Non autem me fugit, præſcientiam ad iniquos etiam extendi, tamen de quibus (*præſciuit*,) bonum fore in gloriam ordinari, eoſdem & prædeſtinauit: ex quorum propterea numero, quicũq; certò fuerit, perdi non poteſt: iuxta *Ioa. 6.* illud, Hæc eſt voluntas eius qui miſit me Patris, vt omne quod dedit mihi nõ perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud in nouiſsimo die, ſcili. in vitam æternam. *Chry. Ambr.* Chryſoſt. autem & Ambroſius gloſſant, (*præſciuit*,) hoc eſt, quem certò ſciebat idoneum, fidemq; recepturũ. At non volũt diui iſti dicere, quod hæc ſit prędeſtinationis cauſa, ſed potius opus ipſius prædeſtinationis: aliàs à nobis eſſet initium fidei & gratiæ, qui non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.

5. *AN neſcitis in Helia quid dicit Scriptura, quemadmodum interpellat Deũ aduerſum Iſrael? Domine, Prophetas tuos occiderunt, & altaria tua ſuffoderunt, & ego relictus ſum ſolus, & quærunt animam meam.*) Poſtquam exemplo ſui ipſius oſtendit, populum Iſrael totaliter abiectum non eſſe, cum ipſe de gente Iudaica Deo ſit acceptus, & vas electionis vocatus, vt portaret nomen Chriſti coram gentibus, & Regibus, & filijs Iſrael: & quia quibuſdam nequaquam ſufficiens argumentũ videretur, ob vnicam ipſius perſonam: exemplum adfert Heliæ dicẽs. (*An neſcitis in Helia*) ideſt, in hiſtoria Heliæ Prophetæ (*quid dicit Scriptura*) ſcil. diuina, libro tertio *3. R. 19.* Regum de Helia ſcripto. Totus enim *Tho.* liber Regum, vt ait D. Tho principaliter ſcriptus eſt ad notificandũ dicta & facta Prophetarum. Vnde & inter propheticos libros computatur, vt ait Hiero. *Hiero. in Prol. li. Reg.* (*quemadmodum*) ſcilic. ipſe Helias, (*interpellat Deũ aduerſum Iſrael?*) ideſt, Deum alloquitur, querens, & incuſans Iudæos impietatis, (*Domine, inquit, Prophetas tuos occiderunt*,) ſcil. Achab, & Iezabel, vnà cum iniquis Iudæorum, (*& altaria tua*) in quibus tibi ſolita erant offerri ſacrificia (*ſuffoderunt*,) ideſt, ſubuerterũt, ſeu demoliti ſunt, (*& ego*) ex omnibus filijs Iſrael (*relictus ſum ſolus*,) ideſt, vnus tui nominis cultor, vel in cultu vnius Dei. Quod quidem dixit *Tho.* Helias, vt ait D. Tho. eo quod alij non ita apertè manifeſtabant, ſe eſſe Dei cultores. Dicitur enim de eo in lib. Eccle- *Eccl. 48.* ſiaſt. Surrexit Helias Propheta quaſi ignis, & verbum illius quaſi facula ardebat. (*Et*) ideſt, etiam ſcil. nunc, (*quærunt animam meam*,) ideſt, inſidiantur vitæ meæ, vt eam mihi tollant. Miſerat enim Iezabel ad Heliam dicens, Hæc *3. R. 19* mihi faciant dij, & hæc addãt, niſi hac hora cras poſuero animam tuam, ſicut animam vnius ex illis: ſcili. Prophetis Baal, quos occiderat Helias.

At verò, quid ſibi vult quod Helias ſanctus Propheta dicatur interpellaſſe aduerſum Iſrael, cum potius deberet aſsiduas præces pro eo fundere ad Dominum, iuxta illud Samuelis dicẽtis, Abſit *1. R. 12.* hoc peccatum à me in Domino, vt ceſſẽ orare pro vobis? Sed inteligendum eſt hoc ſecundum morem Prophetarum, qui futura prædicunt nõnunquam ſtilo malè precandi: vt Hiere. confundantur

qui

qui me perſequuntur, pro eo quod eſt,
Pſ.82. confundentur. Et illud Pſalm. Fac illis
ſicut Madian, & Syſare, &c. Et illud,
Conſtitue ſuper eum peccatorem,&c.
Tametſi nihil vetat quominus ſancti
odio proſequantur malignantium eccle
ſiam, imprecantes defringi eorum po-
tentiam,qui eccleſiam Dei impugnant:
Pſal. ſiquidem in die iudicij, Lætabitur iu-
ſtus cum viderit vindictam, vtpote æ-
quiſsimæ voluntati Dei conformis.

¶ Truculentiſsimam Iudæorum rabiem,
& ſitim ſanguinis inſatiabilem,tyranni-
dem accerbiſsimam non ſolùm in vete-
res Prophetas, & in altaria Dei, verum
& in Apoſtolos Chriſti, imò & in ipſum
Chriſtum exercitam, poſſumus hîc no-
tare, quemadmodum & ipſemet Dñs
prædixit illis, inquiens, Ecce ego mitto
ad vos Prophetas, & Sapientes, & Scri-
bas,&ex illis occidetis &c, vt veniat ſu-
Mat.23 per vos omnis ſangnis iuſtus,qui effu-
ſus eſt ſuper terram à ſanguine Abel iu-
ſti,&c. Iugulauit hotū tyrannus Hero-
des Ioannē qui venerat in ſpiritu He-
liæ: & Iacobum: & videns quod pla-
ceret Iudæis, appoſuit vt aprehenderet
& Petrum. Occiderunt ipſi Chriſtum
Act.12. Deum Heliæ. Et Stephanum: & quam-
plures alios.
4 R.18. ¶ Notandū inſuper quod ſanctus Rex
Ezechias, etiam diſsipauit excelſa,& al-
taria demolitus eſt: ſed non id vitio
quemadmodum iſtis, ſed magnæ laudi
& virtuti,tribuitur ipſi, vtpotè zelo Dei
rectè factum. Fuit namq; olim prohi-
bitum à Deo vt holocauſta & victimæ
Deu.12. non offerrentur niſi Hieroſolymis. At
verò,ante templi ædificationem cōceſ-
ſum erat vt diuerſis locis altaria con-
ſtruerentur: hæc autem Achab, & Ie-
zabel, abolere cupientes diuinum cul-
tum, ſubuerterunt: ſed religioſus Eze-
chias, ædificato templo, ſanctè illa de-
molitus eſt.

6. *SED quid dicit illi diuinum reſpon-
ſum? reliqui mihi ſeptem millia virorum,
qui non curuauerunt genua ante Baal.)*
Poſt tam impiam crudelitatem, meritò
videbatur Deus prorſus abiecturus Iu-
dæorum gentem ceu deploratam. (*Sed
tamen quid dicit illi,*) ſcil. Heliæ, (*diui-
num reſponſum:*) ideſt, quid diuinitus
reſponſum eſt Heliæ? tu te Helia ſolum
putas relictum, ſed ſcire debes quod
ego (*reliqui*) ideſt,reliqua feci mihi (*ſep
tem millia virorum,*) ideſt, plura millia,
numero certo,pro incerto, propter per-
fectionem ſeptenarij, & milliarij: (*qui
non curuauerunt genua ante Baal,*) ideſt,
corā idola Baal. Nullū præter me Deū
agnoſcentes, aut adorātes. Statua Baal
erat celebris inter idola quæ colebant
Achab, & Iezabel vxor eius. Notandū *Aug.*
autem ex Aug. quod ſignificantius di-
ctum eſt, reliqui,quàm,relicta ſunt,quo
niam per gratiam Dei fuerunt ſeruata:
qui quidem ſenſus, melius applicabitur
ad prædeſtinationis opus.

7. *SIC ergo in hoc tempore, reliquiæ ſe-
cundum electionem gratiæ Dei, ſaluæ factæ
ſunt.*) Applicat exemplū ad rem propo
ſitam. Quod enim tūc accidit,vt non in
totum Deus abijceret populū, ſed ex
tot impijs, aliquem numerum ſibi fa-
ceret reliquum, idem nunc vſu venit,
vnde inquit, (*Sic in hoc tempore*) ſcilic.
gratiæ Euangelicæ, ſicuti tūc olim, nō
ſolùm quātum ad paruam numeri quā-
titatem, ſed quantum ad modum, nam
etiam illi tempore Heliæ, miſericordia
Dei ſeruati ſunt. Non enim Deus vni-
uerſam Iudæorum gentem paſſus eſt
alienari: neque reliquum mortalium
genus paſſus eſt ſuis immori vitijs,licet
ex vtroque numero pauci credant, præ
his qui credere recuſant. Sed tamē ali-
quot Deus ſua benignitate ſeruauit.
Vnde ait, (*Reliquiæ ſaluæ factæ ſunt*) ſi-
cuti contuſis, eiectiſq; paleis, ait Theo *Theoph.*
philactus, pura reſidēt grana. (*Reliquiæ,
inquit, ſecundum electionem*) hoc eſt, nō
quod generis ſint Iudaici, non quod
Moyſi legem ſeruarint, ſed quod hos
Deus elegerit è multis, quibus ſuam
munificentiam & gratiam impartiret.
Sic enim condecebat diuinam clemen-
tiam, vt populum illum, cui vni per to-
tum orbem celeberrimo, promiſsiones
factæ fuerant, in aduentu Chriſti, ope
ſua non deſtitueret. Vnde iuxta Aug. *Aug.*

primitiæ fidei ex gente illa, merito collectæ ſunt. Et quando ſola vigo ſanctiſſima, mater vnigeniti filij Dei, inde collecta fuiſſet, præclariſsimè cum gente illa actum eſſet. Fuerunt nihilominus eiuſdem populi, & ſponſus eius ſanctus Joſeph, Ioannes Baptiſta, & Zacharias, & Eliſabeth, parentes eius: Simeō iuſtus, & Anna vidua: Nathanael: ac deniq; Apoſtoli Domini: Stephanus prop-
Act. 2. tomartyr Chriſti: tria millia vno die ſacro baptiſmate tincta: deinde, vt annotauit
Chry. Chryſoſt. quinque millia, ac iterū decem millia, quorum erat anima vna, & cor vnum in Deo. Præter aliam numeroſam multitudinem, cuius mentio non habetur expreſſa in Scriptura.

8. *SI autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non eſt gratia.)* Hoc eſt, ſi per gratiam electæ, & ſaluæ factæ ſunt Iudæorum reliquiæ, iam nō ex operibus, quaſi dicat, ſi electio, & vocatio Dei, atque ſaluatio, munificētiæ eſt opus, non autem meriti, iam non imputetur factis: nam quod factis rependitur, merces eſt, non munificentia. Quod vltrò defertur immerētibus, id demum eſt beneficium. Quod ſi ſupputantur operum merita, iam beneficium deſinit eſſe beneficium, & in præmij vocabulū abijt. Pugnāt quippe ſecum, gratia quidquam donari, &, operibus reddi. Eſt enim hoc iuſtitiæ opus, vtpote merces vel præmiū: quod quidem iuſtitiæ nomen, gratia excludit, cu-
Orig. ius opus eſt mera donatio. Origenes
Ioa ga. hoc loco, vt affert Ioannes Gagneius, inteligit hæc de operibus legis dicens. Sciendum eſt quod opera quæ Paulus repudiat, & frequenter vituperat, non ſunt opera iuſtitiæ quæ mandantur in lege, ſed ea in quibus gloriantur ij qui ſecundum carnem legem cuſtodiunt: ideſt, vel circunciſio carnis, vel ſacrificiorum ritus, vel obſeruatio Sabbatorum, & Neomeniarum: hæc & huiuſmodi ſunt opera ex quibus dicit neminem poſſe ſaluari, & de quibus hoc loco dicit, quia *non ex operibus, alioqui gratia, non eſt gratia.* Certè ea videtur eſſe mens Pauli, qui tota Epiſtola, nihil aliud agat, niſi vt confidentiam in lege literæ, & externis operibus, tollat à Iudæis. Quod ſi viſum eſt, & de alijs operibus inteligi, prout multi antiquorū
inteligunt, hūc tibi ſenſum ex Photio *Photius.*
afferimus, cuius Græca ſi voles lege. Ait autem, ſi per Dei gratiā eligimur, facile eſt ad Chriſtum accedere, & in illum credere: neque enim operibus indigemus vt in illum credatur, & ad illum accurratur, ſed ſola ſufficit volūtas & electio. Per gratiam enim ſuam, non ex operibus, nos aſſumit: quod ſi gratia ſua nos vocat & aſſumit, nequaquam, eam in rem, opus habemus operibus. Hæc Photius. Ex quibus perſpicua eſt mens Pauli, quod videlicet, ad illam Dei vocationem, vtq; in Chriſtum credatur, nullis opus eſt operibus, præter vnam voluntatem. Sic latro Euāgelicus nullis operibus fidem præcedētibus eſt aſſumptus. Hoc eſt quod alijs verbis Aug. Proſper. Primaſius, & cæteri antiqui toties aſſerunt, nos ſola Dei gratia, ſine operibus fidem præcedentibus, iuſtificari. Hæc Ioa. Gagne. Cum ergo ſalus, ex gratia ſit, cur non omnes ſaluantur? quia nolunt. Gratia enim licet gratuita ſit, volentes tamen tantummodo ſaluat, non eos qui continuò aduerſantur & contradicunt. Vnde
Dominus, Hieruſalem, Hieruſalem, in- *Mat. 23*
quir, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? & Ezechiel Propheta. Quare moriemini domus Iſrael, quia nolo mortem pec-
catoris, dicit Dominus Deus, reuerti- *Ez. 18*
mini, & viuite.

9. *QVID ergo? quod quærebat Iſrael, hoc non eſt conſecutus, electio autem conſecuta eſt: cæteri verò excæcati ſunt.)* Colligit ex dictis inrentū dicens, *(quid ergo?)* ſcil. euenit? vel quid dicemus ſecundum præmiſſa? aut quid tandem concludamus? aut quorſum hæc? nēpè *(quod Iſrael,)* ideſt, populus Iſraeliticus legis fiducia *(quærebat)* videlicet, Iuſtificationem & ſalutem, *(non eſt conſecutus)* ob incredulitatem, *(electio autem conſecuta eſt,)* ideſt, ij ſolūm per fidem

ſcil.

ſcil. conſecuti ſunt vitam & ſalutē, qui non ad circuncisionem, ſed ad electionem pertinent. (*Cæteri verò,*) ideſt, maior eorum pars, (*excæcati ſunt*) malitia ſua, vt nec ſcopum cernerent, quo ſua ipſorum ſcripta lex, per prophetarum, ceremoniarumq; lucem rectà ducebat: nec viſis tot prodigijs fidem habuerūt: oculis corporeis cernentes Chriſtum tamdiù expectatum, oculis animi non videntes. Nihil ergo illis ſine fide profuit circuncisio, aut legis obſeruatio, quinimo & propter grauiſsima eorum peccata in cæcitate ſua à Deo permiſsi ſunt. Atque id etiam futurum prædixerat Iſaias, quod nūc factum videmus, ac dolemus. Vnde dicit.

10. *Sicut ſcriptum eſt, Dedit illis Deus ſpiritum compunctionis, oculos vt non videant, & aures vt non audiant, vſque in hodiernum diem.*) Vbi verbum, (*dedit,*) non actionem, effectionemq; Dei ſignificat, ſed permiſsionem. Vbi autem habemus *ſpiritum compunctionis*, pro compunctionis, Hebræi legunt, *Tardema*, ideſt, ſoporis, pro quo ſeptuaginta vertunt, *compunctionem*, quos ſecutus eſt Paulus, vt ferè ſolet: quaſi *compunctio* impræſentiarum, idem ſit quod *abalienatio* à ſenſu præ dolore, ſopori ſimilima. Vnde Theodotio *ecſtaſim* vertit, ideſt, mentis exceſſum: Aquila verò *grauem ſomnum*.

¶ Hæc autem authoritas, iuxta D. Th. *Tho.* compoſita eſt ex duobus Iſaiæ locis: *quorum primus* ſic habet, miſcuit vobis *Iſa. 29* ſpiritum ſoporis, hoc eſt, intelectus alienationem, iuxta cuiuſdam interpreta- *Pintus.* tionem. Non quod Deus, ait ille, auferat intelectum, ſed propter hominum impia ſcelera, non dat illis gratiam, nec ſpirituale lumen, vt videant veritatem. Ex quo fit vt incidant in grauiora peccata, & Abyſſus Abyſſum inuocet. Et ita nullo virtutū ſplendore mouentur. Vt enim qui viſu omnino carent, nec auri colore, nec vllius fulgentiſsimi lapidis ſplendore, nec ipſa Solis ſplendidiſsima luce mouentur, ſic illi, qui animi cæcitate laborant, nec virtutis ornamentum, excellentemq; pulchritudinem intuētur, nec ipſius Solis iuſtitiæ, & diuinæ lucis pulcherrimos, & micantiſsimos radios contēplantur: imò obcæcari, fiunt in dies deteriores. Quantum ad hanc ergo partē, vt ait D. Th. *Tho.* dicit Apoſtolus, (*dedit illis Deus ſpiritum compunctionis,*) quod pertinet ad peruerſitatem affectus: *compunctio* enim importat quandam cordis pūctionem, ſiue dolorem: *& eſt bona compunctio* qua quis dolet de proprijs peccatis, iuxta illud Pſal. Potaſti nos vino compū- *Pſal.* ctionis. Eſt autem *& mala*, ſcil. inuidiæ, qua quis dolet de bonis aliorum: & hùc ſpectare videtur D. Ambroſ. vbi *Amb.* ait *compunctionem* eſſe habitum quendam animæ ad id quod peius eſt, immobiliter ſe habentem, vt compūgi, ſit incuſſo clauo ad aliquid infigi. Hunc ergo compunctionis, ideſt, inuidiæ ſpiritum dedit eis Deus, non quidem immittendo malitiā, ſed ſubtrahendo gratiam.

¶ Alter locus Iſaiæ, ſic habet: (*Excæca* *Iſa. 6.* *cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne fortè videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat,*) hoc iuſſū Dei impleuit Iſaias, denunciando Iudæorū cor, ob impia ſua ſcelera, eſſe obcæcandum, aures aggrauandas, oculosq; claudendos, ad omnia Chriſti myſteria. Et vt nemo poteſt medico litem intendere, qui ægrotum curari nolentē deſerit, ſic nemo poteſt culpam Deo tribuere, qui Iudæos obſtinatos, & peruerſos obcæcari permiſerit. Suo enim vitio obcæcati & indurati ſunt. Quantum ad hoc ergo, vt ait D. Tho. deſig- *Tho.* nans defectum cognitiuæ virtutis, ſubdit, (*oculos vt non videant,*) ſcil. quæ Dei ſunt: quæ quidem in Chriſti miraculis, in ipſorum oculis factis, manifeſtiſsima erant, (*& aures vt non audiant,*) ſcil. fructuoſe doctrinam Chriſti & Apoſtolorum: inuidia, nimirùm, & oculos excæcante, & aures eis infœliciter obturante, quales in hunc vſque diem obſtinati permanent. Et meritò quidē, ac iuſto Dei iudicio id factum eſt. Etenim quia ſpiritum illum ſanctum ac lenem Chriſti reiecerunt, odio habētes eum & ſuos fideles, eo quod opera le-

gis, & cuſtum eius non requirit, idcirco Deus immiſit illis *ſpiritum aſperum, ac ſpinoſum, & intractabilem*, vt quod *oculis* cernunt, tamen perinde negent, quaſi non videant: quod *auribus* audiunt, tamen non magis eos moueat, quàm ſi non audiant. Et *hunc ſpiritum*, *Tho.* vt ait D. Tho. dedit illis Deus, non quidem immitendo malitiam, ſed ſubtrahendo gratiam. Tales olim erant Prophetiſ, tales fuerunt ipſi Chriſto, tales & in hunc vſque diem ſunt Euangelij præconibus. Quod vtique verbum, ſcil. (*vſque in hodiernum diem*,) de ſuo addit *Tho.* Apoſtolus, vt ait D. Tho. Nam in fine mundi videbunt, & audient, quando cõuertentur corda filiorũ ad patres eorũ, *Mal. vl.* vt ſcriptum eſt per Malachiam Prophetam.

11. *ET David dicit, Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, & in captionem, & in ſcandalum, & in retributionẽ illis. Obſcurentur oculi eorum ne videant, & dorſum eorum ſemper incurua.*) David quoque oculis propheticis vidit hanc Iudæorum miſeriam, ac dignum, tanta pertinatia aduerſus cœleſte numen, exitium imminere vaticinatur: vnde verbum, *fiat*, non optantis, ſed prophetan- *Aug.* tis eſt, iuxta Aug. & D. Tho. (*fiat*) in- *Tho.* quit, ideſt, fiet, (*menſa eorum*) ideſt, apparatus carnalium, ſeu temporalium promiſsionum, quæ ſunt (*coram ipſis*,) nam in eas habent intentos mẽtis ſuæ oculòs: (*in laqueum*,) ideſt, in occaſionem mortis, ſcil. vertatur, (*& in captionem*) qua tanquam laqueo irretiãtur ad perditionem, (*&*) ſcil. fiet. (*in retributionem*) ſcil. finalem, poſtquam non ſperent aliam, (*in*) ſcil. fiet, (*in ſcandalũ*,) ideſt, in ruinam, quæ illos ab æterna faciet ſalute cadere, quia dum temporalibus inhærent promiſsis, cœleſtia & ſempiterna longè meliora negligunt. Vel (*menſa*,) ideſt, ſacra Scriptura Iudæis appoſita, vt veris eius ſenſis paſcãtur, & potentur: quæ quidem *fit in laqueum* quando occurrit aliquod ambiguum. *In captionem*, quando malè intelligitur: *in ſcandalum*, quando ruit in pertinatiam erroris. Ac vt vno verbo dicat, *in retributionem*, dum ſiniſtra ſacrarum ſcripturarum inteligentia, ſtrangulantur & pereũt: quæ videtur pœna factis debita, iuſtaq; eorum retributio. *Nam quemadmodum* Chriſto Deo ſuo, *fel* in eſcam, *acetumq;* in potum appoſuerunt: ſic eorum *menſa* fiat illis in laqueũ amaritudinis, & doloris, & mor- *Pſal.* tis peſsimæ peccatorũ. Alludens in hoc ad ingenia, quibus illaqueantur, & capiuntur animalia: ſic Iudæi præ ſua inuidia, & ſuperbia ſeducti ſunt, & irretiti per literam falſo ſcripturæ intellectu. Sequitur, (*obſcurentur oculi eorum*,) ideſt, acies mentis obſcurabitur, quod eſt defectus potẽtiæ cognitiuæ, (*ne videãt*) ſcil. veritatem, (*et dorſum eorum ſemper incurua*,) ideſt, ſemper ipſi in ima reſpicient, vt ſolent qui dorſo incuruato ambulant: idq;, vel temporalia ſemper bona reſpiciẽdo, vel ſub põdere, & ſeruitute legis, grauiter inſudãdo. Quæ omnia ita fieri apertè videmus, quando propter temporalium promiſsionũ reſpectũ, in quem intendunt ex legis conſuetudine, Chriſtum abſq; illis venientem cõtempſerunt: & ijs quæ ab ipſo appoſita ſunt, frui noluerunt: quæq; oculis & auribus exhibita, auerſati ſunt. Nec curarunt vt erectis in cœlũ oculis, agnoſcerent conditoris erga ſe benignitatem: ſed humili legis litteræ affixi, faſtidiũt ſublimia, aſpernãtur æterna, temporarijs rebus addicti. Circumferunt Moyſi libros, nec eos inteligũt. Legũt Prophetas, & ab ijs promiſſum negãt. Quoties fuerunt iſti propter ſuã proteruiam puniti, & incuruati? nam ab Ægyptiaca ſeruitute, poſt quadringentos annos ſunt liberati. A Babylone, *Act. 7.* poſt ſeptuaginta. Tamen maiorẽ incur- uationem, quàm præſentem, nunquam *Hier. 29* experti ſunt, quæ incepit à morte Chriſti. Quod vtiq; debebat illis eſſe maximo argumento ſuæ cæcitatis, & delicti maximi, quid dicam de illis, niſi quod Dominus ipſe, poſt adorationem vituli aurei dixit ad Moyſen amicum ſuum, ſtantem cum illo in monte ſancto, Cer- *Ex. 32.* no, inquit, quod populus iſte duræ ceruicis ſit? Similiter & Aarõ, frater Moyſi, ad eundem, Tu noſti, inquit, populũ iſtũ, quod pronus ſit ad malum.

12. *Dico ergo, nunquid ſic offenderunt*
vt caderent? Abſit, ſed illorum delicto, ſa
lus eſt gentibus, vt illos æmulentur) Do-
cuit hactenus Iudæorũ caſum nõ fuiſse
vniuerſalem: nunc verò incipit oſten-
dere nõ fuiſſe inutilem, neq; irreparabi
lem, ait autem. Dictum eſt ſuperiùs, &
probatum, quod cæteri Iudæi præter
electos, excæcati ſunt, capti ſunt, incur-
uati ſunt, obſurduerũt: (*Nunquid ergo*
ſic offenderunt vt caderent?) Huius eſt
Tho. duplex ſenſus, vt docet D Th. Prior ſic,
nunquid Deus permiſit eos offendere
ſolum vt caderent, ideſt, propter nullã
aliam vtilitatem inde prouenientẽ, ſed
ſolùm volens eos cadere? Quod quidẽ,
vt ait D. Tho. eſſet contra diuinam bo-
nitatem, quæ tanta eſt, vt inquit Aug.
Aug. in quod nũquam permitteret aliquid ma
Enchir. li fieri, niſi propter bonũ quod ex ma-
Iob. 34 lo elicit. Vnde beatus Iob, Conteret,
inquit, multos, & innumerabiles, & ſta-
re faciet alios pro eis. Et in Apocalyp.
Apo. 3. Tene quod habes, ne alter accipiat co-
ronam tuam. Quia ſcilic. Deus aliquos
ſic permittit cadere, vt quorum caſus
ſit aliorum ſalutis occaſio. Sic fuit de
lapſu Angelorum, quorum ſedes & co-
ronas, arripiunt homines iuſti. *Alter*
ſenſus eſt: num ita lapſi ſunt Iudæi vt
prorſus conciderent, nulla reſurgendi
ſpe relicta? aliquando enim caſus pro
totali lapſu ſumitur, vt Amos. 5. & Iſa.
Amos. 5 14. quomodo cecidiſti Lucifer, qui mane
Iſai. 14 oriebaris? Soluit quæſtionem quantum
ad primũ intellectum dicens, (*Abſit,*)
vt ſcil. inutiliter caderent Iudæi, (*ſed*)
ideſt, imò. (*illorum delicto ſalus eſt gen-*
tibus,) ſcil. occaſionaliter facta, illiſq;
fæliciter incidit Iudæorũ lapſus. Nam
cum iuxta Domini ſententiam, ſalus
ex Iudæis eſſet, eorum lapſus occaſio
fuit vt gentes ad fidem aſciſcerentur.
Nemo tamen hoc ita inteligat, vt gen-
tes, niſi depulſis Iudæis, viam ſalutis
ingredi non potuerint: quaſi Deus nõ
poſsit totum humanum genus, ſinu in-
finitæ miſericordiæ ſuæ excipere: impia
enim eſſet de Deo Opt. Max. talis co-
gitatio, & licet prædeſtinatorũ numerus
ſit certus, vult tamen omnes ſaluos fie-
ri, & ideò per Chriſtum, & eius Apoſ-
tolos, aperta eſt ſalutis via omni credẽ
ti, Iudæo primum & Græco.
Deinde etiam magnopere cauendũ eſt,
vt vel minima ſuſpitio aliquem tãgat,
conſultò Deum excæcaſſe eieciſſeq; Iu-
dæos, vt gentes ingrederentur: ne Deũ
conſtituamus authorem mali: malitia
enim Iudæorum & cruditas cordis, in
cauſa fuit prorſus incredulitatis, & per-
ditionis eorum: ſed Deus bonus & op-
timus, benè vſus eſt Iudæorum malo,
quod ab ipſis ortum habuit: ſicuti in-
duratione Pharaonis vſus eſt ad exal-
tationem nominis ſui. Vnde non ait
Apoſtolus, quod finis delicti fuit ſalus,
Sed quod delicto, ſalus comparata eſt.
¶ Hoc autem delictum ſumi poteſt tri
pliciter, primò, pro delicto mortis Chri *Tho.*
ſti, quem ipſi interfecerunt, vnde ſalus *1. p.*
gentibus per redemptionem ſanguinis
Chriſti promanauit. Qui niſi illi Chri-
ſtum detuliſſent, feciſſentq; reum mor
tis, nullæ forſan in eum gẽtes vſq; adeò
deliquiſſent: vnde & Pilatus ſubducere
ſe niſus eſt tanto ſceleri. Deinde ſumi
poteſt, pro delicto quo doctrinam Apo
ſtolorum repulerunt. Hæc autem repul
ſa, fuit occaſio qua Apoſtoli conuerſi
ſunt ad gentes. Vnde Paulus, Vobis, in- *Act. 13*
quit, oportebat primùm loqui verbũ
Dei, ſed quoniam repuliſtis illud, con-
uertimur ad gentes. Nam iuxta Chryſ. *Chry.*
Saluator Dominus non ſimpliciter inhi
buit diſcipulos ire in viam gentiũ, ſed
vt irent potius, ideſt, prius ad oues Iſ-
rael: id quod manifeſtè patet in para-
bola inuitatorum ad cœnam, ad quam *Mat. 10*
cum illi venire renuiſſent, dimiſsi ſunt
tanquam indigni, vocatique ſunt alij,
coactiq; ex vicis & plateis. Tertiò ſu-
mi poteſt pro delicto impœnitentiæ
Iudæorum, propter quam in omnes
gentes diſperſi ſunt, portantes librum
veteris teſtamenti, à quo Chriſtus & Ec
cleſia habuit vtique teſtimonium fidei *Tho.*
Chriſtianæ, ad conuertendos Gentiles
qui ſuſpicari potuiſſent Prophetias de
Chriſto, quas prædicatores fidei indu-
cebant, eſſe confictas, niſi Iudæorum
teſtimonio probarentur. Cum enim ini
mici ipſi noſtri pernegantes adueniſſe
Meſsiam, vniuerſum mundum oberrẽt,
con-

confitentes ac prædicantes vetuſtiſsimā promiſsi fidem, ſuumq; offerentes teſtamentū, in quo ſigna perſpiciuntur clariſsima, teſteſq; inuictiſsimi, tùm tē poris, tùm etiam, qualitatum & conditionum eiuſdem venturi Meſsiæ, maximo fides noſtra ſtabilimento ſolidatur. Vaticinauit hoc ipſum regius Vates
Pſ. 30. Dauid, vbi inquit, Deus oſtendit mihi ſuper inimicos meos, ſcilic. Iudæos, ne occidas eos, ne quando obliuiſcantur populi mei, diſperge illos in virtute tua. Sequitur in littera, (*vt illos æmulentur*) ſcil. Iudæi imitentur Gentiles, tanquam apud quos vera ſalus inhibiter, & per hos illi prouocentur ad ſalutem. Vult enim docere Paulus, Iudæorum cæcitatem non ſolùm gentibus, verum etiam ipſis Iudæis vtilem fuiſſe. Nam vt Iudæorum lapſus, occaſio fuit vt gentes ad fidem aſciſcerentur, ſic viciſsim Iudæi, gentium exemplo, vel in fine mūdi ad pietatis ſtudium perpellantur, cum plenitudo gentium intrauerit, & ſic impleatur quod dictū eſt,
Deu. 28. Ille erit in caput, & tu eris in caudam. Et ſicut Iudæorum à Chriſto defectio, gentibus ad Chriſtum veniendi viam apperuit, ita fides gentium Iudæos extimulet aliquādo, vel æmulatione quadam ad credendum. Et non ſolùm, vt diximus, in fine mundi conuertentur, quando omnis Iſrael ſaluus fiet, verū etiam quotidie particulariter conuertū tur. *Experientia* enim compertum eſt,
Soto. vt ait Magiſter Soto, Iudæorum plurimos, æmulatione perculſos Chriſtianorum, in noſtram ſe conferre familiam. *Cernunt enim oculis, aduenisse nobis omnia bona cum ſapientia Chriſtiana:* quoniam hæc, acceſsionem facit rerū, quibus floret humana fœlicitas: nempè, regnorum, potentatum, cū optima reipub. gubernatione, & dignitate: adeò, vt ſi ad Chriſtianas leges ſyncerè, & cā didè vitam duceremus noſtram, Chriſtiani eſſent inter omnes mundi nationes florentiſsimi, honoribuſq; publicis humanæ congruentibus dignitati, fulgentiſsimi. Sed heu tempora luctuoſa, vbi ſunt modo Chriſtiani? vbi mentis puritas? vbi charitatis feruor? vbi ſpes æternorum? Vbi zelus pietatis? O quāta Dei obliuio tenet nunc Chriſtianorum animos. Quantus luxus, & honorum ambitus nos exagitat, perturbat pacem, excæcat mentem. Pernitioſiſsima carnis licentia, ſub nomine libertatis velata, ſcripturam peruertit, fidem dilaniat, religionem proſcindit, apoſtaſiam parit, rebellionem nutrit, hęreſes fouet, fauetq; diſsidijs. Ecquis modo in fidelium cum tales ſimus æmulari nos velit, aut cogitet, eum tales nos videat? Ego puto quo dnemo. Sed De° omnipotens, propter nomen ſuum, ſuā inſtauret Eccleſiam.

13. *QVOD ſi delictum illorum, diuitiæ ſunt mundi, & diminutio eorum, diuitiæ gentium, quanto magis plenitudo eorum?*) Sumit argumentum ex oppoſito, quod non rarum eſt Apoſtolo, vt oſtēdat quod Iudæorum lapſus non ſit irreparabilis. Si enim ex diminutione, & abiectione Iudeorum ob ſua ſcelera, tantum diuitiarum mundo, & tantum gentibus cōmodum occaſionaliter allatum eſt, quanto magis plenitudo eorū, diuitiæ ſunt mundi & gentium? quanto vberiorem fructum mundus & gentes percipient, quando vniuerſus Iſrael credet? Hoc eſt enim quod *plenitudinem* vocat. Eſt argumentum à maiori, nam ſi de malo quod per ſe aduerſatur bono, per accidentariam occaſionem diuina ſapientia tantum eduxit bonum, quanto magis de bona ipſorum conuerſione, quæ per ſe ordinatur in bonū, poterit mundum ad optimum perducere ſtatum. Tunc enim conuerſus populus, fiet vnius paſtoris vnum ouile, quod abſque vlla æmulatione iuſtitiam Dei vnanimiter percolat, ſitq; vtriuſq; cor vnum, & anima vna. Hinc manifeſtè patet diuinum propoſitum ad optima ſemper tendere: & idcirco vniuerſus Iſrael, ad fidem tandem perducendus eſt, vt plenitudo ſalutis & gratiæ Chriſti ante finem mundi conſumatur: id Mat. 24
quod inferius beatus Paulus expreſſa ſententia pronuntiat. Atqueadeò qui (iuxta verbum Domini) ſi mandata eius ſeruaſſet, conſtituendus erat in ca- Deu. 28
put,

pur, culpa ſua conſtituetur in caudam. D. Thom. hoc loco, inter *delictum & diminutionem* diſcernit ſicuti inter culpam & pœnam, vt *diminutio* accipiatur pro deiectione à celſitudine gloriæ, qua Iudæi fulgebant in orbe apud Deum. Ad quem ſenſum expoſita eſt littera Apoſtoli. *Diuitias* autem mundi & gentium vocat eas de quibus ipſe
1.C.1. inquit ad Corinthios, In omnibus diuites facti eſtis in illo, in omni verbo, & in omni ſcientia, ſicuti teſtimonium Chriſti confirmatum eſt in vobis, ita vt nihil vobis deſit in vlla gratia, expectantibus reuelationem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui & confirmabit vos ſine crimine, in die aduentus Domini noſtri Ieſu Chriſti. Et Iſaias Propheta, Diui-
Iſa.13. tiæ, inquit, ſalutis, ſapientia & ſcientia, timor Domini, ipſe eſt theſaurus eius.

14. *VOBIS dico gentibus, quãdiu quidem ego ſum gentium Apoſtolus, miniſterium meum honorificabo, ſi quomodo ad æmulandum prouocem carnem meam, & ſaluos faciam aliquos ex illis.)* Adhibet rationem aliam ad idem propoſitum, vt ſcil. oſtendat quod Iudæorum caſus non eſt irreparabilis, nec eorum ſalus deſperata. Propter res enim deſperatas, non eſt prudentia, aliquam ſuſ-
1.Io.5. cipere curam, iuxta illud Ioan. eſt peccatum ad mortem, nolo vt quis oret: ego verò (ait Paulus) etiam nũc curo, & laboro pro Iudæis, ſi quos eorum, æmulatione veſtri ad fidem prouocem, non ergo deſperata mihi eſt eorum ſalus. Dirigit itaque ſermonem ad ſolos gentiles conuerſos dicens, (*vobis dico gentibus*) quaſi dicat, vos appello gentes vt meos, (*quandiu ſum gentium Apoſtolus*) ideſt, veſter Apoſtolus, licet genere ſim Iudæus: quamuis veſtra cauſa nihil non faciam, tamen (*miniſterium meum honorificabo,*) ideſt, adnitar, ſcilic. magis illuſtrare munus Apoſtolicum mihi cõmiſſum, non quidem his quæ ad ſecularem honorem pertinẽt, ſed in primis quidem bonis ornatisq; moribus, nę cum alijs prædicauerim, ipſe reprobus appaream. Deinde operibus quampluribus per ſupererogationem, ad quæ nõ teneor. Tertiò, maxima ſolicitudine circa omnium ſalutem: pro viribusq; conabor quamplurimos veſtrum ad Chriſti ſocietatem pellicere, pellectosq; Chriſto dignos exhibere (*ſi quomodo,*) ideſt, ſi qua fieri poſsit, vt hac ratione (*prouocem carnem meam*) ideſt, gẽtem meam, *meam* quidem affinitate generis, licet fide alienam: (*ad æmulandum*) ſcil. pietatem veſtram vel inuidia quapiam ac liuore, vt eſt zelotypum genus, (*et*) ſcili. ita (*ſaluos faciam aliquos ex illis*) hoc eſt, ſi cunctos non queam adducere, ſaltem aliquot ex illis ſeruem.

¶ Sunt multa natu digna in hoc loco: primum, quonammodo Paulus tanquã fidelis miniſter fouet propoſitum Dei, qui Iudæorum delictum vertit in ſalutem gentium, vt illas æmulẽtur. Deinde, gentes ſibi cõmiſſas adeò effert virtute & gloria, vt vel ſic Iſraelitæ ipſi qui peculium fuerant Dei, illarum æmulatione reuocarentur in gregem Chriſti. Ad hæc, difficultatem & obſtinationẽ Iudæorum præfefert, dum ait, (*Si quomodo ſaluos, &c.*) vt vel hac ratione eos Chry. aliquantulum moueret ad fidem. Præterea naturalem ſanguinis affectum oſtendit dum ait, (*carnem meam,*) nam vſqueadeò eſt hominibus inſitus, vt etiã in illo epulone Tartareis flãmis tradito perduraret, qui reuocari in lucem exoptabat, vt quinque ſuos fratres admoneret. Nil ergo mirum ſi in ſanctiſsimis viſceribus Pauli ardenter vigeret. Quibus quoque verbis eorum animos cenetẽ demulcet, emollitq;, vt fraterna ſua monita amanter & beneuolè ſuſcipiant, & amplectantur. Tandem, authoritatem ſui Apoſtolatus patefacit, dum ait, (*vt ſaluos faciam*) non quod quidquam ſibi ſumat gloriæ: (nouerat enĩ proprium eſſe Dei munus, ſaluos facere credentes) ſed inteligendum eſt, (*faciam*) ſcil. tanquam fidei miniſter, colendo agrum dominicum, ſicuti in alio loco ipſe dicit, Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit. 1.C.3.

15. *SI enim amiſſio eorum reconciliatio eſt mundi, quæ aſſumptio, niſi vita ex mortuis?)*

quis?) Exponit quod præmiſerat ſcil. *(vt ſaluos faciam,)* alludens ad illud Saluatoris, Non ſum miſſus niſi ad o- *Math.* ues quæ perierunt domus Iſrael. Et ad *Hier. 50* illud Hierem. Grex perditus factus eſt populus meus. Paulus verò tanquam miniſter ſummi paſtoris Chriſti, opta- *Pſal.* bat inuenire ouem quæ perierat, propter inſigne bonum quod inde ſperabat euenturum. Vnde inquit, *(ſi enim amiſſio,)* ideſt, iactura vel caſus *(eorũ,)* ſcil. Iudæorum, propter ſuam incredulitatẽ *(reconciliatio eſt mundi,)* hoc eſt, orbi penè vniuerſo occaſionem attulit reconciliationis, per ſancti Euangelij prædicationem, quæ ab illis repulſa in gentes pertranſijt, & dum illi excidũt à gratia, gentes ad gratiã admiſſæ ſunt, *(quæ aſſumptio)* ſcil. illorũ erit? hoc eſt, ſi malum illorum benè ceſsit mundo, quantò plus boni fuerit, ſi qui nũc alieni ſunt, per fidem aſſumuntur velut è mortuis rediuiui, propterea, quid inquam erit talis aſſumptio *(niſi vita ex mortuis?)* quaſi dicat nihil aliud ſanè erit, quàm ſi à mortuis quis ad vitam redeat. Hoc eſt, grande illis reaſſumptis erit beneficium, & cæteris magni materia gaudij. In cœlo erit ſumma iocunditas: nam ſi gaudiũ eſt illic ſuper vno peccatore pœnitentiã agente, quale gaudium erit ſanctorum Angelorum de tot hominum conuerſione? Proculdubio erit perfectum conſũmatumq; gaudium. Et in terra etiam erit ſumma lætitia inter iuſtos, tùm propter gloriã Dei magnam, tùm propter ſalutem proximorum: vtrumq; enim ardenter amant iuſti. Inter peccatores fideles erit ſummus conatus ad pœnitentiam, dum videant Iudæos qui mortui erãt per peccatum infidelitatis, iam viuificatos per gratiam Chriſti. Multum enĩ mouent exempla ad virtutẽ. Propterea Chriſtiani tunc tepidi in fide & charitate Chriſti, caleſient exemplo conuerſorum ad opera pietatis, & vt ait D. *Tho.* Thom. qui totaliter cadent decepti ab Antichriſto, Iudæis conuerſis, in priſtinum feruorem reſtituentur. Et etiam ſicut Iudæis cadentibus, gentiles poſt inimicitias ſunt recõciliati, & facti Deo amici, de perditis primis amicis: ita poſt conuerſionem Iudæorum, imminẽte iam fine mundi, erit reſurrectio generalis, per quam homines ex mortuis ad vitam immortalem redibunt, vt aiũt *Tho.* D. Th. Orig. & Chryſoſt. quoniam re- *Orig.* ſurrectio generalis tunc futura eſt, cum *Chry.* Euangelica tuba intonuerit, ſuumque *Mat. 24.* effectum obtinuerit in vniuerſum mũdum, nempè omnium conuerſionem. Nam finis Euangelici muneris, vniuerſalis conuerſio eſt. Propterea, vt annotabit Chryſoſt. ſicuti Iudæorum amiſſio non fuit cauſa, ſed occaſio reconciliandæ gentilitatis, talis occaſio erit reſurrectionis, eorundem ſuſceptio. Nam impleto fidelium numero, nihil iam ſupereſt, niſi corporum reſurrectio.

Obſeruandũ ex D. Th. hoc loco, quod *Tho.* *amiſſio*, idem eſt, quod incredulitas, & inobedientia Iudæorum, ſicuti dicitur ſeruus amiſſus, quando ſub cura & obedientia ſui Domini refugit eſſe. *Aſſũptio* verò dicitur eorum conuerſio, quia Deo trahente facienda eſt. Beatus, in- *Pſal.* quit, quem elegiſti, & aſſumpſiſti. Et ne- *Ioa.* mo venit ad me, niſi Pater meus traxerit eum.

16. *QVOD ſi delibatio ſancta, & maſſa: & ſi radix ſancta & rami.)* Adhibet tertiam rationẽ ad confirmandam ſpẽ inſtaurandæ ſalutis Iudæorum, ex natura & conditione generis ipſorum, vbi *delibatio* iuxta D. Tho. dicitur id quod ex maſſa paſtæ ſumitur, quaſi ad probandum. Et eſt alluſio ad legem illam pacificorũ, qua iubebatur populus pro gratiarum actione, collyridas offerre o- *Leu. 7.* lei admixtione cõſperſas: de quarũ guſtu ſumebatur indicium totius maſſæ, vt quales collyridæ, talis eſſet & tota maſſa. Aut delibatio, ſecundum Ioannẽ *Gag.* gagneium, ſignificat primitias fructuũ, & decimas Deo offerri ſolitas. Delibationem autem hoc loco, ſiue primitias, vocat Apoſtolus ſanctos Patres & Patriarchas, probans illorum exemplo non eſſe Iudæos, modo velint, prorſus abiectos, idq; metaphora ſumpta à frugibus. Si enim primitiæ ac decimæ, *ſiue delibatio*, ideſt, fruges Deo delibatæ, ac

con-

conſecratæ, *ſancta ſunt*, nihil vetat & totum corpus ſanctum eſſe, modo ne aliũ de inquinetur. Sic & nihil vetat reliquos Iudæos ab illis ortos, ſanctos eſſe, aptitudine, non actu, vt docet S.Tho. Ad hunc itaque ſenſum explanari quoque poteſt metaphora radicis ad ramos: quos enim vocauit delibationem, eoſdem vocat *radicem*: & quos maſſam, vocat *ramos*. Poteſt tamen vſurpari *delibatio* pro Apoſtolis, inſignibusq; conuerſis ex Iudaiſmo. *Radix* verò, pro antiquis Patribus. Vtcũque ſe res habeat, ſiue delibatio primitias Deo delibatas & conſecratas ſignificet, ſiue id per quod indicium rei ſumitur, Apoſtoli ſenſus videtur eſſe huiuſmodi non deſperandum ſcil. de vniuerſa Iudæorũ gente, ob quorundam impietatem. Nã ſi gentes à religione alienæ, Deo vocãte ad veram religionem adduci potuerunt, quid vetat ex gente Iudaica ad fidem reuocari, quæ pios habuerit autores, ac principes? imò magis eſt cõſentaneum, vt ex pijs naſcantur pij, quod exordium ferè ſapiant, quæcunq; hinc proficiſcuntur. (*Si igitur delibatio vel primitiæ ſancta*) id eſt, ſi Apoſtoli, vel Patriarchæ ſancti ſunt, oportet etiam vt (*& maſſa*) id eſt, cæteri Iudæi, ſancti ſcil. in potentia habeantur: quando *delibatio*, ſiuè primitiæ, ſint pars totius maſſæ, ſiue corporis, vnde deſumpta eſt delibatio. (*et ſi radix*,) ſcil. arboris ſancta eſt, par eſt vt (*& rami*) è radice profecti, ſancti etiam ſint, hoc eſt, ſi Iudæi, generis ac ſtirpis autorẽ habent Abraham, cuius fides Deo probata eſt, quid vetet poſteros autoris ſui fidẽ referre? Quod ſi non faciũt, deſinunt eſſe illius nepotes, non ſecus ac ramus deſinit radicis ali ſucco, ſi defringatur. Talis ergo cum fuerit Iudæorum origo, talis eorũ delibatio, talisq; radix: non eſt ob patrum merita, de eorum ſalute deſperãdum penitus: neque vobis gentilibus ſcil. iam fidelibus, vlla ratione aduerſus illos ſuperbè, aut contentioſè, agendũ.

NON eſt autem contemnenda & Origenis interpretatio qui nomine vtroq; & *primitiarum* ſcil. & *radicis*, vnum Dominum Ieſum Chriſtũ intelligit, qui eſt *primitiæ* reſurgentium, & *radix* renaſcẽtium in eius membra: vt ſit ſenſus, ſi ille fuit ſanctus ſine macula, & *maſſa*, id eſt, corpus eius myſticũ quod eſt Eccleſia: & *rami* ei inſiti, id eſt, membra ſui corporis, quæ ſunt Chriſtiani, ſunt participes ſanctitatis. Non ergo terga vertant Iudæi, ſed pro viribus curent inſeri huic bonæ radici, accedant ad gloriæ ſplendorem Chriſtum, & lucis ſuæ radijs illuminentur ab illo, vt ſic illuminati, id eſt, Chriſtiani iam facti, nõ amplius pudefiant apud gẽtes, quæ eos propter incredulitatem, tot, tantisq; afficiunt contumelijs.

17. *QVOD ſi aliqui ex ramis fracti ſunt, tu autem cum oleaſter eſſes, inſertus es in illis, et ſocius radicis & pinguedinis oliuæ factus es, noli gloriari aduerſus ramos. Quod ſi gloriaris, non tu radicẽ portas, ſed radix te.*) Analogia oleæ & oliuæ, gentium faſtum retundit Paulus, germanam oleam ſiue oliuam faciens Iudæos, ſicut Hieremias, ait, oliuam vberem, pulchram, fructiferam, ſpecioſam vocauit Dominus nomen tuum. Germen enim quod ſucco Spiritus ſancti alitur, & fructificat, oliuæ inter fertiles arbores comparatur propter lenitatem, ſuauitatemq;, & pinguedinem olei, quibus vbertas repræſentatur diuinæ gratiæ, & miſericordiæ. Idcirco Iudæorum gens, propter vniuerſales fructus ſpirituales, quos attulit nobis, oliuæ meritò comparatur. Ex ipſis natus eſt Chriſtus ſecundum carnem plenus gratia & veritate, de cuius plenitudine nos omnes accepimus. Ex ipſis orta eſt ſtella matutina, hoc eſt, beatiſsima mater eius Maria, Virgo ſanctiſsima, colũna & firmamentum ſpei & conſolationis noſtræ. Ex ipſis habemus duodecim Apoſtolos Chriſti, tanquam duodecim mũdi magiſtros, ſummosq; Theologos, qui primitias Spiritus acceperunt, ac proinde pinguedini oliuæ rectè comparantur. Oleaſter verò imaginem oliuæ præſefert, ſterilis tamen eſt, & infructuoſus, & amarus. Gentilem itaque populum oleaſtrum vocat, qui nihil dulcoris

Marginalia: Tho. — Orig. — Pſal. — Hie. 11 — Ioa. 1.

coris ex germana oliua habebat, priuſquàm inſitus eſſet in radicem oliuæ bonæ, hoc eſt, in fidem patrum, ac Patriarcharum. Nam & ſi Ethnicorum nonnulli per gratiam Dei ſeruabantur, erant tamen quàm rariſsimi: maximè vbi vitiorum tempeſtas, caliginem obduxerat lumini naturali. Vetat igitur, hos gloriari contra Iudæos, eo quod in bonam oleam inſiti ſunt, hoc eſt, in locum Iudæorum aſſumpti, neque ſupra ſe efferri, ſed in timore conſiſtere: quoniam futurum ſit, vt ſi in fide non permanſerint, à bona olea reſecentur: Iudæi verò qui inde reſecti ſunt, fidem aprehendentes, inſerantur. Quia ſi is qui natura erat ramus oleaſtri, præter naturam ſuam in germanam oliuam inſitus eſt, quanto magis Iudæi qui natura ſua de vera olea participant, rurſus in eam inſerentur? Ordinatur autē littera in hunc modum. Dixerat in vltimis verbis, *ſi radix ſancta, & rami:* inquit nunc (*quod ſi aliqui*) non omnes, (*ex ramis*) id eſt, ex Iudæis (*fracti ſunt*) id eſt, diuiſi propter infidelitatem, è ſua natiua arbore, in qua primùm nati ſunt, nimirum à fide patrum, qui comparantur radici, propter quam quoque fidem comparantur oliuæ: quanto minus mirum ſit, ſi defringi contingat in alienam inſitos arborem? Proinde ſi tu Gentilis vides Iudæos, è ſancta radice veræ oliuæ natos, ceu natiuos ramos, defractos, reuulſosq; ob incredulitatem à ſua ſtirpe, ſic vt nihil illis proſit radix, (*tu autem*) Gentilis, cum in ſtatu gentilitatis (*oleaſter eſſes,*) hoc eſt, ex oleaſtri radice prodieris, dum ex parentibus idololatris ſis progenitus, (*inſertus es in illis,*) id eſt, pro illis, vel loco ipſorum. Non natura, ſed arte, & voluntate Dei inſitus es, & implantatus bonæ oliuæ, & inter illius ramos accitus, cooptatusq;, ſecūdum ſpiritū, filius Patriarcharum per virtutem fidei, factus, ſic vt exemptus iam ab infrugifera gentilitatis ſtirpe (*ſocius,*) id eſt, conſors & particeps (*factus es radicis*) alienæ, videlicet, Patriarcharum & Prophetarum. Conſors etiam & particeps (*pinguedinis oliuæ,*) id eſt, Apoſtolorū qui primitias ſpiritus Chriſti habuerūt: cum igitur in te videas hanc fœlicitatem, in Iudæis talem miſeriam: illos, tanquam ramos in veræ oliuæ arbore natos, reciſos exareſcere: te, alieno ſucco, lætum ac frugiferum eſſe cernis: & licet has occaſiones gloriandi habere videaris, (*noli gloriari aduerſus ramos,*) id eſt, caue ne ob id tibi ſtultè placeas, ac ramos reſciſos, id eſt, Iudæos faſtidias. (*quod ſi gloriaris*) hoc eſt, ſi efferris animo, ſi inſoleſcis, ſi intumeſcis, dicetur tibi ad compreſsionem gloriæ tuæ (*non tu radicem portas, ſed radix te,*) hoc eſt, non ſuper te radix plātata eſt, ſed tu ſuper radicem adiunctus es: Iudæa non accepit à gētilitate ſalutem, ſed potius èconuerſo. Nam ſalus ex Iudæis eſt. Et Abrahæ promiſſum eſt quod in ipſo benedicendæ eſſent omnes gentes: qui vtique Abrahā *Ioa.4.* fuit Iudæorum radix ſanctiſsima ſecūdum carnem, ſecundum verò ſpiritum, omnium credentium, ſiue Iudæorum ſiue gentilium.

Notandum videtur in hoc loco, quod inanis gloria pro maiori parte, vel maximè contingit hominibus qui ex infimo ſtatu aſſumuntur ad aliquam dignitatem: huiuſmodi ſolent eſſe ſubditis intolerabiles, nam iuxta Sapiētem, *Pro.30.* propter tria mouetur terra, & quartū non poterit ſuſtinere, per ſeruum cum regnauerit, &c. Quocirca ad omnem dignitatem tam ſecularem, quàm Eccleſiaſticam deligendi ſunt nobiles, qui prudentia & virtutibus ſint ornati. Omnia enim ſapiunt ſuum exordium vnde proficiſcuntur. Gentiles olim ad fidem conuerſi, ramiq; oliuæ prætioſę gratia Dei effecti, tumidos & amaros ſe exhibebant in Iudæos, tamquam oleaſtet vnde prodierunt. Quanto igitur maior es, humilia te in omnibus, & nemo quantūuis peccator videatur, eſt cōtemnendus, cum Paulus Iudæos ipſos à fide Chriſti alienos, non ſinat contēni.

18. *DICIS ergo, fracti ſunt rami vt ego inſerar: benè, propter incredulitatem fracti ſunt: tu autem fide ſtas.*) Excludit obiectionem gentilium qui contra Iu-

Iudæos ſtultè ſe poterant iactare, quod
ſcilic. Iudæos ideò proieciſſet Deus vt
gentes ſeruaret tamquam præclariores,
Nemo enim ſuſtinet detrimentum rei,
niſi propter aliam prætioſiorem, & ma-
gis dilectam, ſicut medicus permittit
infirmitatem eſſe in pede, vt ſanet ocu-
lum. Hinc ergo gẽtilitas videbatur ſibi
prætioſior & magis Deo accepta quàm
Iudæa, vt in eorum mentem veniret
talis cogitatio, audentes apud ſe dicere
(fracti ſunt rami) ſcil. natiui, ideſt, Iu-
dæi, *(vt ego inſerar)* cum tamen non
in eorum gratiam fracti fuerint, licet
conſequutum eſt vt insererentur. Quæ-
nam ergo fuit cauſa deffectus Iudæo-
rum, & promotionis gentilium? nimi-
rùm, illorum incredulitas: horum verò
fides. Vnde dicit, *(benè, propter incre-
dulitatem fracti ſunt: tu autem fide ſtas.)*
quaſi dicat, rectè quidem dicis quod
fracti ſunt, cum è radice ſint nati: ſed
vide quamobrẽ fracti ſint: certè *(pro-
pter incredulitatem.* Propter hanc iacẽt,
& calcantur illi. Deus enim quantum
in ſe fuit omnem lapidem mouit, vt il-
los ſeruaret: miſit filium ſuum qui il-
lis prius tanquam domeſticis prædica-
uit, dilucidauitq; veritatem: erat enim
ille lux vera, quæ illuminat omnem ho-
Ioa.1. minem venientem in hunc mundum.
Quamobrem cõquerebatur ipſe, quod
cum veritatem illis diceret, nolebant
Ioa. illi credere: imo fecit inter illos ſigna,
quæ ſi facta fuiſſent in Tyro, & Sydo-
ne, gentiles ei credidiſſent. Et alibi etiã
dicitur, quod propter eorum incredu-
litatem nõ fecit in illis virtutes plures.
(Tu autem fide ſtas) nimirùm, in arbo-
re vitæ *ſtas fide*, ſcil. fulciente. Quo ver
bo aufert gentilibus & alteram ſuper-
biæ anſam, oſtendens non viribus ſuis
naturalibus, ſed fide ſubnixos ſtare, quia
ſcil. infinita Dei bonitate inſiti ſunt in
fide Abrahæ, à qua naturales filij defe-
cerunt.
Aug. Hæc autem inſitio, iuxta Aug. Ambr.
Amb. & Orig. facta non fuit ſecundum leges
Orig. agriculturæ: non enim ſterilis arbor
fœcundæ, prætioſioriq; impingitur, ſed
Surculus illius quæ fæcunda eſt, inſeri-
tur ſterili agreſtiq; ſtipiti. Nam inſer-
tus ramus eſt qui alimentum ſterilis
ſua virtute vertit in ſuam ipſius bonam
ſubſtantiam, vnde fert fructus. Deus
tamen vice verſa, cum ſit totius iuſtitię
fons, ſterilem oleaſtrum inſeuit oliuæ,
vnde fructuoſum exugeret ſuccum.
Inſitum itaque in ſpirituali, non ſuam
retinet naturam, ſed radicis ſequitur
fœcunditatem, nihil à ſe, ſed à radice
habens. Exemplo altiſsimi Sacramenti
altaris eſt manifeſtum, vbi dignè ſumẽ-
tes illud, mirabiliter mutantur in cor-
pus Chriſti, vt ipſemet Dominus, Bea-
to Aug. contemplanti hoc diuinũ my- *Idẽ Au-*
ſterium, dixiſſe ſcribitur, non ego mu- *gu. ſcrib.*
tabor in te, ſed tu mutaberis in me.
Manentq; proinde homines, poſt dignã
Euchariſtiæ ſumptionem, igne Chriſti
ſplendentes, veluti carbones quidam ig-
niti. Idem poſſumus dicere de reliquis
Sacramentis, quibus confertur gratia;
quæ facit homines diuinæ conſortes
naturæ. Nam qui manet in charitate,
ait Ioa. in Deo manet, & Deus in eo. *1.Io.4.*
In corporali verò inſitum, non ita cõ-
tingit, ſed è contrà, nam ſuam ſeruat
naturam, & ex infertili radice, redditur
fœcundior. Et quemadmodum natura
corporalis ex ſe proferre poteſt diuer-
ſas rerum ſpecies, ita & quæuis anima
arbitrij libertate, vel ad libidinem, vel
ad pietatem formatur, vt vnusquiſque
ſecundum propoſitum ſuæ mentis, aut
bona oliua, aut oleaſter amarus nomi-
natur. Habet enim in ſe natura ratio-
nalis ingentẽ arbitrij libertatem, qua,
vel obedire ſi velit prouocanti, vel ſi
nolit, ſpernere poſsit hortantem. Ad
rem igitur redeuntes, cum fide fulciẽte
ſtemus in arbore vitæ, ſcil. in Eccleſia
quæ eſt bona oliua, cuius ſũma radix,
eſt Chriſtus qui eſt fons gratiæ & to-
tius bonitatis: hac radice eſt modo *Iſa.11.*
gloriandum in qua vniuerſa plantatur
Eccleſia: quam ſi ſponſam facis, Chri- *Ioa.3.*
ſtus ſponſus eſt: ſi corpus, Chriſtus ca- *Eph.3.*
put eſt: ſi templum, ſi ciuitatem, ipſe *Iſa.28*
lapis eſt angularis & prætioſus. Dein-
de cum dicit.

19. *NOLI altum ſapere, ſed time.)*
Hortatur ad humilitatem & timorem

cæſtum, ne ſimiliter illis contingat, vt Iudæis infœlicibus. Inquit ergo, (*Noli altum ſapere,*) ideſt, noli de te vltra teipſum præſumere. Siue, noli reconditas Dei rationes perſcrutari, nimirùm cur Iudæos non vrgentioribus ſtimulis inſtigauerit, iuueritq; : te autem adduxerit. Hoc enim eſſet altiora te quærere, eoq; inſolentiæ efferri, vndè præcipitatus interires. Addit autem, (*Sed time*) veluti ille qui faſtigio eſt fidei: nam & ſi Deus prompta te voluntate cuſtodiat, non tamen compulſum te retinet, ſed potes libertate lubrici tui arbitrij corruere. Noli ergo gaudere malis alienis, quinpotius eorum infœlicitas te doceat modeſtiam : ex eorum calamitate diſce quid tibi ſit metuendum, ſi ſimiliter peccaueris. Vnde dicit.

20. *SI enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat.*)
Naturales ramos vocat Iudæos, ex eo
quod naturali origine ex Patriarchis
deſcenderunt. Vel quia domeſtici & familiares
Dei erant, quibus Deus quaſi
propriæ hæreditati, ſingulariter erat in
Deum protectorem, & in domum refu-
Pſal. gij. Sicuti natura filios iræ nos alibi
vocat : non quod peccatum ſit naturale,
vt ſunt noſtri oculi, ſed quod generatione
naturali contrahitur. Et quáuis
gratia non deriuetur ſucceſsione naturali,
ſpeciem nihilominus quandam habebat
in illo populo. ſecundum humanum
modum inteligendi, hæreditariæ
ſucceſsionis : qua de cauſa poterant Iudæi
quodammodo præ gentibus dici
Gal. 2. naturales rami. Vnde Paulus, Nos, inquit,
natura Iudæi, & non ex Gẽtibus
peccatores. Sententia itaque Apoſtoli,
Tho. & ſolutio argumẽti, vt ait D. Tho. cõſiſtit
in hoc, quod cum aliquis videt ſe
gratiam adeptum alio cadente, nõ debet
extolli contra cadentem, ſed magis
timere ſibi ipſi, quia ipſa ſuperbia eſt
cauſa præcipitij, & timor eſt cauſa cuſtodiæ
& cautelæ. Vnde Sapiens, Bea-
Pro. 28. tus, inquit, homo qui ſemper eſt pauidus.
In hac autem littera aiunt per eclipſim
deeſſe; *Vide*, ſcil. vide ne fortè, nec
tibi parcat : aut abundare hanc particulam, *enim*, prout ſæpe contingit græcis, & tum ſenſus eſt, (*Noli altum ſapere*) ideſt, ne inſoleſcas, ne vè elato ſis animo, (*ſed time.*) (*Si Deus naturalibus ramis,*) ideſt, Iudæis, (*non pepercit,*) nec illis quidquam profuit quod ex ſanctis Patribus oriundi, ad populum Deo peculiarem pertineant, (*ne forte*, vel, *nequando, nec tibi parcat,*) quaſi dicat, periculum eſt, ne tibi quoque parſurus non ſit, ſi illum arrogantia, & ingratitudine alienaris.

21. *VIDE ergo bonitatem, & ſeueritatem Dei : in eos quidem qui ceciderunt, ſeueritatem : in te autem bonitatem.*)
Inducit Gentiles fideles in diligentem diuinorum iudiciorum conſiderationẽ, vt ſcili. à Iudæorum caſu diſcant, quid vitent : ſuaq; ipſorũ fœlicitas, non ſibi criſtas addat. ſed diuinæ in ſe bonitatis admoneat. Eſt quod ſibi gratulentur, & vnde Deo gratias agant : non tamẽ eſt quod inſultẽt abiectis. Iudæus iure exciſus eſt, gentilis præter meritum inſitus. Vtrũq; in Deo perpendere iubet dum ait, (*Vide ergo bonitatem, & ſeueritatem Dei.*) Illa gratitudinem docet, hæc ſupercilium ac ſuperbiam dedocet. Illius conſideratio, tribuit ſpem : huius verò, timorem : vt vitetur deſperatio, & præſumptio. *Eſt autem ſeueritas*, cẽſoria iudicis grauitas, nihil de rigore iuris remittentis. Huius exemplũ proditum eſt in Iudæos, qui à priſtino ſtatu prolapſi ſunt in hanc cæcitatem, vt Chriſtum tot ſeculis expectatum contumelijs inſectentur. *Bonitas* verò in præſentiarum, ſignificat benignitatem, vbertatemq; diuinæ miſericordiæ. Hanc in ſeipſo Gentilis expertus eſt, qui gratis aſcitus fuit ad tam eximiæ fœlicitatis conſortium, quæ nec generi prophano, nec vitæ impiæ debebatur. Meditetur itaque gentilis ad fidem cõuerſus, *ſeuerum iudicium Dei* in miſeris Iudæis, & non inſoleſcat, nec efferatur animo, ſed ſibi formidãs, caueat. Deoq; optimo pro ſua immenſa bonitate, gratias ſummas indeficiẽter agat. Iudæus verò, à ſeueritatis metu, quam in ſe expertus eſt, perculſus, & ſpe bonitatis

quam

quam in gentibus contuetur, allectus, ſummam adhibeat curam ac diligentiã, vt in ſalutis viam reducatur. Et ille qui iuſtus ſibi eſſe videtur, non nimium ſibi placeat, vti Phariſæus Publicanum deſpiciens: ſed ſibi idem metuat, quod in miſero cernit: illiq; optet, quod ſe putat per miſericordiam Dei poſsidere. Iniquus tandem non deſperet, ſed de benignitate diuina, cuius alterum potiri exiſtimat, ſpem concipiat qua animetur ad virtutem. Deinde cum dicit.

22. *SI permanſeris in bonitate, alioquin & tu excideris.)* Oſtendit quo tenore debeant in prædictis hæc conſiderari,
Tho. nimirùm, non immobiliter, vt ait S.Th. ſed ſicut quod poteſt mutari in futurum. Nam ſalus noſtra munus eſt Dei, ſic tamen vt in noſtra ſit poſitum libertate, tam opitulanti Deo aſsérire, quàm eius fauorem auerſari: propterea inquit, *(in te)* dico, quàmtalibet polleas ſanctitate & iuſtitia *(vide bonitatẽ Dei)* operantem, eo tamen tenore, *(ſi permanſeris in bonitate,)* ſcili. vſque in finẽ, dignè viuens illa benignitate, quam tibi Deus præſtitit. Ita enim præcepit nobis dicẽs, Manete in dilectione mea.
Ioa. 15. *(Alioquin)* ſi per timorem & humilitatem non dederis operam ad permanẽdum, *(& tu excideris)* quiſquis fueris, ſine perſonarum acceptione eijcieris, atque reprobaberis, iuxta illud, Omnis
Mat. 3. arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Quãobrem Chriſtianus omnis cui ſemel cõdonata ſunt admiſſa vitæ priſtinæ, ſemel fauore numinis cooptatus eſt in numerum filiorum Dei, inteligat tamen ſic eſſe cooptatus, vt qui citra ſuum meritum aſcitus eſt, ſuapte culpa poſsit excidere. Nam auferet ab ingrato Deus, quod gratis largitus eſt, niſi beneficiũ agnouerit, niſi munere diuino rectè vſus fuerit. Ingratitudo perdet, quod bonitas donauit. Arrogantia perdet, quod obedientia lucrifecit. Hoc ni cauerit iuſtus, rurſum excidetur ab olea, in quã inſitus eſt.

¶ Facit hoc contra hæreticos Lutheranos, aſſerentes quod à regno Dei excidere non poteſt ille, qui verè recepit Euangelium, in eo errore poſiti, vt dicant, quod ad ſolos prædeſtinatos verè pertineat Euangelium, atque eius gratia: cuius cõtrarium tenet & docet nos orthodoxa fides, quoniam ſiuè reprobi, ſiuè prædeſtinati, & verè ſunt ſæpenumero in gratia à qua excidunt, & verè rurſum in culpa à qua reſurgunt. Vnde Paulus, Qui ſtat, inquit, videat ne *1.Cor.10.*
cadat. Et idem, Vide ne & tu tenteris. *Gal.6.*
Et Beatus Euangeliſta Ioannes, Tene, *Apo.3.*
inquit, quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam. Deinde cum dicit.

23. *SED & illi ſi non permanſerint in incredulitate, inſeretur.)* Oſtendit idem quantum ad Iudæos, nam quanuis iniqui re non vtantur auxilio Dei veluti iuſti, quoniam tamen prope eſt Deus omnibus qui ſeſe non auertunt, dicere poſſumus, quod licet in facultate peccatoris non ſit ſalus immediate poſita, hoc ſaltem in eius arbitrio ſitum eſt, vt poſsit, ſi velit, diuinis vti ſuppetijs, quibus illam obtineat. Proinde dicit, *(ſed & illi)* ſcil. Iudæi, *(ſi non permanſerint in incredulitate,)* hoc eſt, ſi mutarint id, quod illos alienat à Deo, nimirùm incredulitatem, *(inſerentur,)* ſcilic. denuò in bonam oliuam, vnde reſecti ſunt: & eò reponet fides, vnde deiecit incredulitas, hoc eſt, in fideliũ numerũ vnde exciderunt, rurſus deputabũtur.

24. *POTENS eſt enim DEVS, iterũ inſerere illos.)* Probat ex diuina potẽtia, quod Iudæorum ſalutem gentiles non deberent habere quaſi deſperatam, nã *(potens eſt Deus)* ſi modo velint Iudæi *(iterum inſerere)* vnde deiecit *illos.* Nõ
enim abreuiata eſt manus Domini, vt *Iſa.59.*
ſaluare non poſsit. Ideò quantum ad potentiam Dei attinet, non eſt de eorũ ſalute deſperandum. Hoc ipſum etiam probat per locum à minori, dum ait.

25. *NAM & ſi tu, ex naturali exciſus es oleaſtro, & contra naturam, inſertus es in bonam oliuam, quanto magis ij, qui ſecundum naturam inſerentur ſuæ oliuæ?* Eſt firmiſsima ratio, vehemen-

tiorq; exageratio quàm ſuperior vbi collegerat, ſi Deus naturalibus ramis, &c, vehementior inquam quanto micā tior apparet Dei miſericordia, ac fulgē tior, quàm eius iuſtitia. Inquit igitur (*nam ſi tu*) ò Gentilis (*ex naturali exciſus es oleaſtro,*) id eſt, ex prophanis natus prophanus, ceu defectus (*ex oleaſtro,*) id eſt, ex gentilitate, quæ naturaliter erat infructuoſa: non quidem
Gen. 1. prout Dominus fecit naturam, quoniā ſic erat valde bona, ſed ſecundū quod corrupta eſt per peccatum: quod vtiq; cum ſit praua peccatoris conſuetudo, poteſt iure dici quaſi altera ipſius natura, iuxta id quod vulgò dicitur, conſuetudo eſt altera natura. Et ſic forſan intelligitur illud Sapientiæ, Iniqua eſt natio eorum, & naturalis malitia ipſorū. (*inſertus es in bonam oliuam,*) id eſt, in ſocietatem ſanctam Chriſtianorum, nempè, ex parentibus infidelibus progenitus, filius Patriarcharum, imò filius Dei factus: & idcirco hoc *contra naturam* particularē, ſcil. maſſæ corruptæ effectum eſt. Hæc enim non ad bonum, ſed ſemper tendit ad malum. Aut (*contra naturam,*) id eſt, contra cōmunem curſum naturæ, vel contra natiuitatis rationē, talis inſitio facta eſt. Non enim cōſueuit ramus arboris malæ inſeri in bonam arborē, ſed potius ècontrario. At verò quamuis hoc contingat contra naturam particularem, non eſt tamen contra vniuerſalem naturam, quæ Deus eſt, cui omnis rerū machina obedientiſsimè paret, & ideò nihil ipſe agit contra naturam: nullā enim vim infert rebus, ſed omnia diſponit ſuauiter. Quemadmodum fluxus & refluxus maris, licet ſit aliquo pacto contra naturam particularem, nempè aquæ, quia tamen fit ab influxu cœlorum cui mare ſubditur, non eſt ſimpli-
Tho. citer contra naturam, vt ait S.Thom. ita Deus quidquid facit in creatura ei obedientiſsima, non eſt contra naturam: agit nihilominus multa ſupra naturam, vt cum viſum cæco, mortuo vitam reſtituit. Conuerſio itaq; gentiū, & vniuſcuiuſq; peccatoris, *contra naturam* particularem maſſæ corruptæ, & ſupra naturam cœlorum, & omnium rerum effecta eſt, efficiturq; quotidie: & ideò de ipſa tanquam de ingenti ope re miramur dicentes, hæc mutatio dex-
teræ excelſi, à Domino factū eſt iſtud, Pſal.
& eſt mirabile in oculis noſtris. Si igitur hoc factum eſt, *contra naturam* particularem, vt ſcil. abiectus populus, agreſtisq; oleaſter, familiæ Dei inſeretur (*quanto magis,*) id eſt, quanto citius ſcil. fiet, vt (*iſ*) ſcil. Iudæi, (*qui ſecundum naturam,*) id eſt, naturali origine, ſcil. ex pijs parentibus orti, pertinent ad gentem ſanctam, (*inſerentur ſuæ oliuæ*) ſcil. natiuæ, vndè defecti fuerunt, id eſt, redibunt, ſi velint, ad ſui generis indolem, originisq; ſimilitudinem, hoc eſt, ad fidem quæ in patribus ſemper claruit, vt ſic reſtituatur in priſtinam dignitatem.

26. NOLO *enim vos ignorare fratres myſterium hoc, vt non ſitis vobis ipſis ſapientes, quia cæcitas ex parte contigit in Iſrael, donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret.*) Proponit factum diuinorum iudiciorū, videlicet, conuerſionis Iudæorum in fine ſeculi, cum plenitudo gentium intrauerit: vt ſic gentibus, frenos humilitatis: Iudæis verò, calcaria virtutis adhibeat. Cum igitur Iudæorum ſobolē, oliuam feciſſet: gentilitatem verò, oleaſtrum loco cadentium ramorum ſuffectum, & idcirco admonuiſſet gentiū populum ne altum ſaperet, ſubdit ſtatim, (*Nolo enim vos ignorare fratres myſterium hoc,*) quaſi dicat, aperiam vobis arcanum quidam, quod fortaſsè ſilentio tegendum erat, ni veſtra referret me loqui, videlicet, (*vt non ſitis vobis ipſis ſapientes*) hoc eſt, ne vobis arrogantia placeatis, quòd ſcil. Iudæis prælati videamini. Et non ſolùm ex hoc poterant gentes inſoleſcere, verum etiā ex eo quod putarent, Iudæos abſque vlla ſpe ſalutis, in æternum proiectos eſſe, & ideò dicit ſe nolle vt myſterij ignorantia obtenebrati, ſibi ipſis videātur ſapientes, cum reuera non eſſent. Myſterium autem, ſiue arcanum fuit hoc, nimirùm (*quod cæcitas ex parte con-*

tigit

tigit in Iſrael, &c.) quaſi dicat, cæcitas hæc incidit in gentē Iudaicam, ſed nec in vniuerſam, nec in perpetuum: hoc eſt, non in omnem Iſrael, ſed in partē tantum, cæcitas hæc contigit & induratio, nec ea in perpetuū, *(donec,)* ideſt, quouſque *(plenitudo gentium intraret,)* ideſt, gentiles omnes crediderint, *(& ſic omnis Iſrael ſaluus fieret)* ſitq; vnum ouile, & vnus paſtor.

27. *Cæcitas contigit in Iſrael.)* Facit hoc contra hæreticos, non enim Deus fuit cauſa cæcitatis Iudæorum, vt blaſphemantes aſſerunt, cum nihil aliud Deus fecerit quàm permittere: qua permiſsione, quinimo Iudæorum peccato, voluit vti in ſalutem gentium.
Non ergo Deus excæcauit eos, ſed
Ambr. malitia ſua, & legis zelus, vt ait Ambr.
Aug. in Et beatus quoque Aug. inquit, quod
ſerm. de illuminatio cæci nati, myſterium illumi
illu. cæ. nandæ gentilitatis adūbrabat: in quod
nati. iudicium venit Chriſtus in mundum, tāquam lumen quod illuminat omnē hominem, vt qui non vident, videant:
Ioa. 1. ideſt, qui ſe non videre humiliter confitentur vti gentes, illuminētur. Et qui vident, cæci fiant: ideſt, qui cæcitatem ſuam non confitentur vti elati Iudæi, grauius obdurētur, & eòuſq; grauius, vt lumen ipſum ſuum crucifigant, quæ
Luc. 1. crucifixa lux, cæcos illuminat.

28. *DONEC.)* Ordinem dicit conuerſionis Iudæorum, ac Gentiū. Fuit autem ſic, primitiæ Iudæorum, primitias Gentium anteceſſerunt, in cuius ſignum prius paſtores adorauerūt natum Saluatorē, quàm Magi: prius Baptiſta, & Apoſtoli, & Simeon, & alij Iudæorum ſuſceperunt fidem, quàm Cornelius & Paulus Sergius, qui Primitiæ fuerunt gentium: atque id nimirum in honorem legis. Sic enim oportebat fieri, vt ſcil. quæ tot ſeculis poſita erat illi populo, vt viam, veluti dux fidei, ſterneret venturo Meſsiæ: eadem, veniēti primam faceret oblationem mundi. Sed tamen, quia cæcitas Iudæorum per occaſionem via fuit qua gentes ingrederentur, duratura eſt quoaduſque plenitudo Gentium ſeruandarum, fidem recipiat. Et tunc perfuncta eadem cæcitas vices ſuas, per eiuſdem fidei lucē abſtergetur, vt omnis intret Iſrael.

29. *Plenitudo gentium, & omnis Iſrael.)* De his eſt graue dubium, videlicet, Quidnam per gentium plenitudinem, Quid per omnem Iſrael, qui ante extremum diem ſaluandus eſt, inteligat nunc Paulus? An forſitan velit hoc, vt ſcil. nec vnus quidem Iudæus, aut Gētilis, aut Mahometus manſurus, qui nō
fidem Chriſti recipiat. Origenes vide- *Orig.*
tur inteligere hoc de plenitudine prædeſtinatorum, vt illi ſcilic. ſint prorſus conuertēdi, qui ſunt prædeſtinati, vnde ait, Quisnam ſit iſte omnis Iſrael qui ſaluus fiet, vel quæ erit iſta plenitudo etiam Gentium, Deus ſolus nouit, & vnigenitus eius, & ſi qui fortè amici eius ſunt. Sed de hac Orig. ſententia, nemo eſt qui dubitet. Paulus verò aliquid ſublimius docere videtur, cui cōſonat Iſaias, qui per multa verba non
tractat niſi de hac Iudæorum conuer- *Iſa. 40.*
ſione, inquiens, ſi ad cardines cœli fueris diſsipatus, inde retrahet te Domi-
nus Deus tuus. D. etiam Auguſt. & D. *Aug. in*
Hierony. autores ſunt, imò publicitùs *decib.*
hoc eccleſia amplexata eſt, quod circa *Hiero.*
finem mundi, dimittendi ſunt Helias, *Pſ. 20.*
& Enoch, qui ſuperſtites modo ſunt, vti
apud Malachiam pollicitus eſt Deus, *Mal. 4.*
quorum prædicatione conuocādus, cōuertendusq; eſt populus Iſrael in Eccleſiam Ieſu Chriſti. Ego, inquit, mittam vobis Heliam Prophetam, antequā veniat dies Domini magnus, & horribilis, & conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum. Qui apperiendo ſpiritualem ſenſum ſcripturæ, efficiet vt ſenſus populi tunc ſuperſtitis, concors ſit ſenſui Patrum.
Penes quod eſt maximè notanda illius populi tenacitas, qui Chriſtum cū Apoſtolis repellentes, ſolis ſuis prophetis. fidem dabunt. Firmiſsimè igitur tenendum eſt, plenitudinem Gentium, omnemq; Iſrael, receptum iri in Eccleſiam Chriſti, ante diem illum Domini magnum. Quoniā Pauli teſtimoniū

irrefragabile eſt. Cæterùm, vtrùm nomen plenitudo, ita ſit arctè intelligendum, vt nulla in vllo mundi angulo perſona remanſura ſit in ſua perfidia, an verò plenitudinem vocat eum ſolum numerum, quem Deus decreuit adducere iuxta Orig. vel omnem ferè gentilitatem: aliorum eſto iudicii, inquit Magiſter Soto, addens non eſſe dubiū, quin dies illa quam Antichriſti perſecutio præueniet, inuentura ſit pleroſque in diuerſis inuolutos criminibus, qua de cauſa prænuntiatur ventura tanquā fur in nocte, & quod ſit homines occupatura, vt ait Chriſtus, ſicuti in diebus Noe, edentes, & bibentes, & vxores ducentes. Si ergo aliorum ſcelerū genera, illuc vſque durabunt, coniectura ſit, vt & infidelitatis quoque impietas, ſit in aliquibus duratura. His tamen non obſtantibus, *nomen plenitudinis, & omnis Iſrael*, manebit in credentibus: credentes enim ſuſtinebunt perſonam totius generis, ſiue Iudæorum, ſiue gentium. Et hoc modo videtur planus Apoſtoli ſenſus, perinde ac ſi ita diceret, *Iudaeorum caecitas ex parte illis contigit*, *donec gentium* numerus fuerit expletus, quibus nunc Iudæorum lapſus aditum apperuit, *& ſic omnis Iſrael ſaluus fiat*, vbi ſcilic. prædicatione ſanctorū Heliæ, & Enoch, illuminentur eorum mentes, ad intelligendas ſanctas ſcripturas, vbi viderint vniuerſum orbē florere profeſsione fidei Chriſtianæ, ſuum illum Meſsiam fruſtrà expectari, vrbem, templum, ſacra, gentem diſsipatam, ac ſparſam, incipient, receptis oculis, tandem errorem ſuum agnoſcere, & intelligent Chriſtum Ieſum, verum eſſe Meſsiam: atque ita totus Iſraeliticus populus ad ſalutē reſtituetur, quāuis nunc ex parte degenerarit. Tunc enim verè dignus erit hoc cognomine, cum Chriſtum Deum, ac Dei filium, oculis fidei cernere cœperit.

Soto.

30. *SICVT ſcriptum eſt, Veniet ex Sion qui eripiat, & auertat impietatē à Iacob.*) Authoritate prophetica confirmat ſententiam ſuam Paulus, vt ſic magis credatur. Vtrūq; enim prædictum eſt ab Iſaia, fore ſcil. vt Iudæi deciderēt, fore vt reſipiſcerent: alterum videmus euenisse, atq; ipſa res fidem arrogat vaticinio: alterum expectamus ſimili fide euenturum. Sic autem habet vaticinium ſecundum noſtram litteram, (*Et timebunt qui ab Occidente, nomen Domini: & qui ab ortu Solis, gloriam eius, cum venerit quaſi fluuius violentus, quem ſpiritus Domini cogit, & venerit Sion Redemptor.*) Vbi manifeſtè patet (*Sion,*) datiui eſſe caſus, vt ſubiuncta declarant verba, videlicet (*et his qui redeunt ab iniquitate in Iacob.*) Quæ quidem verba quaſi digito demonſtrant conuerſionem Iſraelis in verum Iacob. In ſeptuaginta verò, quos more ſuo citat Paulus, ſic legitur, (*Veniet ex Sion, qui eripiat, & auertat impietatē à Iacob.*) Vbi primò tangit Saluatoris aduentū, dum ait, (*Veniet*) ſcil. Deus humanatus ad ſaluandum nos, (*ex Sion,*) ſcil. cœleſti venit in mundum vt homines expiaret, eorumq; ſcelera ſanguine ſuo deleret. Vel (*ex Sion,*) ideſt, de Iudæorum populo, qui ſignificatur per Sion, quæ erat arx Hieruſalem, quæ eſt metropolis Iudeæ. Huc pertinet illud Zachariæ dicentis, Exulta ſatis filia Sion, iubila filia Hieruſalem, ecce Rex tuus veniet tibi manſuetus. Vel ideò dicit (*ex Sion*) eum venire, non quod ſit ibi natus, ſed quia inde doctrina eius exiuit in vniuerſum mundum, ex eo quod ſancti Apoſtoli in cœnaculo Spiritum ſanctū receperunt. Vnde Iſai. de Sion, inquit, exibit lex. Deinde ponit ſalutē per Chriſtum Iudæis oblatam cum ait, (*Qui eripiat, & auertat impietatem à Iacob.*) Et poteſt referri ereptio, vt ait S. Tho. ad liberationem à pœna: auerſio verò, à culpa. Vel vtrūq; ad liberationem à culpa. Sed dum ait, (*eripiat*) deſignat paucitatem eorum qui nunc conuertuntur, nimirùm difficiliter, & quaſi violenter, eripiendo illos tāquam ab ore rugientis Leonis, ideſt, aduerſarij noſtri diaboli: alludens ad illud Prophetæ dicentis, quomodo ſi eruat paſtor de ore Leonis duo crura, aut extremum auriculæ, ſic eruentur filij Iſrael. Cum verò ait (*auertat*) deſignat facilitatem

Iſa. 59.

Zac. 9.

Tho.

Amos. 3

tatem conuerſionis Iudæorum in fine mundi: alludens etiam ad illud Micheę *Mic.vl.* dicentis, Quis Deus ſimilis tui, qui auſers iniquitatem, & transfers peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ?

31. *ET hoc illis à me teſtamentum, cum abſtulero peccata eorum.*) Teſtamentum hoc loco, pro fœdere & pacto videtur *Iſ.59.* ſumi, nam in Iſaia, poſt prædicta verba, ſic legitur ſecundũ noſtra mlitterã, (*hoc fœdus meũ cum eis, dicit Dominus.*) Pepigit olim Deus fœdus cum gente Judæorum, quod mitteret illis Saluatorem, non quidem corporum, aut rerum temporalium, ſed animarum, quarum eſt vera ſalus, quod videtur explicare Paulus, dum ait, (*Cum abſtulero peccata eorum,*) nam hæc verba, non habẽtur in Iſaia. Id fœdus eum Iudæis ſemel ſancitum, non ſinet Deus irritum fieri quorundam culpa, qui ſe præbent promiſsis indignos. Non deerunt tamẽ aliqui, qui, vt dictum eſt, totius generis perſonam ſuſtineant: in his prorſus implebitur eum in fine mundi abſtulerit ab eis peccata eorum.

Quidam verò aiunt, hæc verba adiecta eſſe à Paulo, ad interpretandum quomodo eripuerit, auerteritq; Deus impietatem à Iacob: non enim hoc fecit beneficio teſtamenti veteris. Nam iuxta *Heb.10.* Apoſtolũ, impoſsibile eſt ſanguine hircorum, & taurorum auferri peccata. Et *Tho.* ideò, vt ait S.Th. propter imperfectionem veteris teſtamenti, promittitur eis nouum teſtamentum, dicens per Hiere. *Hier.31* feriam domui Iſrael, & domui Iuda fœdus nouum. Quod quidem habebit efficatiam ad remiſsionem peccati per ſanguinem Chriſti, vt ipſemet docet, inquiens, hic ſanguis meus noui teſtamẽ-*Mat.26* ti, qui pro multis effundetur, in remiſſionem peccatorum. In hoc hæret ſemper Apoſtoli animus, vt auferat à Iudęis omnem occaſionem arrogandi ſuæ legi ſalutis beneficium. Propterea inquit, (*& hoc teſtamentum*) ſcil. non vetus, ſed nouum, erit, (*illis à me*) iuxta id quod promiſſum eſt per Hierem. dicentem, Dabo legem meam in viſceribus eorũ. Erit inquam illis, (*cum*) virtute ſcilic. illius (*abſtulero peccata eorum*) cui proinde beneficiũ ſalutis debetur, non veteri: dimittentes igitur hoc, aſſument illud.

32. *Secundum Euangelium quidem, inimici, propter vos: ſecundum electionem autem, chariſsimi, propter patres.*) Cohibet adhuc iactantiam gentilium, oſtendens quod Iudæi non ſic exciderint à gratia Dei, vt reconciliari non queant, ſi reſipiſcere velint, oſtenditq; hoc, tùm ex mira Dei beneuolentia erga patres: tùm etiam ex diuina promiſsione ipſiſmet Patribus facta. Cum ergo dixiſſet quod Iudæorum peccata auferentur, ſubdit ſtatim inquiens, quod poſtquã peccata habent, ſunt (*inimici,*) ideſt, ſub odio & ira Dei, (*ſecundum Euangelium,*) ideſt, ratione Euangelij ab ipſis non recepti. Pleriq; enim eorum litteræ legis adhærentes, illud nõ recipiũt. At verò ne quid inſultetis, (*propter vos*) id contigit, ideſt, vobis in bonũ ceſsit: quandoquidem Euangelium illis reijcientibus, citiùs ad vos delatum eſt. Cæterùm (*ſecundum electionem*) ideſt, ratione electionis, ſeu electorũ ex illo populo, vel quatenus ad gentem pertinent quam Deus ſibi ex omnibus vnã, vt peculiarem delegit (*cariſſimi,*) ideſt, Deo apprimè dilecti *propter patres* ſanctiſsimos, ex quibus prognati ſunt, & quibus diuinæ factæ ſunt promiſsiones: horũ inquam cõmendatione chari ſunt. Proinde facilius in gratiam recipiẽtur, ſi reſipuerint, quod horum patribus dilectis, & ſanctis, Deus promiſerit id quod nos prædicamus. Nemo tamen hic, hoc meritum patrum referat ad meritum quod vocant de condigno, vt ſcil. propter illud conferenda ſit filijs ſalutaris gratia, ſicuti ob meritũ Chriſti confertur nobis, (blaſphema enim eſſet talis cogitatio) ſed ait (*propter patres,*) ideſt, propter eximiam erga eos Dei beneuolentiam, & propter Dei promiſſiones eiſdem factas. Eo enim miſerabiliores ſunt Iudæi reliquis totius orbis, quod beneficio ſuis maioribus, ac parentibus promiſſo, ſint orbati: eoq; ſunt à nobis maiori ex charitate, tùm orationibus adiuuandi, tùm etiam inſ-

tantibus

tantius exorandi, & adducendi.

33. *SINE pœnitentia enim ſunt dona, & vocatio Dei.)* Ad maiorem huius ſententiæ inteligentiam, notandum ex *Tho.* D. Tho. quod quemadmodum dicitur Deus iraſci, non quod in eo ſit cómotio iræ, ſed quia admodum irati ſe habet, quantum ad punitionis effectum: ita quandoque pœnitere dicitur, non quod in eo ſit pœnitentiæ commutatio, ſed quia admodum pœnitentis ſe habet dum mutat quod fecerat, vt cótigit in diluuio, quo deleuit Deus hominem quem creauerat, & quoniam ſic volebat eum punire, ideò dixit, pœ*Gen. 6.* nitet me feciſſe hominẽ. Et per Hie*Hier. 18* rem. Loquar, inquit de gente & de regno, vt ædificem & plantem illud: ſi fecerit malum in oculis meis, pœnitẽtiam agam ſuper bonum quod locutus ſum vt facerem ei: hoc eſt, non ædificabo, nec plantabo illud. Deinde ex *Tho.* eodem D. Thom. donum, hoc loco, ſumitur pro promiſsione quæ fit ſecundum Dei præſcientiam, vel prædeſtinationem. Vocatio autem accipitur pro electione: quia propter certitudinem vtriuſque, quod Deus promittit iam quodammodo dat: & quos elegit, iam quodammodo vocat: & iuxta hũc modum (*dona Dei,*) ideſt, diuinæ promiſsiones Genti Iudæorum factæ. (*& vocatio Dei,*) ideſt, electi ex Iudæis, & iam quaſi à Deo vocati, (*ſunt ſine pœnitentia*) ſcilic. Dei, non enim ſic pollicetur ſedaturum Deus, aut ſic adoptat, vt poſt pœnitudine tactus, mutet ſententiam, hominum more. Sic etiam fuit facta iuramento promiſsio perpetui Sacerdotij Chriſti, ſecundum *Pſal.* ordinem Melchiſedech, qui panem & vinum obtulit, ſub figura Corporis & Sanguinis Chriſti, quod in Eccleſia ſancta Dei quotidie offertur, tàm pro viuis, quàm pro defunctis. Hæc hoſtia benedicta, & hoc Sacerdotium ſanctũ, nunquam defficiet in Eccleſia, quia iurauit Dominus, & non pœnitebit eũ, &c. eſt Deus prorſum immutabilis, in quem vt non cadit errare, ita non cadit pœnitere.

¶ AT verò ipſum temporale Dei donum, & temporalis vocatio, licet contingat irritari, id tamen non fit per mutationem Dei quaſi pœnitentis, ſed per mutationem hominis qui gratiam Dei abijcit: & hoc modo, dona diuinitus conceſſa frequenter amittuntur, iuxta illud, Tollite itaque talentum ab eo, & date ei qui habet decem talen- *Mat. 25* ta. Ideò ad Hebr. Paul. hortatur, vt *Heb. 12.* caueat vnuſquiſque ne indignum ſe præbeat gratia Dei, contemplantes, inquit, ne quis deſit gratiæ Dei. Hinc poſſunt habere pro certo omnes Iudæi, quod Deus meminerit ſui promiſsi, ſimulatq; ipſi reijcere deſierint. Ipſi enim ſunt qui ſpreuerunt dominum, blaſphemauerunt ſanctum Iſrael, abalienati ſunt retrorſum, vt ait Iſai. Elõ- *Iſa. 1.* gauerunt à me, inquit, per Hierem. & *Hier. 2.* abierunt poſt vanitatem, & vani facti ſunt. Et pauló poſt, Me dereliquerũt fontem aquæ viuæ. Oſeas etiam, De- *Oſee. 4.* reliquerunt, inquit, Dominum non cuſtodiendo. Benigniſsimus tamen Dñs non ceſſat vocare eos, Conuertimini, inquit, ad me, & ego conuertar ad vos. Pactum mirabile inter Deum, & peccatores. Conuertimini corde contrito & humiliato, corde mundo, & ſpiritu recto in viſceribus veſtris, conuertimini cognitione culpæ, & confeſsione peccati, & conuertimini ad me cui ſoli peccaſtis, conuertimini intentis oculis ad me qui ſum lux mundi, illumino ſedentes in tenebris & vmbra mortis, dirigo pedes omnium in viam pacis. Et ego conuertar ad vos infinita clementia, & benignitate, integra venia, ſalute vera, gaudio & lætitia inenarrabili. Ego, ideſt, ſummum bonum, ſumma fœlicitas, vera & ſempiterna gloria, conuertar ad vos pœnitentes. O fœlix nimium pœnitentia, quæ Deum habet ad ſe conuerſum, & cœlũ Angelorum gaudio facit exultare. Quoniam gaudium eſt in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.

¶ SI verò de donis quæ dantur in baptiſmo, & de vocatione qua baptizatus vocatur ad gratiam inteligatur hoc,

quod

quod poteſt non incongruè inteligi, dicendum, quod huiuſmodi dona & vocatio, ſunt ſine pœnitentia hominis baptizati. Pro cuius inteligentia eſt obſeruandum, quod duplex eſt pœnitentia. Altera eſt interior quæ conſiſtit in contritione cordis, quâ quis dolet de præteritis peccatis: & talis pœnitentia requiritur à baptizato: quia, vt Augusti. dicit, nemo ſuæ voluntatis arbiter conſtitutus, poteſt nouam vitam inchoare, niſi pœniteat cum veteris vitæ, alioquin fictus ad baptiſmum accedit. Altera verò eſt exterior quæ conſiſtit in exteriori ſatisfactione, quæ à baptizato non requiritur. quoniã per gratiam baptiſmalẽ liberatur homo nõ ſolùm à culpa, veriimetiam à tota pœna per virtutem paſsionis Chriſti, qui pro peccatis omnium ſatisfecit: & nos cum illo morimur in baptiſmo, iuxta illud, Quicũq; baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus. In quo etiam Spiritum ſanctum obtinemus, videlicet, per lauacrum generationis, & renouationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abundè. Sine hac igitur pœnitentia exteriori hominis baptizati, vt docet D. Thom. *ſunt dona Dei*, idq; propterea hîc dicitur, ne aliquis deſperet de futura Iudæorum ſalute, propter hoc quod non videntur de peccato ſuo pœnitere.

Aug. in li. de pœ. — *Ro. 6.* — *Tit. 3.* — *Tho.*

¶ Obſeruandum præterea, quod paſsio Chriſti operatur in baptiſmo per modum cuiuſdam generationis, quæ requirit, vt homo totaliter priori vitæ moriatur, ad hoc vt nouam vitam accipiat. Et ideò tollitur in baptiſmo totus reatus pœnæ, qui pertinet ad vetuſtatem prioris vitæ. Sed in alijs Sacramentis, vt docet D. Tho. operatur virtus paſsionis Chriſti, per modum ſanationis, vt in pœnitentia. Sanatio autem non requirit, vt ſtatim omnis infirmitatis reliquiæ auferantur. Et eadem ratio eſt in alijs Sacramentis. Itaque licet omnia ſacramenta operentur virtute paſsionis Chriſti, non tamen æqualiter liberant à pœna, ratione dicta.

Tho.

¶ Obſeruandum inſuper ex eodem D. Tho. quod baptiſmus Ioannis ideò dicebatur baptiſmus pœnitentiæ, quia accipientes illum quodammodo ſe profitebantur pœnitentiam accepturos de peccato ſuo, & ideò conueniens erat vt confiterentur, vt iuxta modum peccati eis pœnitẽtia ſtatueretur: vnde beatus Euangeliſta Mathæus inquit, Baptizabantur homines à Ioanne confitẽtes peccata ſua. At verò baptiſmus Chriſti, eſt baptiſmus omnium peccatorum, ita quod non reſtat baptizato aliqua ſatisfactio pro peccatis præteritis, propter quod nulla eſt confeſsionis vocalis neceſsitas. Ad hoc enim neceſſaria eſt confeſsio in ſacramento pœnitentiæ, vt ſacerdos per poteſtatẽ clauium, conuenienter pœnitentem abſoluat vel liget. Hæc D. Tho. Deinde cum dicit.

Mat. 1.

34. *SICUT enim aliquando & vos non credidiſtis Deo, nunc autem miſericordiã conſecuti eſtis propter incredulitatem illorum: ita & iſti nunc non crediderunt, in veſtram miſericordiam, vt & ipſi miſericordiam conſequantur.*) Adhibet extremam confirmationem concluſionis, ſcil. de futura Iudæorum ſalute poſt eorum incredulitatem. Quibus verbis, tùm, Iudæorum conſolandorum gratia, vtitur Paulus: tùm etiam, ob gentes ne inſolentius ſe gerant quod abiectis Iudæis, ipſi crediderunt: miſericordiæ ſcil. Dei eſſe quod crediderint, futurũ autem aliquando vt increduli nunc Iudæi, miſericordiam cõſequantur & credant. Initium autem inde videtur ſumere Paulus, vnde orbis in duos populos diuiſus fuit, videlicet, quãdo Deus genus Abrahæ, cum quo de fide venturi cœpit agere, charactere circunciſionis inſigniuit, quo eſſet à reliquo orbe internotus, eo quod Iudæi verum Deum adorarent & colerent. Ab illo enim tum tempore vſque ad Chriſtum, gentes extra ſynagogam in incredulitate detinebantur. Non quod legem vererem tenerentur recipere, ſed quod plurimam idòlis ſeruiebant, neque vnũ

venera-

venerabantur Deum, iuxta illud, Eratis illo tempore ſine Chriſto in hoc mundo. Et tunc quidem gentium incredulitas, fidei Iudæorũ ſeruiebat: nam inde occaſionem ſumebant ingentiores gratias agendi Deo, qui eos de tenebris vocaſſet in admirabile lumen ſuum, quo vnum verum Deum cognoſcerent inter omnes terræ habitatores, quoniam notus in Iudæa Deus, & in Iſrael magnum nomen eius. Tametſi nonnunquam conſuetudine & exemplo earundem gentium peruertebantur ad idôla. At in Chriſti aduentu, viceuerſa ſe habuit res, vt Iudæi incredulitate excæcati aditum darent Gentibus ad eandem fidem, & ſic per occaſionem incredulitas Iudæorum ſeruit gentibus. At verò, ſicut non omnes olim gentes perierũt in incredulitate, quoniam per gratiam Dei poterat ſaluari in lege naturæ: ita neq; in aduentu Chriſti Iudæos omnes excæcauit infidelitas.

Eph. 2. *Pſal.*

Reliquiæ enim credentes ſaluæ factæ ſunt, vt explanatum eſt ſuprà. Colligit ergo Paulus rationem ab vno ad alterum extremum per diuerſa media. Cũ dixiſſet enim quod ſcil. ingreſſa gentiũ plenitudine, omnis Iſrael ſaluus fiet, quamuis nunc ſint inimici, ſed vices rerum ſunt, lapſis non oportet inſultare, præſertim ſi tibi bono fuit, reſipiſcentibus eſt gratulandum. Idcirco nunc infert in hunc modum dicens, (*ſicut enim & vos*) Gentiles (*aliquando non credidiſtis Deo*) fuiſtis enim id quod nunc ſunt Iudæi, ſcilic. increduli Deo, nec tamen vos ideò deſtituit in æternum, quando (*nunc miſericordiam conſecuti eſtis propter eorum incredulitatẽ,*) quæ ſcil. fuit occaſio, non cauſa, veſtræ ſalutis. Miſericordia enim eius factum eſt vt Iudæis fidem reijcientibus, vos in fidei conſortium ſitis recepti. (*Ita & iſti*) ſcil. Iudæi, (*nunc*) ſcil. tẽpore gratiæ (*non crediderunt,*) hoc eſt, viciſſim Deus paſſus eſt ad tempus, à fidei conſortio eſſe alienos, (*in veſtram miſericordiam*) eandem ſcil. recipiendam, quam poſtea reſipiſcẽtes vocante Deo, vnà vobiſcum conſequentur: vt neutri alteris exprobrent, ſed vtrique alteris gratulentur parem experti miſericordiam: & hoc ſibi vult, dum ait, (*in veſtram miſericordiam,*) prout ſtatim explicat dicens, (*vt & ipſi miſericordiam conſequantur,*) quo verbo ad fidem exhortatur Iudæos, ſimulq; ſpẽ illis proponit egregiam, omnemq; erubeſcendi tollit occaſionem, vt elegãter explicat Photius. Ne erubeſcas, inquit, proptereà quod incredulus fueris, accedere: neque deſperes, ſi quidem tardius accedas: quia vel ſerò accedens miſericordiam conſequeris. Nam & gentes aliquando ad fidem vocatæ, primum incredulæ perſtiterunt, nunc verò crediderunt tandem, neq; ob priorem infidelitatem pudefactæ, neq; ob ſerum ad ſalutem acceſſum præpeditæ quominus accederent. Nec tu ſimiliter habes Iudeæ quod erubeſcas, aut diffidas quidquam: tantùm prompto animo ad fidem accede, & miſericordiam obtinebis. Hæc ille. Deinde cum dicit.

35. *Concluſit enim Deus omnia in incredulitate, vt omnium miſereatur.*) Aſsignat rationem ſimilitudinis allatæ, quia ſcil. Deus voluit vt ſua miſericordia in omnibus locum haberet, proptereà dicit, (*concluſit enim Deus*) ideſt, concludi permiſit, (*omnia,*) ideſt, omne hominũ genus, tam Iudæos, quàm Gentiles (*in incredulitate*) ſicut in quadam catena erroris, (*vt omnium miſeratur,*) ideſt, vt *Sap. 17.* in omni hominũ genere ſua miſericordia locum habeat. Quod quidem, vt ait S. Tho. non eſt extendendum ad omnes *Tho.* homines ſigilatim, ſed ad omnia genera hominum. Fit enim diſtributio pro generibus ſingulorum, & non pro ſingulis generum. Ideò autem, vt ait idem Doctor ſanctus, vult Deus omnes per ſuam miſericordiam ſaluari, vt ex hoc humilientur, & ſuam ſalutem non ſibi, *Oſea. 13.* ſed Deo aſcribant. Si enim totus populus Iudaicus, vt erat ſuperbus, de im *Galat. 3.* prouiſo lumen ſuſcepiſſet fidei, anſam inde arriperent dicendi, quod merito legis à ſe tandiù obſeruatæ promeruiſſet ſalutem, quæ illi erat veluti ius hæreditariũ. Poteſt autem & præter hanc alia aſsignari cauſa, nimirùm, quod in

pœnam

pœnam ſuæ priſtinæ idololatriæ fuerũt permiſsi Iudæi in cæcitatem cadere. Igitur vt omnes in vniuerſum mortales exæquarentur, permiſsi ſunt in incredulitatem corruere. Sic enim Deus diſpẽſat ac temperat res humanas, vt nullũ ſit genus hominum non obnoxiũ peccato: non quod ille ſit autor peccati, (abſit à pijs animis talis cogitatio) ſed quod ad tempus ſinat homines ſuo vitio prolabi, vt agnito errore, ſentiant ſeſe non ſuo merito, ſed gratuita Dei miſericordia ſeruatos eſſe, ne poſsint inſoleſcere. Atque interim dum hæc permittit, adeò nemini malum immittit, vt etiam aliena mala, ſua bonitate mirè vertat in bonum noſtrum. Si autem malum vertit in bonum, quid faciet de bono niſi magnas diuitias? Si ergo incredulitas Iudæorum per occaſionem ſalus fuit gentium, quid faciet fides gentium, quæ de ſe lux eſt mundi, niſi magna virtute trahere ad ſe cæcos, oſtendereq; illis ſpe ſua fruſtratos, vt ſic ad gratiam Chriſti confugientes, quam in gentibus vident, miſericordiã inueniant.

36. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius.)* Exclamando admiratur profunditatem iudiciorum & ſapientiæ & ſcientiæ Dei, & omnia Deo attribuendo procedit in gratiarum actionem, & ſic ſubtiliter egreditur profundiſsimam abyſſum prędeſtinationis, & reprobationis. Qua quidem admiratione ſignificare curauit Apoſtolus, ita ſe docuiſſe rem hanc, vt nemo tamen arbitraretur, ad ſupremã cauſam, materiam reſoluendo retuliſſe, cum ſit admiratione potius contegẽda, quàm nimio eloquio tractanda. Beato itaq; Paulo contemplanti arcanũ hoc ſtupor obortus eſt, & cum explicari nequeat, exclamare libuit, ò altitudo, &c. Vbi *ſapientia* refertur ad cognitionem diuinorum. Eſt enim cognitio altiſsimarum cauſarum. *Scientia* verò refertur ad cognitionem rerum creatarum, quas in ſua eſſentia intuetur DEVS. Eſt autem Deus per ſe ſapientia, atque adeò perennis fons luminũ, vnde omnis promanat creata cognitio. Propter immenſitatem ergo & infinitatem obiecti cogniti, quod eſt ſua eſſentia, dixit *(ò altitudo,)* ſed propter affluentiam qua in Angelos & homines, reuelationes, tàm ſcientiarum naturalium, quàm ſupernaturalium myſteriorum effundit, adiecit *(diuitiarum)* vſus nàq; diuitiarum, eſt earum magnifica diſpenſatio. Sequentibus autem verbis ſcil. *(quàm incomprehenſibilia, &c.)* exponit altitudinem diuitiarum ſapientiæ & ſciẽtiæ Dei.

¶ Et obſerua, quod *iudicia*, referri poſſunt vel ad ſapiẽtiam per quam iudiciũ initur, accipiturq; de rebus: *vias* autẽ vocat rationes quibus cõſultatio vtrinq; agitatur, veſtiganturq; media ad finẽ cõgruentia, de quibus feratur iudiciũ. Vel forſan *iudicium* reſpõdet verbo *ſapientia*, cuius eſt de altiſsimis iudicare cauſis: *via* autem, nomini *ſcientia* per quam res cõdidit: vt *vias* nũcupauerit rationes rerum, quibus extra ſe exit Deus operando. Inquit igitur *(ò altitudo diuitiarum ſapiẽtiæ & ſcientiæ* Dei.) ideſt, ò profunditatem exuberãtiſsimę ſapientiæ diuinæ *(quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius,)* nullis enim humanis mentibus deprehendi, aut percipi poſſunt Dei iudicia occultiſsima, & nimis admiranda, quibus omnia æquiſſimè & rectiſsimè iudicat, gubernat, atq; diſponit. *Et inueſtigabiles*, ideſt, imperſcrutabiles *(viæ eius,)* ideſt, rationes cõſiliorum, & modi quibus agit omnia, nullus humanus intellectus perfectè poteſt perueſtigare. Nã & ſi ipſæ creaturæ ſint homini notæ, tamẽ modi quibus Deus operatur in creaturis, ab homine comprehendi non poſſunt: vnde Dauid, In mari, inquit, viæ tuæ, & ſemitæ tuæ in aquis multis, & veſtigia tua non cognoſcentur. *Pſal.* Proinde Apoſtolus aptè diſtribuit nomina, dum *iudicia* appellauit incomprehenſibilia, rationes autem conſiliorum *inueſtigabiles*. Ex eo enim iudicia nequeũt cõprehendi, quod rationes indagãdæ rei, non ſunt nobis perſcrutabiles.

37. QVIS

37. *QUIS enim cognouit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?)* Oſtendit excellentiam diuinæ ſapiētiæ per comparationem ad intelectum noſtrū dicens, *(quis enim cognouit)* vnquã *(ſenſum,)* ideſt, mentē Domini, per quã ſcil. iudicat, & operãdo procedit? quaſi *Sap.9.* dicat, nullus. Niſi eo reuelante, iuxta illud, Senſum tuum, ideſt, propoſitum diuinæ mentis tuæ, quis ſcire poterit, niſi tu dederis ſapientiã, & miſeris Spiritum ſanctum tuum de altiſsimis? & *1.C.2.* Paulus etiam alibi, Quæ ſunt, inquit, Dei, nemo nouit niſi Spiritus Dei: nobis autem reuelauit. Deus per Spiritũ ſuum. Patet ergo quod propoſitum diuinæ mẽtis, nemo vnquam per ſe potuit, aut poterit cognoſcere. Duæ primæ partes huius ſentẽtiæ ſunt Iſai. Pro *Iſa.40.* phetæ, vbi iuxta noſtram litteram ſic legitur, *(quis adiauit Spiritum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit?)* Septuaginta verò habẽt *(quis cognouit ſenſum Domini?)* quod idem eſt. Etenim qui cõſilium ab alio petit, cuius prudẽtia adiuuetur, ſuam illi mentem dicit. Quapropter idem eſt tuum ab alio iuuari ſpiritum, quod tuum ab eo cognoſci ſenſum: Atqueadeò ſecũdum membrũ, deſcriptio eſt prioris, vt idem ſit, *(quis cognouit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit?)* ideſt, quis vnquam fuit Deo in conſilio? ſiue, à quo Deus vnquam popoſcit cõſilium, aut cũ quo, velut minus per ſe ſapiens cõmunicat ſua conſilia, qui per ſe ſibi ſufficientiſſimus eſt, ipſa nimirum æterna ſapientia. Huiuſmodi autem interrogationes impoſsibilitatem dicũt. Si ergo eſt impoſsibile vt aliquis cognoſcat ſenſum Domini, manifeſtè patet quod incõprehẽſibilia ſunt iudicia eius, & inſcrutabiles viæ eius. Adiecit autem, *(aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?)* In Iob *Iob.* ſic legimus, *(quis antè dedit mihi, & reddam ei?)* quaſi dicat, quis Deũ prior officio prouocauit, vt quod ab illo profectũ ſit, præmiũ videri poſsit operæ debitum? quaſi dicat, nemo. Nam ſic Deus cõſuluit hominũ ſaluti, ratione quidẽ nobis inſcrutabili, ſed vt meliore non poſsit fieri. Sic vult ſuum beneficiũ à nobis ſentiri, vt inde nobis nihil poſsimus vindicare. Omnino igitur eſt iuſtus Dominus, cum nemini quidquã per ſe debeat. Omnino eſt diues, qui bonorum noſtrorum non indiget. Prorſus eſt benignus, qui largiſsimè in omnes efluit bona quæ ei tribuamus, dicẽte Dauid, Tua ſunt omnia Domine, & *Pſal.* quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Deniq; cum à nemine ſit inſtructus, nec conſilio adiutus, omnino eſt *1.Par.* ipſe ſapiens & ſciens, & eius ſapiẽtia eſt *ult.* altiſsima. Et eius ſcientia, abyſſus profundiſsima: ſecundum quam diſpenſat vnicuiq; citra iniuriam quodcũq; vult. Quamobrem vnuſquiſq; debet eſſe ſua ſorte contentus, & pro acceptis beneficijs ſummas & aſsiduas gratias agere, omnium bonorũ largitori. Vnde dicit.

38. *Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, ipſi gloria in ſecula ſeculorum. Amen.)* Peroratio eſt elegantiſsima, non ſolùm præcedentis clauſulæ, verumetiam totius cauſæ de fide & gratia Chriſti, deq; virtute Euangelij, de quibus à principio ſtatim Epiſtolæ agere propoſuit, in illis poſitam nobis eſſe veram ſalutem. Quam quidem cauſam hactenus ſatis ſuperq; tractauit, pulchréq; peregit. Modo enim hanc veritatem ita concludit, vt poſtrema ſententia ſit, Deum eſſe optimũ autorem tàm naturalium bonorum, quàm ſupernaturalium: eumq; abſq; vlla, vel prudẽtia, vel indigẽtia cuiuſuis alius generis cauſæ, quæ ſit illi vel materia, vel exemplar, vel miniſter, vel adiutorium, vel inſtrumẽtum. Cum itaq; vltimis verbis dixiſſet, quod nullus prior dedit illi, reddit nunc rationem dicens, *(quoniam ex ipſo ſunt omnia,)* quaſi dicat, ſi quid eſt mali, id noſtris vitijs imputare licet: cæterùm quidquid eſt bonorum, tàm naturaliũ, quàm ſupernaturaliũ, *ex ipſo* proficiſcitur velut è fonte, ideſt, tanquã omnis bonitatis fontali & inexhauſto principio, ſiue ex primo ágente. Creauit enim Deus orbem, non ex materia, neq; ex contrario, ſed ex nihilo, iuxta illud, Ex nihilo nati ſumus. Vndè eius *Sap.2.*

argui-

arguitur infinita potentia. Nam ſi formam ex aliqua materiæ potentia educere, virtutem magnam arguit in agētei eandem formam educere de minori potentia, maioris erit virtutis indiciumi atque adeò fit, vt virtus quæ de nulla ſubiecta materia creauit cœlum & terram, ſit infinita. (*per ipſum*) velut autorem, ideſt, vniuerſale principium efficiens ſimplicisſimum, ſcil. conferuntur, vel efficiuntur omnia. Agit enim Deus per ſuam ſimplicisſimā eſſentiam, quæ virtus eſt infinita, atque etiam exemplar in qua rationes lucent, ac ideæ rerum vniuerſarum. Qui in prima rerum conditione, nullo vſus eſt inſtrumento, nec miniſtro, ſaltem dum Angelos, & primam, rudemq; materiam creauit: nam ipſis poſtmodum vſum fuiſſe adminiſtris in rerum diſpoſitione, nihil prohibet. Neque verò conſuluit ſuperiorem poteſtatem, vt quæ nulla eſſe poterat: iam tamen res conditas per alios
Pro. 8. gubernat, non quibus ipſe indigeat, ſed quibus infundit virtutem: iuxta illud, Per me Reges regnant, & legū conditores iuſta decernūt. Cum autem dicit (*& in ipſo ſunt omnia*,) non deſignat materiam, ſed repetere videtur habitudinem cauſæ efficientis, vtpotè in cuius poteſtate, diſpoſitione, & arbitrio cūcta ſunt poſita: vt in Pſal. In manu eius ſunt omnes fines terræ. Et in quo viui-
Pſ. 94. mus, mouemur, & ſumus. Et ſic erit ſen-
Act. 17. ſus (*in ipſo ſunt omnia*) velut in tutore, cuſtodeq; munerū ſuorum. Sed poriſſimū deſignat cauſam finalem: in ipſum enim referūtur omnia quæ ab ipſo fiūt.
Apo. 1. Eſt enim ipſe Alpha, & Omega, principiū, & finis.

Hæc aūt ſecūdū proprietatē ſunt dicta de Deo, cui quatenus vni, propriū eſt extra ſe agere per virtutē, ſapiētiā, & bonitatē eſſentialē, tribus cōmunē perſonis. Nā ſi per attributionē loquamur, authoritas & poteſtas quæ habet rationem principij, tribuitur Patri, qui eſt principium ſine principio, principiū nimirum Filij per intelectionem, Spiritus ſancti per ſpirationem & amorem. Ars verò & Sapiētia, tribuitur Filio, qui eſt principium de principio intelectione genitū, qui procedit vt Verbū, quod nihil aliud eſt quàm ſapiētia genita. Bonitas tribuitur Spiritui ſancto per amorem ſpirato. Procedit enim vt amor, cuius obiectū eſt bonitas. Quapropter ſecūdum attributionem *confitemur ex Patre eſſe omnia, per Filium, in Spiritu ſancto.*

❡ Ex dictis itaq; cōſtat, quod ex operibus ſuis homo nō poteſt ſibi arrogare vllam laudis portionem, cū ad Deum pertineat & initium, & medium, & finis omniū bonorū operū, cui vni proptereà debetur honor, laus, & gloria in ſecula ſeculorum. Ideſt, in omne æuū. Vnde nephas eſt homini, ſibi quidquā aſſerere. Qua ratione enim principiū eſt omnium, debetur illi honor, putà, ſubiectio & reuerētia, iuxta illud, Si ego Pater, vbi eſt honor meus? ſicuti Chri- *Mal. 1.*
ſto ratione redēptionis debetur genuflexio. Debetur etiā Deo Gloria, quæ *Phil. 2.*
ſecūdum Ambr. eſt clara notitia cū laude. *Amb.*
atq; hæc quidē maxima & propriè debetur illi, ex eo quod à nullo quidquā accepit vel cōſilij, vel poteſtatis, vel virtutis, vel ſapiētiæ, ſed de ſe habet quidquid habet. Vnde per cōtrariū ait Paulus, Si accepiſti, quid gloriaris quaſi nō *1. C. 4.*
acceperis? Qua de cauſa de virtutibus quæ in nobis ſunt Deo debetur honor & gloria: Nō nobis, inquit ſanctus Pro- *Pſal.*
pheta, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Nobis verò id debetur honoris atq; gloriæ, quod ſecūdum ſuam menſuram & beneplacitum daturus eſt nobis in regno ſuo. Circa id autem quod dicit (*in ſecula ſeculorum*) obſerua, quod *ſeculum* aliquoties ſumitur pro curriculo cētum annorū, quod tempus modo durare poteſt vita hominis lōgiſsima. Sumitur etiam pro toto tempore vitæ huius mortalis, ſic enim diſtinguitur à futuro. At verò *æternitas* ſi ad etimologiam ſpectes, non dicitur propriè ſeculum, quia non ſequitur, ideſt, nō procedit, nec reuoluitur, ſed eſt perpetua, vnaq; , & inuariata duratio. Dicitur tamen ſeculū ſeculorum, ideſt, duratio, eminente virtute cōtinēs omnia ſecula. Et vt cōprehēdātur fœlices illæ beatorū vitæ, gradu ſuo, & ordinis pulchritudine diſpoſitæ, dicitur pluratiuè, ſecula

ſeculorum. (*Amen*,) duo ſignificat, & ita eſt, & ita fiat. Vtroque modo hîc vſurpari poteſt, nam verè Deo noſtro eſt honor & gloria perpetua: eidemq; ſolemus precari, vt ſit nomen eius benedictum in ſecula. Amen.

ARGVMENTVM DVODECIMI CAPITIS.

MOralibus, & ſalutaribus admodū inſtructionibus totū hoc caput eſt refertum: in quo ad modeſtiā maximè, & animi manſuetudinem inuitat magiſter Gentilium: vetans de diuerſis gratijs quæ corpori myſtico côceſſa ſunt, quempiam efferri.

CAPVT DVODECIMVM.

OBSECRO itaque vos fratres per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra, &c.

EXPLANATIO.

1. *OBSECRO itaque vos fratres per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra, hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequiū veſtrum.*) Egit hactenus diuinus Apoſtolus de fidei neceſsitate, & facultate, & origine. Deinceps verò vſque ad calcē epiſtolæ acturus eſt de eiuſdem fidei vſu. Non enim decet virum Chriſtianū otioſum eſſe, nec hominem prudentem in vanū recipere beneficium: ſed potius gratū ſe prebere Deo, cui debet mores ſuos ſanctè componere, fidem ſeruare, & ad perfectionem totis viribus contendere. Cum igitur Romanis, Dei munere cōtigiſſet, vt à priſtina ſuperſtitione, eſſent ad verā translati religionem, dicit illis Paulus, (*Obſecro*,) ideſt, obteſtor (*vos*) tanquā (*fratres per miſericordiam Dei*,) cui ſummam veſtræ fœlicitatis debetis, (*vt*) ſcili poſthâc immoletis illi victimas Chriſtiana profeſsione dignas, non hircos, aut oues, bouesq; , quæ vt pura deligūtur animalia, & rebus diuinis apta, quēadmodū mos eſt Iudæis, ac Ethnicis, hactenus indulſiſſe ſat eſt craſſis illiusmodi ſacris: poſthâc longè alios ritus, alium cultū, alias victimas Deus à nobis requirit, nimirùm, (*vt exhibeatis corpora veſtra, hoſtiam*,) ideſt, vt offeratis illi veſtra ipſorum corpora non mutilandis membris, ſed ſubigēdis malis affectibus, hoc eſt, non mortuas, vt Ethnici, Oferatis illi pecudes, ſed (*hoſtiam viuentem*,) vt Chriſtiani, ideſt, vos ipſos viuētes per charitatem, (*ſanctam*) ideſt, ſanctos per cordis puritatem, (*Deo placentem*,) ideſt, gratos, & acceptos Deo, (*rationabile obſequium veſtrū*,) ideſt, ſale diſcretionis & prudentiæ conditum ſit veſtrum ſacrificium. Vel, vt ait Gagneius, (*rationabile obſequium*,) *Gagn.* ideſt, non carnale ſacrificium, quemadmodum olim Iudæi victimas carnales offerebant, ſed rationabile, ac ſpirituale nouæ in Chriſto vitæ ſacrificiū. Immolate itaq; victimam animi, nō brutæ pecudis. Nam dum lex durabat carnalis, patiebatur ſibi corporeas immolari pecudes: tamen, poſteaquàm lex cœpit eſſe non ſolùm ſpiritualis, ſed ſpiritus vitæ, ſpiritualibus illi victimis litādum eſt. Spiritus enim eſt Deus, & eos qui adorant eū, in ſpiritu & veritate oportet adorare: illiq; ſeruire & ſacrificare, *Ioa.4.* nimirum, pro vitulo, immolandus eſt ſuperbiæ affectus: pro ariete, ira efferueſcens iugulanda: pro hirco, exurēda libido: pro columbis, & turturibus, laſciuiæ, ac lubricæ animi cogitationes, Deo ſacrificandæ. Hæc tādem ſunt Chriſtianis digna ſacra, hæ Chriſto gratæ victimæ.

mæ. Vt enim diximus, ſpiritus eſt Deus,
& ſpiritus donarijs cóciliatur: non ce-
remonijs antiquis, ſed affectibus puris
iam coli poſtulat. Pro præputio, ab ani
mo ſuperuacaneos & indecoros affectus
reſecare opportet. Sabbatiſmus, nobis
ſit mens à tumultu perturbationum va
cans. Chriſtus ſemetipſum obtulit pro
nobis, par eſt vt, ſaltem modo dicto,
ipſi nosmet illi viciſsim immolemus.

2. *Obſecro fratres.*) Verba ſunt homi-
nis, non authoritate imperãtis, ſed fra-
terna ſe charitate ſubmittẽtis, quo ſua-
uius ac vehemẽtius Romanorũ animos
hac ſua humilitate emolliret, ac venare-
tur. Quamuis enim illi eſſent ſuperbi,
odiebant ſuperbos: humiles verò ama-
bant, vt in eorum vexillis ſcriptũ eſſet,
parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.
Prudẽtiſsimè ergo Paulus ſe illis per hu
militatem & charitatẽ ſubmitit, Vt ſic
eos amare humilitatem doceat, & ignẽ
illũ Chriſti, quem ipſe voluit vt ardeat
in terra, in eorum cordibus ardere fa-
ciat, propterea obſecrationibus tãquã
Philem. pauper vtitur, veluti & ad Philemonem
ſcribẽs eadem de cauſa vſus eſt, inquiẽs,
multam fidutiam habẽs in Chriſto Ieſu
imperandi tibi quod ad rem pertinet,
propter charitatem magis obſecro.

3. *Obſecro per miſericordiam Dei.*) Ob-
ſecratio, eſt ob ſacra teſtatio, ac proin-
de Paulus Romanos obſecrat per eã-
dem ipſam miſericordiam Dei, per quã
hactenus oſtendit, iuſtitiæ, ſalutisq; be
neficiũ eis fuiſſe collatum. Nam ex cõ-
ſideratione diuinæ miſericordiæ debe-
mus facere quod monemur, iuxta illud,
Nõne opportuit & te miſereri cõſerui
Mat.18 tui, ſicut & ego tui miſertus ſum? Ob-
ſecrando itaq; Paulus ipſos Romanos,
per miſericordiam Dei, perinde videtur
Chry. ac ſi Deum ipſum, vt ait Chryſoſt. ſu-
plicem eorum oculis obtuliſſet, quem-
admodum ſi diues, qui cum in egenos
fuerit ſplendidus, ſuplicem ſe illis poſt-
modum oſtẽderet, perq; beneficia ab ſe
collata illis, officium aliquod ab eiſdẽ
exigeret. Sed obſerua, quod cum hæc
miſericordia in conferẽdis beneficijs gra
tiæ, à prædeſtinatione deriuetur, iuxta
illud, *Cui vult miſeretur, & quem vult in-
durat*, admonet Romanos ne ea quæ
de prædeſtinatione dicta ſunt, ignauos
eos reddant atq; torpẽtes. Nihil enim
ſanctius eſſe poteſt in Dei prædeſtina-
tione, quàm quod ille coronabitur, qui
legitimè certauerit. Per eandem ergo
miſericordiam hortatur illos, per quam
abſq; eorum præcedẽti iuſtitia, iuſti ef-
fecti ſunt, vt per acceptæ gratiæ culturã,
in officijs ſe exerceant iuſtitiæ, cuius
fructus ſibi ipſis ſunt prouenturi.

4. *VT exhibeatis corpora veſtra, hoſtiã,*)
Docet Aug. in lib. de Ciui. Dei, quod 10. de ci. Dei.
viſibile ſacrificium, quod exterius Deo
offertur, ſignum eſt inuiſibilis ſacrifi-
cij, quo quis ſe & ſua in Dei obſequium
exhibet. Per deuotionis enim & contri-
tionis humilitatem exhibet homo Deo
cor ſuũ, quod pertinet ad bona animi,
& eſt ſacrificium valde gratum & acce-
ptum. Nam ſacrificiũ Deo, ſpiritus cõ-
tribulatus, cor cõtritum & humiliatum Pſ.50.
Deus nõ deſpicies. Per eleemoſinarum
verò largitionẽ, exhibet homo Deo bo-
na ſua exteriora, quæ dicuntur bona
fortunæ, quod etiam eſt magni meriti
ſacrificium, iuxta illud Pauli, Beneficẽ- Heb. vlt.
tiæ & cõmunionis nolite obliuiſci, tali-
bus enim hoſtijs promeretur Deus.
Habet quoque homo bonum corporis,
quod exhibet Deo ſicut quandam ſpe-
cialem hoſtiã. Propterea dicit, (*vt exhi-
beatis corpora veſtra, hoſtiã,*) exhibetur
autẽ hoc, vel per martyriũ, inſtar Chri- Eph.5.
ſti qui ſemetipſum tradidit oblationẽ,
& hoſtiam Deo. Vel per abſtinẽtiam &
macerationem, in ieiunijs multis, & vi-
gilijs & huiuſmodi, gladio fortitudinis
iugulãdo vitia, & paſsiones omnes, vt ſu
pra dictum eſt, & igne Chriſti comburẽ 1.C.9.
do illa coram Dño: exemplo Apoſtoli,
qui corpus ſuum ſanctiſsimũ caſtiga-
bat, & in ſeruitutem ſcili. Dei redige-
bat. Vel, per opera iuſtitiæ, & diuini cul
tus, in quibus ad comparãdam ſanctita
tẽ libẽter ſe exercet homo, iuxta præ-
ceptum Pauli, qui ait, Exhibete mẽbra Ro.6.
veſtra, ſeruire iuſtitiæ in ſanctificatio-
nem.

5. *Hoſtiam.)* Animal immolatũ Deo, dicebatur hoſtia, ab hoſtis, vel ab oſtio. Erat enim victima inter prophanas gẽtes, quæ in profectione ad bellum placandis dijs pro victoria litabatur. In ſacris autem antiquæ legis erat victima; *Tho.* quæ, vt ait D. Tho. ad oſtium tabernaculi immolabatur, & dicebatur victima, ſeu hoſtia pacificorum, & pro gratiarum actione: quæ in partes diuidebatur, *Leu. 3. & 7.* & ſanguine circa altare effuſo, comburebatur extra caſtra, vel foris extra templum. Hæc autem hoſtia inter antiquos fuit occiſorum animalium, nam animalia viua quæ offerebantur, poſtea ſacrificus mactabat, in ſignũ occidẽdi Chriſti, qui morte ſua, mortẽ peccati tunc regnantis, erat occiſurus, hoc eſt, donaturus vitam mortis neſciam. Quocirca celebrata iam redemptione, quæ fuit figurarum veritas, ceſſauit hoſtiarum neceſsitas, quæ offerebantur viuæ in mortem: quibus ſucceſsit hoſtia alterius conditionis, nam Chriſtianus debet offerre ſeipſum Deo, non animalia vt olim. Cum autem homo conſtet ex duabus partibus, nempè ex anima & corpore, nõ ſolùm animam, ſed etiam corpus, & cum his bona exteriora quæ habet, debet offerre Deo tãquam omnium bonorum autori, vt iam dictum eſt.

6. *Viuentem.)* Hæc debet eſſe prima hoſtiæ corporis noſtri conditio ad hoc, vt ſit Deo grata, nimirum quod ſit *viua*, per Chriſti charitatem, vt ſcilic. iuxta *Chry.* Chryſoſt. propter Deum, oculus ſcortationi non ſeruiat, neq; rapinæ manus, neq; venter delicijs, neq; cor iram foueat, neq; turpia loquatur lingua.

7. *Sanctam.)* Hæc eſt ſecunda hoſtiæ corporis noſtri conditio, videlicet vt ſit *ſancta*, hoc eſt, integra, pura, incorrupta, incõtaminata, Deoq; digna, prout figuratũ eſt in antiqua illa hoſtia agni, *Leu. 1. et 12. 22.* qui debebat eſſe maſculus, immaculatus, anniculus, & ſine macula: præceptumq; erat à Deo, ne id quod cæcum eſſet, vel fractum, vel cicatricem habẽs offerretur Deo. Vnde Malachias Pro- *Mal. 1.* pheta, Maledictus doloſus, inquit, qui habet in grege ſuo maſculum, & votum faciens, immolat debile Domino. Igitur Chriſtianus homo, ſumma cura & diligẽtia, debet ſeruare puritatem corporis ſui, vt diuinis obſequijs poſsit illud dignè & ſine pudore mancipare, iuxta illud, Sãctificamini, & eſtote ſancti, quia ego dominus Deus veſter. Eccõ *Leui. 20.* trà verò de immũdis ſic legitur: Omnis *& 22.* homo qui acceſſerit de ſtirpe veſtra ad ea quæ conſecrata ſunt, & quæ obtulerunt filij Iſrael Domino, in quo eſt immũditia, peribit coram Domino. Propriè autem ſanctitas, vt ait D. Tho. di- *Tho.* citur per reſpectum ad Deum, in quãtum ſcil. homo ſeruat ea quæ ſunt iuſta quoad Deum.

8. *DEO placentem.)*. Hæc eſt tertia conditio hoſtiæ corporis noſtri, nempè vt ſit *recta* per intentionem, nihil in ſe habens inanis gloriæ, ſed omnia propter gloriam Dei, igne charitatis veluti combuſta ſuper altare cordis noſtri. Sic enim *beneplacens*, ideſt, gratiſsima, atq; ſuauiſsimi odoris erit Deo noſtro, prout figuratum eſt in holocauſtis an- *Leu. 1.* tiquæ legis, quæ præcipiebat, vt oblata omnia adoleret Sacerdos ſuper altare in holocauſtum, & in odorem ſuauiſsimũ Domino.

9. *Rationabile obſequium veſtrum.)* Quarta & poſtrema conditio perfectæ hoſtiæ corporis noſtri eſt *mentis diſcretio*, qua in Chriſti obſequio opportet laborare. De hac cõditione iam suprà tetigimus, ſed fuſiùs dicendum, veluti quæ Deũ & homines maximè delectat. Eſt enim *diſcretio* veluti ſal, quo victima olim iubebatur cõdiri, iuxta illud, Quidquid obtuleris ſacrificij, ſale con- *Leu. 2.* dies. Et illud, Omnis victima ſale ſalie- *Mar. 9.* tur. Et illud, In ſapientia ambulate ad *Col. vlt.* eos qui foris ſunt, ſermo veſter ſemper in gratia ſit ſale conditus. Et illud, *1. C. 14.* Omnia honeſtè & ſecundum ordinem fiant in vobis. Et illud deniq;, Honor *Pſal.* Regis, iudicium diligit. Propterea dicit, (*rationabile obſequium veſtrum*,) videlicet, cum diſcretione corpora veſtra Deo exhibeatis hoſtiam, vel per martyrium, vel per abſtinẽtiam, vel per quodcũque

opus

opus iuſtitiæ, vt exponit D. Tho. aliter
enim, iuxta eundem, ſe habet homo iu-
ſtus ad interiores actus, quibus Deo
obſequitur, quàm ad exteriores. Nam
bonum hominis & iuſtitia eius, princi-
paliter in interioribus actibus cōſiſtit,
quibus ſcil. homo credit, ſperat, & dili-
Luc. 17. git, dicente Domino, Regnum Dei in-
tra vos eſt. Non autem principaliter cō
ſiſtit in exterioribus actibus, nam iuxta
Ro. 14. Apoſtolū, *nō eſt regnū Dei eſca & potus.*
Vnde interiores actus ſe habēt per mo
dum finis, qui ſecundum ſe quæritur:
idcirco in eo nulla menſura adhibetur,
ſed quanto maius fuerit id quod quæ-
ritur tāquam finis, tanto melius ſe ha-
bet. Sicut medicus ſanitatem facit, quā-
tum poteſt, quia ſanitas eſt finis curatio
nis. Exteriores verò actus ſe habēt ve-
luti ea quæ ſunt ad finem, ideò in ipſis
adhibetur menſura, ſecūdum proportio
nem ad finem. Nam medicus non tan-
tum dat medicinæ quantum poteſt, ſed
quantum videt expedire ad ſanitatem
comparandam. Pari modo nos Chriſtia
ni abſque menſura debemus credere,
ſperare, & diligere. Quanto enim plus
harum virtutum, fidei, ſpei, & charita-
tis habuerimus, tanto meliores apud
Deu. 6. Deum erimus. vnde dicit, Diliges Do-
minum Deum tuum ex toto corde tuo,
& ex tota mēte tua, & ex totis viribus
tuis. At verò in exterioribus actibus
adhibēda eſt diſcretionis mēſura ad alē
dam, augēdamq; ſanctitatem, & chari-
tatem: nam ſi diſcretio deſit, dignitas
hominis amittitur, & indiſcretus homo
male audit apud Sapiētes. Vnde Hiero.
Hiero. Nōne, inquit, rationalis homo dignita-
tem amittit, qui ieiunium, vel vigilias
præfert ſenſus integritati, vel propter
Pſalmorum atq; officiorū decātationē,
āmētiæ, vel triſtitiæ quis notam incur-
rat? Et ſi prælatus, tēpore quo prędica-
re deberet alijs, ſe dederet exercitijs cor
porei: vel qui neceſſarius eſſet infir-
mis procurandis, tūc vacaret cōtempla
tioni: & qui nimio labore & abſtinētia
carnē fatigaret, viresq; ſuas extenuaret,
quas cōmodius, ac fructuoſius alijs ſpi
ritualibus actionibus poſſet dare: eius
profectò obſequiū nō eſſet rationabile.

Non igitur defficiat tibi ſal, ò Chriſtia-
ne, ideſt, diſcretio mētis, in diuinis obſe
quijs, eſt enim diſcretio, Deo & homi-
nibus gratiſsima virtus, eſt decor & pul
chritudo, & veluti dux omniū virtutū.
Quapropter Deus ſine modo, vt ait Ber *Ber.*
nardus, deamādus eſt: tamen corpora-
lia obſequia, prudentia ſunt, & rationis
diſcretione libranda, & moderāda, qua-
tenus ad perficiēdas ſpirituales actio-
nes pertineat. Vnde beatus Paulus ad *1. Th. 4.*
Thim. ſcribēs, Exerce, inquit, teipſum
ad pietatem, nam corporalis exercitatio
ad modicum vtilis eſt, pietas autem ad
omnia: ad modicum, inquit, ſcil, per cō
parationem ad opera pietatis.

10. *ET nolite conformari huic ſeculo, ſed reformamini in nouitate ſenſus veſtri, vt probetis quæ ſit volūtas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.)* Obſequijs corpo
reis, adiūgit reformationem animi, vn-
de virtus emanat ad opus. Cōſtituit au-
tem animi puritatem, in ſequeſtratione
à figura huius ſeculi, & in cōformatio-
ne ad formam alterius futuri, vbi debet
eſſe noſtra cōuerſatio. Nam quēadmo-
dum exempti ſumus ab hoc ſeculo, pro-
feſsione inſiti cœlo, ita vita & affectib',
à priſtina vita diſsidere debemus, ac ve-
lut in nouos homines, hoc eſt, cœleſtes
transforamari quoadlicet, ſi nōdum cor
porum immortalitate, certè nouatis ani
mi affectibus, vt poſthàc nō ea nobis
arrideant, quæ vulgo prophano, & rebus
caducis addicto probantur: ſed nihil
affectemus, niſi quod Deo probatum
ſit. Neq; ducamur præſcriptis hominū,
ſed à nutu, volūtateq; diuina pendeāt
omnia noſtra ſtudia, ſimul & actiones,
qui nihil vult craſſum; & imperfectum,
ſed quod verè bonū ſit, quod acceptū,
quod ad cultum diuinū, legitimū ſit
& idoneum. Pro maiori autem inteligē
tia, obſeruanda ſunt quæ ſequūtur.

11. *NOLITE conformari huic ſeculo.)*
Duplex eſt ſeculum, præſens & futurū,
ſiue, temporale & æternū: illud, vt ait
D. Th. eſt quædam mēſura rerum quæ *Tho.*
temporaliter labūtur, quibus cōforma-
tur homo per affectū, eis amore inhæ-

 rēdo

rendo, aut vitam ſeculariter viuentiũ imitando. Futurum autem ſeculum, vt ſuprà diximus, eſt duratio quæ amplectitur omnia ſecula. Quare, illud eſt contemnendum, tùm ad euitandam animi deformitatem quæ ei adhærentibus acquiritur, nam amatores illius facti ſunt abominabiles ſicut ea quæ dilexerunt, vt inquit Oſeas Propheta. *Oſee.19.* Tùm etiam, ad tuendam & conſeruandam cordis puritatem, quia religio munda & immaculata, ait Iacobus, *Iac.1.* hæc eſt, immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſeculo. Hoc verò eſt maximè amandum, tãquam habitaculum gloriæ Dei, & beatorum, vbi omnia ſunt pulchra & noua, & valde decora, quales debent eſſe illius amatores. Propterea dicit.

12. *SED reformamini in nouitate ſenſus veſtri)* Duplex eſt pars hominis per nouitatem reformanda: altera corporis humilitatis noſtræ, quod hîc corrumpitur de die in diem, ſed Chriſtus Dñs in reſurrectione reformabit illud ineffabili gloriæ nouitate, vtpotè cõfiguratum corpori claritatis ſuæ. Altera animæ noſtræ, quæ in hoc ſeculo per nouitatem gratiæ, in futuro autem per nouitatem gloriæ Chriſti reformatur. Et quantum ad animæ reformationẽ quæ per nouitatem gratiæ cõtingit in hoc ſeculo, ait, (*Reformamini in nouitate ſenſus veſtri,*) id eſt, non in ea nouitate iubeo vos reformari, quæ attinet ad corpus mortale noſtrum, nam ante iudicium, ex lege Dei eſt hoc impoſsibile, ſed in ea nouitate quæ attinet ad animũ. Propterea dicit, (*Reformamini in nouitate ſenſus veſtri,*) vbi ſenſus, intelligitur ratio, ſiue mẽs prudens, per quã guſtum & iudicium captamus de rebus: quæ in ſua creatione, antequàm homo peccaret fuit integra & vigens, miroq; cœli ſplendore decorata: peccauit homo, & corruptus eſt ſenſus illius, & quaſi inueterata eſt mens noſtra, *Eccl.17.* infirmata eſt, manſitq; imbecillis, *Bar.3.* atq; adeò omnem ſuam amiſit pulchritudinem. *Tren.1.* Sed per nouum Adam Chriſtum, reſtituta eſt in priſtinam nouitatem, valetudinem, integritatem, & ſplendorẽ: præbens in ſacramẽtis cœleſte remedium gratiæ ſuæ, quo ipſa lauet maculas, auferat rugas, renoueturq; vt Aquilæ iuuentus ipſius: *Pſal.* efficiaturq; ſpecioſa & ſuauis in delicijs, & tanquam ſponſa ornata monilibus ſuis, & quaſi regina in ueſtitu deaurato circũdata varietate. Talis è fonte baptiſmatis inſurgit anima, & veluti de quodã talamo procedit *Pſal.* ſic ornata viro ſuo Ieſu Chriſto, qui in fide eam ſibi ſpõſauit. Reformetur igitur omnis homo hac Chriſti prætioſa nouitate, reformetur in nouitate ſenſus, hoc eſt, in ea nouitate quæ pertinet ad ſenſum ſcili. interiorem, qui eſt mens noſtra, ratio noſtra, interior homo noſter. Non refert quod exterior homo laboret ſenectute, & infirmitate, dum modo interior floreat iuuentute, & virtute ſpirituali. Si itaq; tu ò mortalis homo nondum acceſsiſti ad baptiſmũ, accede precor, & reformare ibi per gratiã illius magni ſacramenti. Et ſi acceptam amiſiſti, reformare per pœnitẽtiam. Si iuſtus es, ſi ſanctus, reformare adhuc ad maiorem iuſtitiæ & ſanctitatis nouitatẽ & ſplendorẽ. Nam qui iuſtus eſt, inquit, *Apoc.* iuſtificetur adhuc. Et qui ſanctus, ſanctificetur adhuc. Reformare, inquã, per ſacroſanctam Chriſti Euchariſtiam, vbi non ſolùm gratia, ſed ipſe fons totius gratiæ ſumitur, videlicet Chriſtus Dñs, qui noua faciet tibi omnia, corda, voces, & opera.

13. *VT probetis quæ ſit voluntas DEI bona, & beneplacens, & perfecta)* Probare hoc loco eſt, experiẽdo cognoſcere, ſiue aprobare. Deus enim non tam ſpeculatione nuda, quàm conuerſationis ſuauitate cognoſcitur, iuxta illud, *Pſal.* Guſtate & videte quàm ſuauis eſt Dñs. Quemadmodum prudẽtia qua de agendis iudicamus, non eſt nuda cognitio, ſed illa quæ ex affectione appetitus ingignitur, quæ ideò cõſiſtere nequit niſi cõnexione omnium virtutum ſubnixa. Qualiter enim vnuſquiſq; affectus eſt, tale de rebus fert iudicium. Meritò ergo reformari debemus in nouitate ſenſus, *vt probemus quæ ſit volũtas Dei.* Non benè iudicat cæcus de coloribus,

nec

nec languēs de ſaporibus, nec peccator
de virtutibus. Qui enim vetuſtate car-
nis infectus eſt, nō magis diuinam po-
teſt aprobare volūtatem, quàm qui vit.o
laborat linguæ, dulcoré mellis. Habés
guſtum infectum, non habet iudicium
rectū de ſaporibus, ſuauia abominatur,
abominabilia appetit interdum. Sed ſi
guſtus eſt ſanus, iudicium de ſaporibus
rectum eſt. Sic eſt ille qui habet corrup
tum affectum, quaſi cóformatum rebus
ſecularibus, nō habet rectum iudicium
de bono: ſi verò affectus hominis eſt ſa
nus, ſenſu eius innouato per gratiam,
rectum iudiciū habet de bono. Expe-
rimento cognoſcit (*quæ ſit volūtas Dei.*)
hoc eſt, quid ſit quod fieri, aut omitti
vel t Deus: & quæ Deus vult, modo ſibi
arrident, nō quæ ſtultis & perditis pro-
bantur hominibus. Experimento etiā
cognoſcit quod volūtas Dei ſit (*bona.*)
nimirum, quia vult omnes homines ſal-
uos fieri, & velle bonū honeſtū, vt ſalui
fiant, ad quod ſuis nos inducit præce-
ptis. Hæc Dei volūtas eſt veri & optimi
patris, atq; adeò gratiſsima illis qui veri
ſunt filij, idcirco addit, (*& beneplacens*)
placet enim bonis filijs, vtpotè bene
diſpoſitis, volūtas boni patris. Cibus
meus eſt, inquit vnigenitus, vt faciant vo
luntatem patris mei. Adoptiuus autē,
quomodo dicit? Quàm dulcia, inquit,
faucibus meis eloquia tua, ſuper mel
Pſal. ori meo. Dulciora ſuper mel & fauum.
Deſiderabilia ſuper aurum & topaziō.
Iuſtitiæ Dñi rectæ, lætificantes corda.
Et quemadmodum inter amicos nihil
dulcius, nihil iucūdius illis contingere
poteſt, quàm facere volūtatem amati:
ſic veris Dei amatoribus, nihil magis eſt
in optatis, quàm Dei implere volūtatē.
Hoc anxiè deſiderant, & intimo cordis
affectu poſtulant dicētes, fiat volūtas
tua ſicut in cœlo & in terra, ſed quid fa
ciūt in hoc Chriſtiani? nimirùm, red-
dūt debitum fœderis patri ſuo cœleſti.
Fœdus eſt hoc, dilectus meus mihi, &
ego illi. Pater nūquam deeſt filijs, quo-
Pſal. niam voluntatem timentium ſe faciet.
Et tu dilecte, tanto patri non deſis in
eadē re. Magni enim tua refert illi nō
deeſſe. Magnæ ſunt tibi ab vnigenito,
huius rei gratia, promiſſæ dignitates.
Qui enim, inquit, fecerit volūtatem pa
tris mei, ille meus frater, & mater, &
ſoror mea eſt. Quid ergo maius quàm
Dei facere volūtatem? Quæ quidem nō
tantùm eſt vtilis ad conſequēdum finē,
ſed etiam perfecta quaſi coniungens fi-
ni, vt ait D. Tho. Idcirco addit (*& per- Tho.*
fecta) qua vult nos eſſe perfectos, ſicut
ipſe perfectus eſt, vocat nos ad ſe, eiq; *Pſal.*
iubet adhærere, quod ſumma perfectio
eſt. Nam qui adhæret Deo, ait Paulus,
vnus ſpiritus eſt. Econtrario illis qui
ſunt perditis moribus, male affecti erga
virtutem, ſenſu deprauato iudicāt volū
tatem Dei nō eſſe bonam, ſed grauem
& inutilē, teſte Salomone, qui ait, quàm
aſpera eſt ſapientia indoctis homini- *Eccl. 6.*
bus.

D. autem Chryſoſt. accipit hîc volūta-
tem Dei, pro lege Dei, quæ à Theologis *Chry.*
dicitur volūtas ſigni. Hæc eſt duplex,
vetus ſcil. & noua. Hæc quidem iuſtifi-
cat, atque adeò ſimpliciter bona, bene-
placens, & perfecta. Illa verò minimè
iuſtificabat. Si autem ſecundū Baſiliū, *Baſil.*
& Orig. accipimus volūtatem Dei, pro *Origi.*
eius volitione & iuſſu, ſemper eſt perfe-
ctiſsima. Si verò pro eius permiſsione,
vt quis eat ſecūdum deſideria cordis
ſui, non eſt bona. Quinimo & inſtitutio
Saulis in regem, ait Origenes, teſte ma-
giſtro Soto, fuit quidem volūtas Dei, nō *Soto.*
tamen beneplaciti, neque perfecta, quia
iratus Dñs quod ſeipſum nollent Iu-
dæi habere Regem, inſtituit illum, neq;
in bonum eius, neq; in rem populi.

14. *DICO enim, per gratiam quæ data*
eſt mihi, omnibus qui ſunt inter vos, non
plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſape-
re ad ſobrietatem, & vnicuiq; ſicut Deus
diuiſit menſuram fidei.) Quoniam mos
eſt apud mundi cultores, vt fœlicior fa-
ſtidiat infœliorē, vt infœlicior inuideat
fœliciori, Paulus aduerſus hūc morem
hortatur ac præcipit omni homini qui-
cūq; ille ſit, ſiue potens, ſiue plebæius,
ſiue humilis, modo iam ſit inſitus gregi
Chriſtiano, & à mūdi conſortio exem-
ptus, ne per animi faſtum, plus ſibi tri-
buat, quàm par eſt, ſed ſobrio, modeſ-
toq;

toq; ſit animo. Primùm, ne quis plus arroget ſibi quàm habeat, veritatis limites tranſeũdo. Deinde, vt meminerit hoc ipſum quod habet, non ſuis meritis, ſed gratia & volũtate Dei, ſibi donatum à Deo, & in hoc donatum, non vt inde ſibi placeat, ſed vt in cõmunẽ conferat vtilitatem.

15. *DICO enim.)* Hoc loco, non eſt idem quod loquor, verbum, dico, ſed idem quod iubeo, vel adhortor. Fuit diuina modeſtia præditus beatus Paulus, ſuprà enim vbi nõ iubebat, ſed admonebat, obſecrabat, nõ per ſua in eos merita, ſed per eam qua in illos Deus vſus fuerat miſericordiam: hic verò vbi magiſtri perſonam gerit, non ait præcipio, neque iubeo, ſed dico, vtens hac vrbanitate, ſeipſo digna.

16. *PER gratiam quæ data eſt mihi.)* Non eam quæ gratum facit ſignificat hoc loco gratiam, ſed munus Apoſtolicum, cuius ſub hoc nomine ideò mẽtionem facit, vt ſuam illis authoritatẽ veluti à Deo acceptam cõmendaret: nõ enim dicit per meam authoritatem, ſed per (*gratiam quæ data eſt mihi;*) id eſt, quæ nullis meis meritis, ſed in veſtram vtilitatem donata eſt mihi.

17. *NON plus ſapere, quàm oportet ſapere.)* Ex ſententia Origenis ad omne Orig. virtutum genus extendi poteſt hæc Pauli ſententia: vt ſi quis ſub ſpecie iuſtitiæ, nimius fiat in vindictis, aut liberalitatis prætextu, ſua dilapidet bona. Hæretici qui cauteriatam habentes cõ- 1.Tb.4. ſcientiam, prohibebant nubere, & à cibis abſtinere quos Deus creauit, ſapiebant plusquàm oportet: nimirùm, quia limites tranſibant veritatis. Ecõtrà verò minus ſapere quàm oportet, eſt minus de re aliqua ſentire, quàm pro eius dignitate conuenit, ſicuti qui contra caſtitatem, prædicaret ſimplicẽ fornicationem non eſſe peccatum. Aut contra abſtinentiam, nulla ratione eſſe à carnibus abſtinendum. Aut contra Chriſtum, ſicut Arrius qui eum faciebat eſſentia aliũ à Patre. Et Sabellius, qui eandem eum perſonam reputabat cum Patre. Huiuſmodi, de caſtitate & abſtinentia, & Chriſto Domino Saluatore noſtro, minus ſapiebant quàm oportet. Vel aliter (*non plus ſapere quàm oportet,*) id eſt, non altius de ſe exiſtimare quàm par eſt, vetans in hoc Paulus nequis infletur ſupra alium de donis à DEO perceptis, ſed ſi quam à Deo gratiam perceperit, in ea modeſtè ſe gerat. Vnde dicit.

18. *SED ſapere ad ſobrietatem.)* Sobrietas propriè circa luxus victus, vel veſtitus, verſatur. Transfertur tamẽ ad alia quæ pondere & mẽſura moderata ſunt, in quibus ſcil. homo debitam mẽſuram obſeruat. Quam quidem modeſtiæ ac temperantiæ virtutem, Cicero Cic. frugalitatem appellat. Sapere igitur ad ſobrietatem, iuxta D. Tho. eſt menſu- Tho. ratè ſapere ſecũdum gratiam ſibi datam. Vel ad mediocritatem de ſe ſapere & ſentire, ſecundũ id quod in ſe eſt, & eo modo quo opportet. Eſt denique ſobrio, modeſtoq; eſſe animo.

¶ Cauenda eſt hic tamen puſillanimitas, quæ humilitatis prætextu, ſolent ignaui receptum abſcondere talẽtum, ſubducentes ſe negotijs publicis, maximè fidei, vbi ſua opus eſſet doctrina & diligentia. Huiusmodi nõ erunt immunes in Dei iudicio, nec fugient pœnas iacturæ factæ in ipſius Domini vſura. Sic ergo infrenãda, domandaq; eſt noſtræ carnis ſuperbia, vt cauentes hoc vitium, pariter ſtudeamus ſobrietati, hoc eſt, ijs quæ ex officio nobis incũbunt. Vnde dicit,

19. *ET vnicuique ſicut DEVS diuiſit menſuram fidei.)* Græci non habent, et, vt ait Gagneius, ac ſic commodior erit cõnexio (*Præcipio omnibus ſapere ad ſobrietatem, ſicut vnicuiq; Deus diuiſit menſuram fidei*, vel præcipio *ſapere ad ſobrietatem, &* id quidem *ſicut vnicuique Deus diuiſit*, id eſt, diſtribuit (*menſuram fidei,*) quo loco Græci & Photius ſumſit fidem pro donis gratuitis ac viſibilibus quæ in primitiua eccleſia Spiritus ſanctus largiebatur fidelibus, & ſic explanandũ

nandum eſt, (*menſuram fidei,*) ideſt, mẽ-
ſuram donorum ſuorum quæ ordinan-
tur ad fidei ædificationem, ſiue in vtili-
tatem publicam. Quæ quidem dona nõ
eadem omnibus, ſed diuerſa diuerſis ex
voluntate Dei contingũt, nec æquali-
ter omnibus, ſed vnicuiq; ſecundũ cer-
tam menſuram donationis Chriſti. Vn-
1.C.12. de Apoſtolus ſobriè ſapiens iuxta hãc
menſuram dicebat, non autem in im-
menſum gloriamur, Sed ſecundum mẽ
Eph.4. ſuram regulæ, qua menſus eſt nobis
Deus. Soli autem Chriſto datus eſt Spi
1.C.12. ritus non ad menſuram. ſ cæteri verò
omnes menſuratè acceperunt Chriſti
Ioa.3. dona, non ſolùm gratuita, ſed etiã gra-
tum facientem, fidem ſcil, quæ per cha
ritatem operatur. Inde eſt, quod diſci-
puli Chriſto Deo noſtro dicebant, Dñe,
adauge nobis fidem. Menſura igitur
qua vnuſquiſq; debet metiri exiſtima-
tionem ſui, eſt donũ quo diuinitus do-
natus eſt, & munus ad quod eſt aſſum-
ptus. An verò illud ſit legitimũ necne,
cognoſcetur equidem, ſi via, & ordine,
Mat.5. & authoritate maiorũ, iuxta Euangeli-
cam ſententiam, fuerit ſuper candela-
brum erectus. Oportet verò doctores,
inſigni prudentia, & humilitate, atque
ſobrietate præditos, aliorum iudicium
de ſemetipſis explorare, ſua ſemper ve-
reri, aliena, omni procul liuore, ſed diſ-
cendi ſtudio perluſtrare.

Abeant ergo illi qui ſola linguarum
cognitione inſtructi, omnes Theologiæ
numeros inflati profitẽtur: vulgo pro-
phano, & imperito perſuadentes, non
alia opus eſſe eruditione ad inteligen-
dos doctores, & eloquia ſacra: occaſio-
nem dantes non ſolùm ex grãmaticis,
verumetiam ex opificibus, & plebæis,
alijsq; perditis hominibus, vt iudices,
ac magiſtri eſſe velint ſacræ paginæ.
Illudq; modo velint credere, ac tenere,
quod vnuſquiſq; pro ſuo guſtu intele-
xerit. Væ illis cæci ſunt & cæcorum du-
ces, non inteligentes, myſteria ſcriptu-
ræ improbo ſtudio, longoq; tempore
indigere vt penetrari valeant: multo
profectò longiori quàm vel iurium fa-
cultas, vel philoſophiæ, vel aliarũ artiũ,
in quibus tamen nemini fides datur,
antequam impenſiſsimo ſtudio bonam
ætatis partem expenderit.

20. *SICUT enim in vno corpore mul-
ta membra habemus, omnia autem mẽbra
non eundem actũ habent, Ita multi vnũ
corpus ſumus in Chriſto: ſinguli autem al-
ter alterius membra, habentes donationes,
ſecundum gratiam quæ data eſt nobis, dif-
ferentes.*) Exemplo magni corporis in
quo multa membra non eũdem actum,
ideſt, eandem actionem, ſiue operatio-
nem habent, docet in corpore myſtico
quod eſt Eccleſia, ſingulos homines eſſe
vice membrorum, habentes iuxta gra-
tiam nobis cõceſſam, diuerſas donatio-
nes: qua quidem ſimilitudine inducit
ad bonũ vſum gratiæ, & ad bonos mo-
res, maximè ad humilitatem & charita
tem. Nam ideò Deus variè ſuas dotes
partitur, ne quis aut faſtidiat alium, aut
unum ſe ſibi ſufficere putet, & vt ſin-
gulorum dotes fraterna charitas faciat
omnium cõmunes. Non enim cõuenit
vt minus in nobis valeat Chriſti gratia,
quàm in animanti valet vis naturæ.
Quæ ſocietas eſt membrorũ inter ipſa
in corpore animatis, ea eſt ſocietas ſin
gulorum inter ipſos qui ex varijs ſectis
& gentibus in Chriſti conſortium ſunt
cooptati. (*Sicut enim in vno corpore*) hoc
ſcil, viſibili, licet ſit vnũ & idem, tamẽ
(*multa membra habemus,*) ex quibus cõ
pactum eſt. (*Omnia autem membra non
eundem actum habent,*) ideſt, non idem
officium habent. Alio munere fungun-
tur oculi, alio pedes, alio venter ac ma-
nus. Et tamen oculus non ſibi vni, ſed
toto proſpicit corpori: venter non ſibi
tantùm, ſed omnibus membris conco-
quit: (*ita multi*) ceu conflati (*ſumus
vnum corpus*) ſpirituale, (*in Chriſto*)
capite noſtro, quaſi ei inſiti, (*ſinguli au-
tem alter alterius membra*) non enim a-
liud eſt Chriſtianus Chriſtiano, quàm
membro membrum eiuſdem corporis;
(*habentes donationes differentes,*) ideſt,
varias dotes, non iuxta noſtra merita,
ſed (*iuxta gratiam quæ data eſt nobis,*)
ideſt, iuxta munificẽtiam Dei, quæ par-
titur ſingulis, vt videtur expedire. Iam,
quod ſunt officia ſingulorum mẽbrorũ

in corpore naturali, hoc ſunt variæ dotes, alijs atque alijs noſtrum variæ diſtributæ. Quemadmodum igitur membra præſtabiliora velut oculi, non faſtidiunt humiliora, ſed officio ſuo ſuccurrunt omnibus, alioquin totum corpus collaberetur, ita ſuam quiſque dotem, ſiue præclara contigit, ſiue mediocris, pro ſua portione conferre ſtudeat, in totius corporis ſpiritualis, ſiue myſtici cõmodum.

¶ Obſerua diligenter, quod ſimilitudo hæc corporis myſtici quod eſt Eccleſia, ad corpus animantis facta, in tribus poſita eſſe videtur, nimirùm, in corporis vnitate. Deinde, in membrorũ multitudine & varietate. Tertiò, in officiorum diuerſitate. Quoad primum, obſerua, quod vna eſt anima quæ viuificat corpus humanum: & vnus eſt Deus qui vi-
1.C.15. uificat animam Chriſtianis, cuius ſpiritualis vitæ principium Chriſtus eſt, atq;
Eph.1. adeò caput Eccleſiæ, de cuius plenitudine nos omnes accepimus. Nam quemadmodũ in homine animalis virtus, ex eodem victu, ſpiritus generat, nutritq; diuerſos, diuerſis organis attẽperatos, alios quidem viſui ſeruientes, alios verò auditui: ita & Chriſtus Dñs per ſuum viuificatorem ſpiritum, alijs prębet prophetiæ ſpiritum: alijs linguarum donũ: alijs doctrinæ gratiam ad docendũ: alijs prudentiam ad gubernandũ: vt doctores, ſint tãquam oculi: vulgus, tãquam auditus, quo ſenſu acquiritur diſciplina. Miſericordes autem ſint veluti manus, & pedes miſerorum. Diuites verò, velut ſtomachus, & inopũ alimonia.

¶ Obſeruandum inſuper, quod mẽbrorum ratio, non ſolùm in hoc quod eſt pars, ſed etiam in eo quod ſingulare habeat officiũ in corpore, ab alterius officio diuerſum, conſiſtit, ſicuti oculus, manus, pes. Deinde, vnumquodq; mẽbrum, non ſolùm totius corporis, ſed etiam cuiuslibet membri eſt membrũ, quatenus omnia membra inter ſeipſa, mutua ſe opera iuuant, ſicut oculus pedi, pes oculo, & toto corpori ſeruiunt.

¶ Varietatis autem membrorum corporis myſtici, obſerua, quod triplex poteſt aſsignari ratio. Prima eſt imbecillitas, & incapacitas virium naturalium: non enim omnia poſſumus omnes. Ideò opportuit, vt (ſicut in ciuili Republica) multitudine ſupleretur, quod ſinguli præſtare non valent. Deinde, propter pulchritudinem, quæ ordinum varietate conſtat. Tertia demum quæ iam dicta eſt, propter humilitatem, & charitatem tuendam, & augẽdam. Vnuſquiſq; enim cognoſcens, ſe alterius indigere opera, ſumiſsius ſe geret erga illum: accipiens verò fauorem, amabit illũ propter acceptum beneficium. Atque hinc inteligens vnum eſſe omnium parentẽ Deũ, qui vniuerſalem noſtri curam gerit, amet eum ſuper omnia.

¶ Obſeruandum præterea, quod dona quæ hìc Paulus donationes vocat, Græcè autem chariſmata dicuntur, dantur quidem illa ſecundũ gratiam, & ſecundum eandem differenter dantur: gratis enim illo authore diſpenſantur. In quorum diſtributione reſpectũ habet nõnũquam Deus ad ingenia & dotes naturales, quæ etiam dona dicũtur & talẽta Dei: vtens quidem illis tãquam autor naturæ, ad cõmodiorem executionem munerum quæ ad ſalutem publicam inſtituit: non autem tãquam meritis quæ dicũtur de condigno, huiuſmodi enim gratiæ, dona nõ cadũt ſub merito. Hũc reſpectũ habuiſſe videtur in Petro, quẽ Eccleſiæ præfecit, fuit enim animi magnitudine præditus, quæ quidem ad bonum gubernatorem maximè pertinet. In Paulo ad animi conſtantiã, vim perſuadendi, animum indefeſſum ad quoſlibet labores ſuſtinendos, quæ etiã neceſſaria videbantur ad implendam gẽtium conuerſionem, cui Dñs eum deſtinauerat. Talis etiam reſpectus habẽdus eſſet in eligendis Eccleſiæ miniſtris qui quotidiè aſſumũtur ad illius gubernationem, etiam in illa electione, cui Spiritus ſanctus ſuo intereſt numine, vt ſcil. illa fieret ſecundum naturales perſonæ qualitates.

¶ Sapienter igitur Paulus hac ſimilitudine ſuam explanauit ſentẽtiã, qua iuſsit

vt nemo plus ſaperet quàm oportet ſapere, ſed quod vnusquiſq; ſapiat ad ſobrietatē. Vt quemadmodum nullum membrū, officiū alterius ſibi vſurpat, ſed ſuum quodlibet ſeruat, ita nemo alterius ſcientiā, aut facultatē arrogare ſibi debet: imò & quemadmodum oculus non poteſt dicere manui, opera tua non indigeo, ita neq; homo homini nō es mihi neceſſarius in his rebus, quibus ipſe caret. Denique ſicut vnumquodq; membrū nunquam officio ſuo deeſt, obſequiū præſtans vel toto corpori, vel alteri membro: ita Chriſtianus homo vel toto corpori quod eſt Eccleſiæ, vel cuilibet membro, quod eſt omnis Chriſtianus, ſemper ſeruire debet: alter alterius onera portando, vt ſic adimpleatur Chriſti lex, videlicet, vt cæcus claudum portet, qui mutuo beneficio cæcum rectà ducat. Pedes & manus ſtomacho ſeruiant, à quo viciſsim alantur. Et vnuſquiſq; ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes, vt ait
1.P.4. beatus Petrus.

21. *SIVE prophetiam, ſecundum rationem fidei. Siue miniſterium, in miniſtrando. Siue qui docet, in doctrina. Qui exhortatur, in exhortando. Qui tribuit, in ſimplicitate. Qui præeſt, in ſolicitudine. Qui miſeretur, in hilaritate.*) Docet diuerſarū gratiarum vſum, & primò quidem in rebus diuinis quantum ad cognitionem occultorum. Nam cum dixiſſet varias eſſe ſingulorum hominum dotes, non iuxta noſtra merita, ſed iuxta munificentiam Dei, impertitas: quamobrem ne quis eo quod cōtigit dono efferatur, ſed ſobrius ac modeſtus vtatur in bonū omnium, inquit nunc (*ſiue prophetiam,*) ſcil, habentes, ideſt, donum prophetiæ in prænūtiandis quæ ventura ſunt, aut in exponendis arcanis litteris, (*ſecundum rationem fidei,*) ideſt, iuxta modū fidei ſcil, habeant hoc donum. Fidem
1.C.12. enim in omnibus reſpicit, & quærit De⁹, ad cuius ædificationem data eſt prophetia, & aliæ gratiæ gratis datæ: & ex fide ſumēda eſt regula prophetiæ, nimirùm vt qui infra limites fidei prophetauerint, habendi ſunt prophetæ: qui verò illos violauerint, proſcribantur, vt pſeudoprophetæ, iuxta illud, Si fuerit in me- Deu.13.
dio tui Propheta, & dixerit tibi, eamus & ſequamur deos alienos: non audies verba Prophetæ illius, quia ſcil, prophetizat contra fidem. Quare (*ſecundum rationem fidei,*) habeat qui habet donū Tho.
prophetiæ, vt ſcil; non in vanū, aut cōtra fidem, ſed vt per hoc fides confirmetur, augeatur, & creſcat. Et citra ſupercilium, bonum ſuū cæteris cōmunicet. Fidei eſt animas viuificare, & iuxta hanc rationem vtendum eſt prophetia.

¶ Obſerua, quod prophetia eſt quædā viſio, ex reuelatione diuina, eorū quæ ſunt procul. Iuxta illud, Qui propheta 1.R.9.
hodie dicitur, vocabatur olim videns. Procul autem à cognitione noſtra, vel refertur ad tēpus, vel ad rei maieſtatē. Ad tempus quidem, futura contingentia dicūtur procul à noſtra cognitione, nam propter deffectum ſui eſſe, cognoſcibilia non ſunt. Ad rei verò celſitudinem & maieſtatem, res diuinæ ſunt procul à noſtra cognitione, non ſecūdum ſe cum ſint maximè cognoſcibiles: quia vt inquit beatus Ioannes, Deus lux eſt, 1.Ioa.1.
& tenebræ in eo nō ſunt vllæ. Sed propter deffectum intellectus noſtri, qui ſe habet ad ea quæ ſunt in ſeipſis manifeſtiſsima, ſicut oculus noctuæ ad lucē Philoſ.
Solis. De duobus igitur poteſt quis dici Propheta, vel qui de futuris contingentibus vaticinatur: vel cui ſua per ſe De⁹ reuelat arcana, quæ ſupra ſenſum hominis ſunt. At verò, qui futura prædicit, magis propriè iuxta nominis notionē dicitur Propheta, quàm ille cui reuelātur inuiſibilia Dei, licet digniori perfūdatur cognitionis luce: quia vnūquodq; magis dicitur tale, quod eſt ſecundū ſe tale, quàm ſecundū aliud: & propter hoc, futura contingentia quæ non exiſtunt, magis propriè dicūtur eſſe procul à cognitione noſtra, quàm inuiſibilia Dei quæ maximè exiſtūt. Vſitatius ergo ex illis, quàm ex iſtis, quis dicitur Propheta, hoc eſt, procul videns.

¶ Obſeruandū prætereà, quod propheta & Apoſtolus differūt penes hoc, quod Apoſtolus licet verè ſit propheta, perti-

net

1.T.1. nec tamen ad eum fidei promulgatio in miraculorum virtute, atqueadeò vniuerſalis Eccleſiæ gubernatio. Prophetia autem propriè in hoc cōſiſtit, quod ſit immediata Dei reuelatio, quam ſcil. Deus facit per ſe. Et idcirco in Eccleſia iam non eſt propheta vt olim fuit, quia non immediatè à Deo, ſed ab Apoſtolis & Prophetis docentibus & ſcribentibus accepimus diuina myſteria. Nec eſt in Eccleſia poteſtas condendi ſacram Scripturam: licet in exponēda illa, putà in condendo ſymbolo, colligēdoq; illo ex ſacra Scriptura, errare nō poſsit cum fuerit legitimè congregata: tunc enim adeſt illi Spiritus ſanctus docens omnem veritatem. Talis igitur reuelatio cum non ſit immediata à Deo, non eſt prophetia, ſed eſt vſus reuelationis factæ Prophetis & Apoſtolis: ſuper quorum fundamentis ſumus nos Chriſtiani ſuperædificati. Et obſerua, quod hoc prophetiæ donum, ſicut & cætera Spiritus ſancti dona, videlicet, dæmonia eijciendi, languores curandi, & huiuſmodi, in primordijs Eccleſiæ dum fides erat in cunabulis, erāt vtique neceſſaria ad fidei irroborationem. Fides verò iam educata, adulta, & corroborata, iam non ſunt chariſmata hæc ordinaria in Eccleſia. Si igitur Apoſtolus in hoc loco, propriè de prophetiæ dono loquatur, ad ſuum ipſius tempus tantùm referendum eſt.

Ioel.2.

Eph.2.

¶ Veriſsimile tamen eſt vt non tam arctè vocem vſurpauerit. Poteſt enim prophetia etiam accipi & pro ſcientia Theologiæ, qua ſacra pagina ſpiritu prophetico tradita, elucidatur, ac populo declarata profertur: iuxta illud, Qui prophetat, omnibus loquitur ad ædificationem, exhortationem, & conſolationem. Et illud, Adhuc doctrinā quaſi prophetiā effundam. Ad quam prophetiam adhibere ſtudium, poſsibile nobis eſt, & in noſtra poteſtate, vt ait Origenes.

1.C.14

Eccl.24

Orig.

¶ De doctoribus autem Eccleſiæ, Hieronymo, Auguſt. Ambroſ. Chryſoſto. & huiuſmodi, quis negare poterit ſpeciali numine fuiſſe afflatos, altioriq; lumine ſuffuſos quàm ſit naturale, ad interpretandam ſacram Scripturam. Non enim naturali acumine intellectus valuiſſent tanta dexteritate, ac certitudine vera ſenſa Scripturæ enucleare. Nō tamen ſic illuminati ſunt vt ipſorum dicta pro fidei decretis ſint habenda, (vt ipſemet fatetur Auguſ.) nam hoc gradu, ſanctiones habentur vniuerſalis Eccleſiæ. Aug.

Idem etiam aſſerendum & de doctoribus ſcholaſticis, D. Thoma, Bonauentura, & ſi qui ſunt alij, qui ſacra eloquia, patrumq; ſententias ſtilo ſcholaſtico digeſſerunt, in ſuaq; principia reſoluentes adduxerunt: atqueadeò per certas concluſiones diſpenſauerunt, ac diſpoſuerunt, vt doctrina, ſiue quæ ad res diuinas & ſacramenta, ſiue quæ ad humanos mores pertinet, paratior eſſet, & clarior, ſiue euidentior. Hæc vtique ſunt adeò difficilia, vt abſque ſubſidijs cœleſtibus, illuminationibusq; diuinis fieri non poterant.

22. *SIVE miniſterium, in miniſtrando.*) Hoc eſt, ſecundum munus quod pertinet ad res diuinas, nimirum adminiſtratio ſacramentorum, aliorumq; miniſteriorū: ad quæ duo aſſumitur omnis Antiſtes, videlicet, ad interpretationem ſacræ Scripturę, & ad miniſtrandū. Ait ergo, (*ſiue miniſterium,*) ideſt, ſiquis donum miniſterij ſuſcipit, putà vt ſit Epiſcopus vel ſacerdos, exequatur illud diligēter (*in miniſtrando,*) hoc eſt, intra eandem ſe functionem cōtinear, modeſtèq; fungens officio ſuo, opera ſua iuuet fratrem ſuum. 1.C.4. Mat.20

23. *SIVE qui docet, in doctrina.*) ſcil. ſe exerceat ſtudioſè atque fideliter, hoc eſt, cui contigit doctrinæ dos, ne faſtidiat indoctos, ſed, citra faſtum, eruditionem ſuā alijs impertiat. Vbi doctrina latius patet, quàm prophetia: extēditur enim & ad humanas ſcientias, & facultates.

24. *Qui exhortatur, in exhortando.*) Superius donum ad ſpeculatiuam, hoc verò ad practicam ſcientiam pertinere videtur. Duo namq; ſunt per ſe officia

docere

docere & exhortari; licet in concionatore, qui adminiſtet eſt verbi, coniuncta ſint: inquit ergo (*qui exhortatur,*) id eſt, qui habet officium vel gratiam exhortandi homines ad bonum, vt ſcil. ex ſacris litteris, vel aliunde poſsit ad pietatem, ac mores honeſtos inflamare. dicêdo, Vtatur hoc dono (*in exhortando,*) hoc eſt, vtatur ſua dote modeſtè. Damnatur quidem in hac plurimorum vitiũ, quod proles eſt ſuperbiæ, illorum ſcil. qui nunquam illo vitæ inſtituto cõtenti ſunt, ad quod ſunt aptiſsimè nati, & in quo poſsêt maximè vel Eccleſiæ, vel Reipublicæ eſſe vtiles: ſed ſatietate nauſeantes, alias atque alias ambiunt rationes viuendi, in quibus aut multò minus, aut certè nihil prodeſſe poſſunt, vel proficere.

ſ.

25. *Qui tribuit, in ſimplicitate.*) Inſtituit nos deinde Apoſtolus ad beneficentiam, quæ vt eſt in Repub. maximè neceſſaria, Deoq; gratiſsima, ita debet eſſe ſimpliciſsima, hoc eſt, à liberalitate omnino proficiſcens, nihil cõmixtũ habens non ſolùm iniquitatis, vt ſcili. donis homines ad malum quis alliciat, verum neque reſpectum ad retributionem, vt ex modico dato quis intendat multo maiora acquirere, iuxta illud,
Eccl. 20. Datum inſipientis, non erit tibi vtile, oculi enim illius ſeptẽplices ſunt: exigua dabit, & multa improperabit. Chriſtus Deus noſter, non ſolùm vſuram in beneficijs collocandis vetuit,
Luc. 14. verum & intentionẽ repetendi gratiam, pro gratia. Cum facis, inquit, prandiũ, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neq; vicinos, & diuites, ne fortè & ipſi te reinuitent, & fiat tibi retributio: ſed voca pauperes & debiles, &c. Et beatus eris quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in retributione iuſtorum. Hac ſanè ratione, etiam apud Philoſophos naturales malè audiebant qui non ſyncera liberalitate beneficia conferebant, ſed fœnerabant potius.
Senec. Demus, inquit Seneca, beneficia, non fœneremus: dignus eſt decipi, qui de recipiendo cogitauit, cum daret. Chriſtianis autem longè ſpecioſior, excellẽtiorq; debet eſſe puritas in largiendo miſeris, nempe, vt neque gratitudinem (quanuis neceſſaria ſit in recipiente) expectemus ab illo, ſed omnia à Chriſto Domino, qui non ſolùm fidei iuſſorem, ſed etiam debitorem pro ipſis ſe conſtituit; perinde ac ſi ipſe reciperet. Quod vni, inquit, ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Et in die Iudicij, eſuriui, & dediſtis mihi manducare: ſiti- Matth. 25.
ui, & dediſtis mihi bibere, &c. Graue igitur vitium eſt ingratitudo, ſed grauiſſimum inter Chriſtianos non tribuere in ſimplicitate, cum quidquid pauperibus damus, Deo noſtro damus qui ſanguinem ſuum pro nobis effudit. Ait itaq; Paulus, (*qui tribuit,*) id eſt, qui habet facultatem tribuẽdi & gratiam, vel cui contigerunt facultates vnde ſuppeditet egentibus, & largiatur ijs quibus opus eſt: exequatur hoc, vel ſuccurrat tali gratia illis (*in ſimplicitate,*) id eſt, nõ ad inanem gloriam, neque ſpe redituræ cum fœnore gratiæ, neque animo alicuius mali perpetrãdi: ſed ſimplici pectore, propter gloriam Dei ſolùm.

·

26. *Qui præeſt, in ſolicitudine.*) Generaliter comprehendit magiſtratus omnes, tam ſeculares, quàm ſpirituales, quibus cura delegata eſt cæterorum, eaq; in re valent, præcipiens eis, vt honos non illos elatiores reddat, ſed cura cõmiſſa ſolicitos: neq; ſibi gerant munus delegatum, ſed ijs quorum curam in ſe ſuſceperunt. Ait ergo, (*qui præeſt,*) id eſt, qui eſt in officio prælationis conſtitutus, vtatur illo officio (*in ſolicitudine:*) hac ſolicitudine angebatur ille inſignis prælatus qui dicebat. Quis in- 2.Cor. 11.
firmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non vror? Sed cum his noſtris miſeris temporibus, quàmplurimi ſcandalis exurantur, plurimiq; perditiſsimis moribus iugulentur, proh dolor, non eſt qui ſentiat, non eſt qui lugeat, non eſt qui charitate caleſcat, non eſt qui cum Dauid tabeſcat prop- Pſal.
ter præuaricantes, qui eloquia Dei nõ cuſtodiunt. Nullus eſt pater, qui cum eodem pijſsimo Rege lugeat mortuũ Abſalonem, id eſt, filium perditum.

Ro.9. Nullus eſt frater, qui cum Paulo optet anathema eſſe à Chriſto pro fratribus ſuis. Nullus Prælatus, qui pro grege ſibi cõmiſſo dicat cum Moyſe, Aut dele me de libro vitæ, aut dimitte illis noxam hanc. Omnes quærunt quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti. Omnes conantur ſuum celebrare nomen, ſuum illuſtrare ſanguinem, nõ Chriſti Dei noſtri. Hebr.13. Obedite, inquit Paulus, Præpoſitis veſtris & ſubiacete eis, Ipſi enim peruigilant quaſi rationem reddituri pro animabus veſtris. Ex quibus verbis colligi videtur, non aliud ius habere Prælatos exigendi ſubditorum obediẽtiam, quàm quòd talem morũ habeãt vigilantiam & ſolertiam, qualem habere debent qui reddituri ſunt rationẽ effuſi ſanguinis filij Dei in pretium animarum. Quapropter nemo mirari debet in deuaſtatione Hieruſalem, idest, Eccleſiæ Chriſtianæ, in rebellione tot ſubditorum aduerſus ſummas Eccleſiæ dignitates, & talis rebellio, qualis ab orthodoxorum oculis nunquam viſa eſt. Iudicium iuſtum, & ira Dei de cœlo deſcendens videtur, in vltionem negligentiæ Prælatorum. Nam poſtquam Prælati dimiſerunt Eccleſiarum debitã ſolicitudinem, dimiſit etiam Deus plebes contra eos rebelles fieri.

27. *Qui miſeretur, in hilaritate.*) Fulgor & ſplendor miſericordiæ, eſt hilaritas mẽtis & vultus alacritas, quæ tàm eſt miſerenti neceſſaria, quàm eſt miſero grata. Ideò inquit, (*qui miſeretur,*) idest, qui gratiam habet ſuccurrendi miſeris, & calamitoſis: nam hoc loco, (*miſereri,*) non ſignificat compati, ſed miſericordiam, & eleemoſinã præſtare. Qui ergo miſericordiam præſtat, (*in hilaritate*) ſubaudi, eam præſtet. Hilarem enim datorem diligit Deus. Abſit igitur ab eo qui ſubleuat, triſticia, quæ 2.C.9. premat eum qui ſubleuatur, & beneficium velut exprobret: ſed hilaritate gratiam officij conduplicet, vt quidquid facis, velut ex alieno, & ex animo facere videaris. Quomodo eum qui in triChryſ. ſtitia eſt, ait Chryſo. refocillabis, ſi tu doles? Nam quoniam nihil adeò videtur hominibus turpe, ac ab alijs accipere, niſi excellenti hilaritate ſuſpitionẽ illam ſuſtuleris, oſtenderisq;, quod magis accipias, quàm des, magis deijcies accipientem, quàm refocillabis. Sic & vidua multa talenta duobus obolis ſuperauit, larga ſiquidem mente dedit. Poteſt enim quis & in paupertate magni, & in diuitijs puſilli animi eſſe. Facit etiam pro ornamento huius virtutis, celeritas in dando, iuxta illud Prouer. Qui citò dat, bis dat. Quæ quidem celeritas, ſine hilaritate eſſe nequit: qui enim tardè fecit, diù noluit. Idcirco Sapiens, in omni dato, inquit, hilarem fac vultum tuum: Et non protrahas Eccl.35. datum anguſtianti.

28. *Dilectio, ſine ſimulatione.*) Segnitie in miniſtrando, negligentia in docẽdo, remiſsione in exhortàndo, duplicitate in diſtribuendo, deſidia in præſidẽdo, triſtitia in miſerendo, & alijs huiuſmodi malis, corrupta ſunt multorum hominum officia, etiam ſi quid benignè facere videantur. A Chriſtianis omnis abſit fucus, ſed ſit mutua inter eos charitas, ſimulandi, et diſsimulãdi prorſus ignara, & hæc, ſingula cuiusq; officia Deo cõmendabit. Eſt enim charitas radix & fundamentũ officiorũ omniũ, atque virtutum: nam iuxta Apoſtolũ, 1.C.13. charitas benigna eſt, patiens eſt, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, omnia ſuffert; omnia ſuſtinet. Diſtinguit igitur hîc primò Apoſtolus, veram charitatem contra falſam, tãquam aurum contra auricalcum, & veram perſonam contra illam quæ aſſumitur in comœdia. Et præcipiendo inquit ſic (*dilectio*) ſubaudi, ſit vobis (*ſine ſimulatione,*) eſt autem ſimulata dilectio, illa quæ externè verbis & geſtibus effigiatur, re autẽ caret intùs. Vnde beatus Ioannes, Nõ 1.Ioa.3. diligamus, inquit, verbo, nec lingua, ſed opere & veritate. Nam iuxta Grego. Greg. Probatio, ſiue inditium amoris, exhibitio eſt operis. Nihil eſt Deo magis odibile, quàm ſimulatio fucatæ charitatis. Eſt enim Deus ipſamet charitas, & veritas: ideò deteſtatur mendaces, & diſ- Pſal. perdet illos: & Spiritus ſanctus diſciplinæ

Sap. 1. plinæ effugiet fictum. Tandem nihil eſt in Repub. exitioſius ficto amico: nã vbi te ſecurus illi credideris, facilè incides in laqueum inſidiarũ, quem tibi parauit hoſtis palliatus.

29. *Odientes malum, adhærentes bono.*) De vero bono, & de vero malo ſumendum eſt hoc, non de apparenti. Eſt autem *triplex bonum*, honeſtum, vtile, & delectabile. *Honeſtum* dicitur quaſi honorificum, vtpotè cui propriè debetur honor, ceu genuino virtutis obiecto. *Vtile* verò dicitur quod condecens eſt & cõmodum ad conſecutionem finis, qui eſt bonum honeſtum. Quale eſt tẽporale bonum, quo veluti medicina vtendum eſt, ad conſecutionẽ boni honeſti. *Delectabile* autem eſt, quod ex re aliqua trahit voluptatem. Quæ quidẽ, *Ariſt.* iuxta Philoſophum, talis eſt, qualis res illa, cuius poſſeſſione captatur. Si illicita, mala: ſi vtilis, vtilis: ſi honeſta, bona. At illa tandem eſt *optima delectatio*, quam beatorũ chori de diuina præſentia ſuſcipiunt. Igitur bonum cui adhærendum eſt, ſolus eſt Deus, quandoquidem nihil amandum, niſi ipſe, vel propter ipſum. Vnde Paulus, (*adhærentes*, inquit, *bono*,) ideſt, Deo, quaſi ad glutinati, & compacti, illiq; cõfixi per Chriſti ſpiritum: quemadmodum de ſe teſtatur dicens, Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti. Deffiniens itaq; Beatus Apoſtolus verã charitatem, inquit, quod non ex noſtris cupiditatibus metiamur quidquam, nam hoc prophanũ hominũ vulgus facit, ſed ſola virtute, aut turpitudine, ſimùs (*odientes malum*,) ideſt, abhorrentes ab omni malo. Et ſimus (*adhærentes bono*,) ſcilic. ſummo, ita vt amor nullo permixtus malo, ſyncerus ſit ac purus, de vero ſummoq; bono, nẽpè Deo. Odium autem de vero malo, ſcil. peccato. Odio habeamus peccatũ proximi, perſonæ tamen illius optemus bonum, & ſubueniamus. Amicum diligamus quatenus lex permittit honeſtátis, videlicet, ne propter eius amorem faciamus quidquam cõtra diuinam vo-*Mat. 10* luntatem. Ipſe enim dicit, qui non reliquerit patrem, aut matrem, aut vxorem propter me, hoc eſt, propter rationem & iuſtitiam, nõ eſt me, hoc eſt, amicitia mea dignus. Quaſi dicat, qui aliqua carnis neceſſitudine inductus vt meã violet amicitiam, non omnia tunc potius fœdera, ac ſanguinis coniũctionem, & vincula abruperit, indignus eſt gratia mea.

30. *Charitate fraternitatis inuicem diligẽtes.*) Poſita ſubſtantia charitatis, quæ cõſiſtit in hoc quod adhæreamus Deo, & recedamus à peccato, deſcendit ad ornamenta ipſius, quorum primum eſt amor fraternæ charitatis. Nam licet inter homines, diuerſi ſint gradus dignitatis, tamen reſpectu Dei, omnes ſumus fratres. Ab ipſo enim omnes conditi ſumus, omnibus dedit orbem pro domicilio, aërem quo refocillemur, alimenta quibus alimur, ſuper omnes tandem ſignatum eſt lumen vultus ipſius, nam omnes imaginem geſtamus creatoris. Hæc quantum ad naturam. Nam ſi ad gratiam ſpectes, eodem Chriſti ſanguine ſumus redempti, eodem baptiſmo ſub gremio vnius Eccleſiæ regeniti: eodem paſcimur ſacramento corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti: in ſumma, omnium vnus eſt Deus, vna fides, vnum baptiſma, vnius patris filij, ad vnam hæreditatem vocati, vnius corporis membra, atque adeò vna religione colligati ſumus. Tot ergo vinculis vnitatis conſtricti, par eſt, vt nos Chriſtiani fraterna ſimus charitate erga nos inuicẽ propenſi, ac benigni.

¶ Alij legũt, (*charitatẽ fraternitatis inuicem diligentes*,) vt ſcil. non ſolùm diligamus fratres per charitatem, ſed etiã diligamus ipſam charitatem quã eos diligimus, & ab eis diligimur. Sic enim ſi charam habemus charitatem, vt ait D. Tho. non de facili eam diſſolui faciemus. *Tho.* Charitas eſt ineſtimabilis valoris cuicũq; eam guſtauerit. Vnde in Cant. *Cant. vl.* dicitur, ſi dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, tãquam nihil deſpiciet eam. In amore humano verificatur hoc, quanto magis in amore diuino, in quo nihil poteſt eſſe tædij. Non ergo eſſe debemus, vel momento temporis ſine hac prætioſa mar-

Heb. vlt. garita: iuxta illud Pauli, Charitas fraternitatis maneat in vobis. Modus autem perfectus & ſublimis, quo iſta charitate debemus vti, eſt ille quem Chriſtus caput noſtrum nos docuit, qui animam ſuam poſuit pro nobis. Hoc eſt, *Ioa. 15.* inquit, præceptum meum, vt diligatis inuicẽ, ſicut dilexi vos. Qui ergo Chriſti amorem immitatus fuerit, æqualiter amabit omnes tãquam fratres, ardenter tãquam filios vnius boni & op- *1. Ioa. 3. & 4.* timi patris. Nullum deſpiciet pauperem, nulli claudet viſcera ſua: Deum quem non videt, & quem videt proximum, vero corde amabit vtrunque. Deus eſt pater noſter, ideò dicimur fratres: in ipſo pluſquam propinqui ſumus, ideò dicimur proximi: atque adeò tãquam ſeipſum tenetur vnuſquiſq; proximum ſuum diligere.

31. *Honore inuicem præuenientes.*) Certamen eſt inter mundanos de præcellẽtia dignitatis: Chriſtianis tamen diuerſum debet eſſe certamen, vt alius aliũ conetur ſibi præferre. Sic nos docuit facere Chriſtus qui pedes diſcipulorũ primus lauit, nam quanto quiſq; maior eſt, tanto ſe debet ſubmiſsius gerere. Inter externa autem amoris officia, primum locum obtinet honor: tùm, quia virtutis eſt præmium. Tùm etiam, quia cum ipſum plurimi faciant mortales, multum confert ad fouendam inter ipſos mutuam beneuolentiã. Tum denique, quia honor quem frater defert fratri, refertur in patrem, ideò honor habitus proximo, Deo exhibetur, qui verus eſt pater noſter. (*honore*) inquit (*inuicem præuenientes,*) ſcil, ſitis. Quibus verbis paritatem fraternitatis deſignat, dum non excipit ſuperiorem aut inferiorem, ſed æqualiter loquitur omnibus, vt honore præueniant cæteros. Sub honoris autem nomine omnia munera, & beneficia, atque obſequia comprehendit, quæ ſuo quiſque gradu, & ordine alteri debet: nimirùm, patrẽ debet præuenire filius obſequio, & reuerentia: & ſi neceſſe eſt, re etiam, & ſubſidio. Pater verò filium, educatione, correctione, & conſilio, victuq; neceſſario. Subditus dominum, veneratione & obedientia, dominus autem ſubditum, munificentia & fauore. In ſumma, nulla debet nobis occaſio prę teriri inexhibendis beneficijs, quibus amicitia Chriſtiana cõparatur, tuetur, & conſeruatur.

32. *Solicitudine non pigri.*) Oſtendit qualiter ſe debeat habere amans erga Deum amatum, nimirùm, non deſes, *Mich. 6.* ac ſomniculoſus, ſed ſolicitus in obſequio eius: iuxta illud, Indicabo tibi ò homo, quid ſit bonum, & quid Deus requirat à te: & poſtea ſubdit, ſolicitè ambulare coram Deo tuo. Et illud, Solicitè cura teipſum probabilem exhibere Deo. *2. Th. 2.* Ait itaque Paulus (*ſolicitudine*) ſitis (*non pigri*) ad ſeruiendum Deo.

33. *Spiritu feruentes.*) Exponit de qua ſolicitudine ſermonem faciat, non de illa quidem quæ cogitat de craſtino dicens, quid manducabimus? aut quid induemur? Talis enim ſolicitudo anxietatem parit, triſtis eſt & languida, vt potè quæ à carnis infirmitate proficiſcitur. Sed de illa quæ eſt à Spiritu ſancto, qui cum ſit ignis diuinus à Chriſto miſſus in terram, ardet vbicũq; eſt, in his ſcili. qui carnales eſſe deſierunt, ſpirituales autem eſſe cœperunt, huiuſmodi *feruentes* ſunt *ſpiritu*: quia nimirùm eorum corda deuotione plena & dulcedine Dei, inſtar ollæ igni appoſitæ ebullire facit, & trãsfluere per ſenſus, & membra, in ſanctas operationes. Talis igitur ſolicitudo, alacris & agilis, ac viuida res eſt.

34. *Domino ſeruientes.*) Inſtituit nos quemadmodum in Deum omnis referenda ſit virtus noſtra, quoniam aliter perpetua nequit eſſe, vel ſolicitudo charitatis, vel feruens ſpiritus. Quidquid ergo in fratres fecerimus, ad Dominũ referatur oportet, nam ita nobis mercedem rependet, quaſi à nobis benè affectus ſit.

35. *SPE gaudentes.*) Spe mercedis vnuſquiſq; Domino ſuo ſeruit: quæ quidem licet ratione dilationis affligat animam, tamen ratione certitudinis *Pro. 13.* gaudium parit, tum maxime cum charitati

ritati Dei innititur certitudo: hinc e-
nim iuſtorum vita, ac gloria, proficiſci-
Ro.1. tur, vt iam ſupra docuit Apoſtolus. Alij
legunt (*tempori ſeruientes, ſpe gaudentes,*)
cuius eſt ſenſus, vt non reluctemur ma-
lis,) *ſed tempori ſeruiamus*, rebus præ-
ſentibus noſmetipſos accõmodantes,
& ſi quid inciderit incõmodorum, vel
declinantes ſi liceat commodè: vel to-
lerantes, non mœſti interim, quod eſt
diffidentium, ſed in rebus aſperis, ſpe
futuri præmij, gaudentes & alacres.

36. *IN tribulatione patientes.*) Docet
vt non paremus deffenſionem ſi impi-
orum improbitas grauius affligat, nec
moliamur vindictam, nec confugiamus
ad humana præſidia, ſed ſimus (*in tri-
bulatione patientes,*) quam propter Deũ
ſuſtinemus. Deinde vt ſimus.

37. *Orationi inſtantes.*) Non ſolùm
orantes, *ſed orationi inſtantes,*) hoc eſt,
aſsiduis & improbis precibus cœleſte
auxilium implorantes, iuxta verbum
Luc.18. Domini, Oportet ſemper orare, & nũ-
1.Thes.5. quam deficere. Et Apoſtolus, Sine in-
termiſsione orate. Per orationem enim
multa quidem bona, illaq; præclara no
bis contingunt. In oratione tanquam
in ſpeculo paruitatem noſtram intue-
mur, magnitudinemq; Dei cõtempla-
mur, inde humilitas, hinc verò timor
atque amor Dei proficiſcitur. Per ora-
tionem excitatur ſolicitudo, fugatur
iactantia, feruor accenditur, ad Deum
accedimus, gaudium ſpei augetur, au-
xilium in tribulatione promtetur, vi-
ctoria contra aduerſarium obtinetur,
in ſumma, ad culmen ſanctitatis oratio-
ne peruenitur. Non enim ſolo Chriſti
teſtimonio, tam crebo nos ad orationẽ,
inſtigantis, verum & longiſsimo vſu cõ-
pertum habuere viri ſancti, fruſtrà
Chriſtianos accingi ad colendam reli-
gionem abſque aſsiduitate orationis,
neque vnquam vllum altius fuiſſe ſan-
ctimonia promotum, quàm fuerit in
oratione perſeuerans. Per orationem
enim adhæremus Deo (per orationem
inquam meritoriam à diuina charitate
profectam,) & qui adhæret Deo, vnus
ſpiritus eſt, in quo ſumma perfectio cõ-
ſiſtit.

38. *Neceſsitatibus Sanctorum commu-
nicantes.*) Superiùs dixit, qui miſeretur,
in hilaritate. Qui tribuit, in ſimplicita-
te. Nunc iterum monet vt neceſsitati-
bus ſanctorum cõmunicemus. Opera
enim miſericordiæ adeò ſunt neceſſaria
ad ſalutem, vt non ſat ſit ſemel, aut bis,
ſed ſæpe illa prædicare. De illis enim
in extremo iudicio, eſt exigenda ratio.
Conſtituit autem Apoſtolus his verbis
ordinem charitatis qui ſeruandus eſt in
eleemoſinarũ largitione. Primò, vt in-
digentibus tribuatur. Laboret, inquit Eph.4.
alibi, operando manibus ſuis, vt habeat
vnde tribuat neceſsitatem patienti.
Habentibus enim, ſuperuacaneum eſſet
quidquam tribuere. Deinde, potius eſt
ſubueniendum iuſtis, quàm alijs, vnde
dicit, (*neceſsitatibus Sanctorum,*) iuxta Eccl.12.
illud, Da iuſto, & non recipies peccato-
rem. Quod quidem non eſt ſic inteligẽ
dum, quod peccatoribus non ſit etiam
largiendum in neceſsitatibus, ſed ſecũ
dum interpretamentum D. Aug. & D. Aug.
Tho. quod non eſt illis opitulandum in Tho.
eorum perniciem, nimirùm, ad fouen-
dum eorum peccata. Iuſti tamen & ſan
cti, in eleemoſinarum diſpenſatione,
cæteris paribus, præferendi ſunt. Tùm,
quod ratione ſuæ probitatis digniores
ſunt. Tum etiam, quia ſuis orationibus
ſunt fructuoſiores. Vnde Saluator, Fa-
cite, inquit, Vobis amicos de mammona
iniquitatis, vt cum defeceritis recipiãt Luc.16.
vos in æterna tabernacula, ſcil. ſuis ſuf-
fragijs. At verò in eo quod ait (*commu
nicantes,*) obſeruant ſancti quod nõ eſt Orig.
contentus Paulus dicere, ſubuenientes, Chry.
ſed ait, *communicantes*, quia dum neceſ- Theo.
ſitatibus, vſibusq; ſanctorum ſuccurri-
mus, quaſi mercimonium exercemus.
Etenim ſi ſtipem præbemus, ſpem re-
munerationis concipimus, atque adeò
cenſum cum illis habemus cõmunem.
Et ſic ſenſus litteræ eſt manifeſtus. ac
ſi diceret, ſi quid opus erit cæteris
Chriſtianis, is cui ſuppetit, impartiat,
non grauatim, ac inamœnè, quaſi ſti-
pem egenti porrigat, ſed quaſi ſuum
cenſum cum illis cõmunem eſſe ducat.

quam quidem benignitatem exercere debemus Chriſtiani, non ſolùm in præſentes, ſed etiam in abſentes.

39. *Hoſpitalitatem ſectantes.)* Ne per omnia pietatis officia ſermonem protraherer, vnius meminit hoſpitalitatis, quæ eſt omnium tùm ampliſsimum, tùm ideò clariſsimū. Nam hoſpes non ſolùm domum exhibet ad manendum, ſed etiam alia neceſſaria ſubminiſtrat. Famelicum refocillat, nudū induit, infirmum recreat, & quauis alia re indigenti proſpicit. Qua de cauſa nō ſolùm apud ſanctos Patriarchas veteris teſtamenti, vt Abraham, & Loth, & reliquos, tanto fuit ſemper in prætio hoſpitalitas, verùm & apud gentes nullū fuit præclarius beneuolentiæ, vel indicium, vel munus, ita vt Ioui ipſi, hoc Hoſpitalitatis epitheton, fuerit inter alia celeberrimum. Et ideò in primordijs Eccleſiæ, ſumma impendebatur opera, varijs xenodochiorum generibus extruendis, aduenis & peregrinis conſolandis. Quid enim præclarius charitatis indicium inter Chriſtianos eſſe poteſt, quàm illos qui non parentibus modo, ſed patria etiam orbati, omnī præſi lio deſtituti in alienis regionibus oberrant, illis viſceribus tractare, quibus Deus ipſe factus eſt pro nobis peregrinus in terra? vbi non foueam cum vulpibus, aut nidum cum auibus, neq; locum alium habuit præter crucem vbi moriens reclinauit caput ſuum. *Mat. 8.*

¶ Hinc beatiſsimus Paulus non ſatis arbitratus eſt dicere hoſpitalitatem exercentes, ſed ait ſectantes. Quia nimirùm non ſatis debet eſſe viro Chriſtiano, aduentantibus ad ſe oſtium pandere, ſed etiam exemplo Abrahæ & Loth, in vias & cāpos prodire, vt obuios quoſq; pro facultate ſua domum adducat, qua charitate cū ſanctis mereretur aliquādo Angelos Dei, imò ipſum dominum Angelorum hoſpitio ſuſcipere. Taxandum eſt ergo inſtitutum illud nōnullis locis receptum, vt peregrini pauperes tempore neceſsitatis non niſi in tri duum recipiantur ac tolerentur. Nam licet ordo charitatis hoc poſtulet, vt noſtris citiùs quā n alienis ſuccurramus, & qui non poteſt non teneatur alienigenis prouidere: tamē non poſſunt pauperes iure quod habent naturali & Euangelico priuari, quocūque diſcurrendi, & vbicunq; manendi, & cuicūq; exponendi ſuas miſerias, & calamitates: niſi eſſent forſan ſine neceſsitate vagabundi, vel exploratores, vel quomodocūq; aliter criminoſi. In eos ergo qui ſe peregrè ad nos conferunt hoſpitales debemus eſſe, ne aut turpiter egeant, aut ad rem illicitam cogantur indecorè diuertere. *Gen. 18. 19.*

40. *BENEDICITE perſequentibus vos.)* Poſtquàm docuit qualiter charitas ſit exhibenda indigentibus, nunc docet, quod etiam ipſis inimicis eam exhibere debemus, quod quidem fit, primò, dum corde & ore bona illis optamus & precamur, purā reſipiſcentiam & ſalutem animæ. Deinde, ſi blandè & leniter eos admonentes dulciq; ſermone iram ipſorum frangimus, iuxta illud, ſermo mollis frangit iram. *Prou.* Tertiò, dū eorum virtutes, ſi quas habent, laudibus cōmendamus. Hæc omnia ad beneuolentiam pertinent, & ad verbum benedicendi: quod, vt inquit D. Tho. eſt idem quod bonum dicere, & hoc tripliciter contingit, primò, ennūtiando, vt cum virtutem alicuius laudibus efferimus. *Tho.* Splendidum in panibus, ait Sapiens, benedicent labia multorum, & teſtimoniū veritatis illius fidele. *Eccl. 31.* Deinde, imperando, & ſic per authoritatem benedicere, propriè pertinet ad Deum à quo bona cuncta deſcendunt, imperio enim Dei, bonum ad creaturas deriuatur. *Iacob.* Per miniſterium autem benedicere, ſpectat ad miniſtros Dei, qui nomen Domini inuocant ſuper populum, Sic, inquit, benedicetis filijs Iſrael, & ſic dicetis: & poſt, inuocabunt nomē meū ſuper filios Iſrael, & ego benedicam eis. *Num. 6.* Tertiò, optando, & ſic benedicere eſt bonum alicui velle, & quaſi bonum pro aliquo precari. Et hoc modo ſumitur hîc: qua quidem ratione, vt ait Chryſoſt. multa acquirimus bona. *Chry.* Nam imprimis multum erga Chriſtum demōſtramus amorem, dum eius cauſa pro nihilò

nihilo ducimus iniurias omnes. Dein-
de, fidem alterius vitæ patefacimus, pro
qua cuncta terrena contemnimus. Ter-
tiò, ex inimicis amicos frequenter fa-
cimus, dum ſic nobis illos beneuolè
attrahimus. Et hac de cauſa Apoſtolus,
non eſt contentus docere, ſic nos cum
Philoſophis, nolite iniuriarum memi-
niſſe, ſit vobis earum obliuio: ſed exi-
gir, vt quemadmodum opportet manus
habere benignas, ita linguam conue-
nit ſemper habere innoxiam. Et ſi fue-
rint qui odio Chriſti, vel iuſtitiæ, nos
perſequantur & affligant, adeò non op-
portet illos vlciſci, vt nec malè precan-
dum ſit: ſed potiùs bene precandum
illis vt reſipiſcant, tantum abeſt, vt quē-
quam deuoueamus. Quibus re nō poſ-
ſumus benefacere, tamen bene optandū
eſt. Et hæc eſt iuſtitia Chriſtiana ad
ſalutem neceſſaria, vt docet Saluator a-
Mat. 5. pud Math. inquiens, Niſi abundauerit
iuſtitia veſtra pluſquàm ſcribarum &
phariſæorum, non intrabitis in regnū
cœlorum.

Sed obſerua, quod hæc Pauli admoni-
tio, duobus modis eſt in præcepto, ex-
tra quos relinquitur ſub cōſilio. Præ-
ceptū enim eſt, ne inimicos à dilectio-
ne & oratione generali excipiamus. Nā
ſi dum quis petit quotidianum panem,
aut aduentum regni in oratione domi-
nica, excluderet inimicos, delictū eſſet,
multoq; grauius ſi id faceret Sacerdos
in ſacris, quoniā à dilectione proximorū
nemo excipitur. Itaq; in tempore ne-
ceſsitatis, qui ſecundus eſt caſus, tene-
mur quoque inimico ſuccurrere, iuxta
Exod. 23 illud, Si occurreris boui inimici tui, aut
aſino erranti, redducas eum. Deū qui-
dem immitantes, qui generali prouidē-
Luc. 23. tia naturæ, Solem ſuum oriri facit ſu-
per bonos & malos. Sed quod aliquis
tamen in ſpeciali, dilectionis effectum,
vt orationis ſuffragiū, aut qualecūque
ſubuentionis beneficium exhibeat ini-
mico interdum, etiam extra articulum
neceſsitatis manifeſtæ, pertinet ad per-
fectionem conſiliorum. Quia per hoc
oſtenditur perfecta charitas ad Deum,
quod omne humanū odium ſuperet, e-
xēplo Chriſti qui pro inimicis exorauit.

¶ Dum autem inimicus reſipiſcit, miſe-
ricordiam petens cum ſatisfactione, nō
iam inter inimicos, ſed inter amicos
computandus eſt, omniq; humanitate
tractandus, & amplexandus. Præceptū
eſt enim eum in amicitiam recipere,
quoniam ita Chriſtus Deus noſter ora-
re Patrem nos inſtituit, Dimitte nobis
debita noſtra, ſicut & nos dimittimus *Mat. 6.*
debitoribus noſtris. Et Sapiens etiam, *Eccl. 28.*
Relinque, air, proximo tuo nocenti te,
& tunc deprecanti tibi peccata ſoluen-
tur. Hæc autem inimicorum dilectio,
ſicut & reliqua moralia præcepta, late-
bat in iure naturæ, nondum ſatis Phi-
loſophis cognito: reuelatur tamen à
Chriſto dum ait contra Phariſæos aſſe-
rentes odio habendos inimicos, ego au-
tem dico vobis, Diligite inimicos ve-
ſtros, orate pro perſequētibus vos: quod
hìc ait Paul. Benedicite perſequētibus
vos.

41. *Benedicite, & nolite maledicere.*)
Benedictio Chriſtiani debet eſſe ſynce-
ra & caſta, omni prorſus maledicentia
carens. Sunt enim duplices animo ho-
mines impuri, qui iuxta Prophetā, ore *Pſal.*
loquuntur pacem cum proximo ſuo,
mala autem in cordibus eorum: ſiue
qui pro libito, non iuxta rationis nor-
mam, nūc benedicūt, nunc verò male-
dicunt, & ex ipſo eorum ore procedit
benedictio & maledictio. Vnde beatus
Iacobus, Non opportet, inquit, fratres *Iac. 3.*
mei, hæc ita fieri: nūquid fons de eodē
foramine emanat dulcem & amaram a-
quam? Sed contrà, quod in ſacra Scrip-
tura legimus multas ſanctorum male-
dictiones tam hominibus quàm inſen-
ſatis rebus factas. Maledictionem He-
liſæi aduerſum pueros ei illudētes, quos *4. R. 2.*
ideò vrſi lacerauerunt. Maledictionem
Iob, in diem natiuitatis ſuæ. Maledi- *Iob. 3.*
ctionem Pauli contra Sacerdotem, per-
cutiet te Deus paries dealbate. Reſpō- *Act. 23.*
detur ad hoc, quod ſicut dictum eſt de
benedicere: maledicere eſt idem etiā
quod malum dicere, hoc autem fit du-
pliciter, nempè, formaliter, & materia-
liter. Primo modo maledicere alicui,
optādo ſcil. illi, precandouè malè, ea pe-
nitus intentione quæ in malū illius fer-
tur

tur, eſt omnino illicitum. Secũdo verò modo, optare malum alicui intentione boni, quando via & ordine fit, tunc le- *Tho.* gitimum eſt & bonum, & vt ait D. Th. eſt magis benedicere quàm maledicere, quia vnumquodq; magis iudicatur ſecundum ſuam formam, quàm ſecundũ ſuam materiam. Siue id fiat enũtiando veritatem quæ neceſſariò adiacet rei, veluti Iob, enuntiauit malignitatem præſentis vitæ. Siue proferendo ſentẽtiam contra iniquos, vt maledictus qui *Deu. 27.* non permanet in ſermonibus legis huius. Siue eorum pœnam in honorem Dei prophetando, vt fecit Iſaias. *Iſai.* Siue ex zelo Dei puniendo, vt fecerunt Hælias, & Eliſæus. Siue corripiendo, vt fecit Beatus Paulus, quanuis ſi cognouiſſet eſſe ſacerdotem, abſtinuiſſet. Et *Iob. 5.* beatus Iob, Vidi, inquit, ſtultum firma radice, & maledixi pulchritudini eius ſtatim, vt ſcil. per aduerſitatem, perueniret ad ſpiritualem profectum. Quinimò & ad deffenſionẽ noſtram optare etiam poſſumus hoſtium exitium, & contra illos belligerare. Mala autem culpæ, & ſuplicia inferni, nemini optare poſſumus. Eſſet enim hoc, idem quod optare vt quis eſſet inimicus Deo, quod charitati repugnat qua eſt à nobis ſuper omnia diligendus. Nec tamen hinc colligendum (vt quidam nimium boni arbitrantur) neutiquam licere nobis inuaſorem occidere, quem credimus in peccato eſſe. Nam aliàs neque Turcas ius permitteret nobis debellare, neque obduratos hæreticos comburere.

42. *Gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus.)* De concordiæ partibus nunc ſermonem facit, quarum prima eſt, læta pariter ac triſtia facere communia, vt ſcil, iungamus tum gaudia, tùm mœrorem ac lachrymas. Et hoc eſt quod vno verbo prædicabant *Philoſ.* Philoſophi. Amicus alter ego. Nam *Chry.* iuxta Chryſoſt. nihil ita dilectionem conciliat, quàm quod gaudium & triſtitiam inuicem inter nos cõmuniter habemus. Neque Paulus ſubueniri ſemper calamitati proximi iubet, quia id ſæpenumero non eſt poſsibile, ſed ſi tollere non potes, produc lachrymas, & maiorem partem ſuſtuliſti: & ſi proſperitatem illius augere non vales, congaude, & multum augmenti attuliſti. Sed de duobus, longè difficilius eſt gaudere cum gaudentibus, (ait Chryſoſt.) *Chry.* multoq; clarius charitatis indicium, quàm flere cum flentibus. Hoc enim poſterius, ipſa natura vltrò facit. Nam cum in calamitatibus proximi, nulla ſit inuidiæ materia, nemo eſt adeò ſaxeus qui illic non defleat. At verò quod aliquis non ſolùm non inuideat ei qui clarus eſt, ac celebris, ſed & cõgaudeat, generoſæ mentis eſt. Lachrymando ergo miſericordem te facis: gaudendo verò, liuore teipſum liberas.

Cauendũ tamen ne quocũq; mœrore, aut quacunq; lætitia communicemus cũ proximo, ſed iuxta charitatis præſcriptum, quæ non gaudet ſuper iniqui- *1. C. 13.* tate, congaudet autem veritati. Si enim quiſpiam eorum qui lætantur cum malè fecerint, & exultant in rebus peſsi- *Prou. 2.* mis, lætitia fuerit affectus de vana huius ſeculi proſperitate per iniquitatem parta: aut de vindicta per iniuriã obtenta: aut de quouis alio malorum genere, potius nobis indolenda eſt eius miſeria, quàm illo turpi gaudio malè affici. Tamen ſi quis de opere virtutis delectatur, vel de aliquo admiſſo flagitio triſtatur, tunc maximè afficiendus ſimiliter eſt proximus quiſque, vt ſic membrorum Chriſti imaginem præſeferant. Gaudio autem & triſtitia de bonis aut malis ſecularibus, quatenus bona aut mala ſunt naturæ, modeſtè vtendum eſt, vt contriſtari de morte amici, aut gratulari de eius fœlicitate.

43. *Idipſum inuicem ſentientes.)* Sũma conſummatio concordiæ, eſt idẽ velle, & idem nolle, circa ea quæ ſunt iuſta & bona, vt concors animus & cõmunis affectus in illis nos ſociet, ſiuè quid læti obtingat, ſiuè quid aduerſi incidat: & ſiquid in aliena ſententia vel cernimus vel olfacimus veritatis, probemus & elucidemus: ſi verò falſitatis aliquid ſuſpicamur, blandiſsimè ad veritatis lineas reducamus, neque noſtra

vell-

velimus retinere mordicùs, ſed faciles nos præbere correctoribus noſtris. Ad hunc enim modum facilè conueniemus in eodem fidei ſenſu, coaleſcetq; inter nos ſancta charitatis concordia. Et hoc eſt quod docet hoc loco Paulus inquiēs, (*idipſum,*) ideſt, idem ſcil, ſitis (*inuicem ſentientes,*) ideſt, inuicem cōcordes & vnanimes, vt ſcil, in eadem fidei & religionis ſententia conueniatis, quod quidem radix eſt,& fomentū pacis. Nam licet quantum ad intelectū ſpeculatiuum, nihil officiat charitati, quæ eſt in voluntate, ſententiarum diuerſitas, quæ prouenit ex vigore rationis, vt in Geometria, & Philoſophia: tamen ſecundum intelectum practicū, vt in agendorum conſilijs & iudicijs, dum Eccleſiæ vel Collegij diſcinduntur ingenia in diuerſas ſentētias, facilè ſubſequitur animorum diuortium, quo extinguitur charitas.

Orig. Chry. ¶ Origenes tamen & Chryſoſt. hoc verbum Pauli aliter interpretantur, nimirùm, vt idem quiſque de ſeipſo quod de proximo ſuo ſentiat, vt ſi magnum te eſſe putas, ſi bonum, &c, talem & proximum exiſtimes: ſi illum exilem & fragilem ſuſpicaris, talem te quoque recognoſcas. Et hoc quidem ab Apoſtolo dictum putant ad edomandam ſuperbiam, concordiæ inimicam, & qua maximè laborabant Romani. Primus autem ſenſus, magis videtur facere ad mentem Apoſtoli.

44. *NON alta ſapientes.*) Aufert impedimenta concordiæ, quorum primum & maximum eſt ſuperbia, nam iuxta Prouerbium, inter ſuperbos ſem- Pro.13.
per ſunt iurgia. Cum enim aliquis ſuā excellentiam quærit, & ſubiectionem refugit, vult alium ſubijci,& eius excellētiam impedire, & ex hoc ſequitur diſcordia. Idcò ad remouendum hoc, inquit, (*non alta ſapientes*) ſitis,vt ſcilicet inordinatè veſtram excellentiam appetatis. Vel, ne ſitis elatis animis, ac faſtidioſis erga vos inuicem,vt ſcil. ſpernatis vos mutuò.

45. *SED humilibus conſentientes.*) Hoc eſt, ſi quis maior eſt inter vos,humilibus & inferioribus ſeſe incliner & accommodet. Vel, humilia ſectetur, ſi in ipſis veritatem agnouerit. Nō enim per humiles. hoc loco, notantur ſolùm ij qui virtute humilitatis præſtant, ſed etiam qui humili ſunt loco, ſeu nati, ſeu habiti, vt plebæi, pauperes, & abiecti. Deijcit enim ſuperborum faſtum, & ſupercilia, adhortans eos ne dedignentur quibuſcunq; conſentire, vbi veritatem agnoſcunt, vt nulla diſparitas, vel ſanguinis, vel officij, vel ſortis, vel conditionis, obſtaculo ſit quo minus ſanum ſenſum, conſilium, & documentum à quocunque proferatur, veneremur, & amplectamur. Vnde iuxta ſermonem Græcum pro conſentientes, fertur, quod poterat transferri, obſecūdantes, & obtemperantes, quod vehementius ſignificat.

46. *Nolite eſſe prudentes apud vos metipſos.*) Aterum concordiæ impedimentū eſt præſumptio ſapientiæ, ex qua prouenit vt aliorum ſententiæ non credat aliquis. Ad hoc tamen remouendum ait, (*nolite eſſe prudentes apud vos metipſos.*) vt ſcil, iudicetis id ſolum eſſe prudentiæ, quod vobis videtur: quare ne vos vobis ipſis placeatis, vt ſuo quiſque iudicio magnus ſit & admirandus. Nō enim facile cedit cuiquam, qui ſic affectus eſt quod eſt ingentis mali periculum. Vnde Iſai. Væ, inquit, qui ſapiētes eſtis in cordibus veſtris, & coram Iſa.5.
vobis ipſis prudentes. Nihil pernitioſius contingere poteſt homini, quàm cum de ſeipſo iudicium profert. Quoniam amor proprius libertatem adimit, & arbitrium rectè iudicandi, & maximè de æſtimatione proprij ingenij & ſcientiæ. Eſt quippe homini tanquàm rationali, à natura inſitus, tùm ſciendi appetitus, tùm quoque amor propriæ ſapientiæ: vt cum ſint qui alijs in rebus facilè cedant alteri: hac verò parte, vix quenquam mortalium inuenias, qui ſeipſum penitus agnoſcat, vt alteri cedat. Cui veſaniæ altera accedit,vt homo plenus opinione ſui, ſibi ipſi arbitretur (vt ait Chryſoſt.) ſufficere, nec Chry.
alius,vel opera,vel ope indigere: homini

autem

autem ſic affecto, nulla ineſſe poteſt charitas in proximos. Hae itaque de cauſa nos contrà Deus alterum alterius conſtituit membra, vt nullus ſit adeò ſapiens, prudens, diues, ſanus, potens, deniq; & excelſus qui non, in eadem etiam re qua pollet, egeat alterius iuuamine & officio: id quod ſũmum eſt humanæ ſocietatis vinculum.

47. *Nulli malum pro malo reddentes.*) Dictis quæ ad beneuolentiam & concordiam pertinent, agit de beneficẽtia erga eoſdem inimicos, excludendo cõtrarium. Cuius verba poſſunt vim habere & præcepti, & conſilij: præcepti quidem, dum prohibemur affectu odij, vel vindictæ, reddere malum pro malo, ita quod in malo alterius delectemur, aut quando inimico à quo ſumus laceſsiti, dãnum damus ſiue in bonis, ſiue in fama, vel honore. Quod vtique vel non eſt neceſſarium ad reſtituendũ nobis amiſſum bonum, vel id non facimus ordine iuris, vt ſi percuſsi palma, percuſſorem repercutiamus: in bonis cæſi, honorem alterius lædamus: aut ſi pro falſo teſtimonio, falſum teſtimonium reijciamus: aut ſi poſt plenam ſatisfactionem nocentis, eidem nocere perſiſtamus. Talem retaliationem prohibet nunc Paulus iubens ne ſcil, conuitium pro conuitio, ne iniuriam pro iniuria retaliemus. Nam licet hoc apud Iudæos, & Ethnicos iuſtum haberetur: apud Chriſtum, impium eſt malum pro malo reddere. Huiuſmodi enim retaliationes, ex odio proficiſcuntur, peccataq; ſunt iniuſtitiæ aduerſum hanc Pauli iuſsionem. Quapropter abſque vlla exceptione amici vel inimici, Chriſtiani, Iudæi, vel pagani, nulli reddendum malum pro malo.

¶Tametſi quantum ad ſatisfactionem attinet, recompenſatio fieri poſsit inter datum & acceptum detrimentum. Qui enim læſi ſunt habent ius, quinimo & obligantur nonnunquam repetere honorem & bona quibus expoliati ſunt, maximè ſi eis vel pro Repub, vel pro ſua familia indigeant, dummodo id ordine iuris faciant. Quoniam neq; hoc eſt reddere malum pro malo, ſed recuperare ſublatum bonum. Et ſi iudex pro malo culpæ reddat malum pœnæ ſecundum iuſtitiam, ad compenſandam malitiam, materialiter quidem infert malum: ſed formaliter, & per ſe infert bonum, vt cum ſuſpendit latronem pro furto, aut homicidio, non reddit malũ pro malo, ſed potiùs bonum pro malo: quemadmodum Apoſtolus pro peccato inceſtus tradidit illum Corinthiũ Sathanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fieret in die Domini.

Poteſt autem eſſe conſilium hoc verbum Pauli, Si reddere malum, vſque ad illud extendatur quod eſt priuatio beneficentiæ. Vt ſi quis de beneficijs acceptis, ingratus eſſet in ſuum benefactorem: ſubtrahere quidem tunc liceret benefactori. Perfectus tamen homo id non faciet, exemplo cœleſtis patris, qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.

48. *Prouidentes bona, non tantum corã DEO, ſed etiam coram omnibus hominibus, ſi fieri poteſt.*) Docet nos certare benefactis, & ita certare, vt non ſolùm teſte conſcientia Deo placeant quæ facimus, verumetiam vt omnibus hominibus probentur, ne quem offendant infirmum ſpecie mali. Addit autem (*ſi fieri poteſt:*) nam vſqueadeò debet abeſſe omnis vita, non tantùm ab omni crimine, verumetiam ab omni ſuſpicione, quoad fieri poteſt, criminis, vt nec mali eam queant calumniari.

Prouidere autem bona coram hominibus, ait D. Tho. contingit dupliciter, *Tho.* aut propter fauorem humanum, & tũc non benè agitur, iuxta illud, Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis corã ho- *Mat. 6.* minibus, vt videamini ab eis. Aut propter gloriam Dei, & tunc benè agitur. Vnde benè obſeruauit in hoc loco Origenes, non exhortari nos Paulum vt *Orig.* prouideamus placere hominibus, quaſi hunc præſtituentes finem actionibus noſtris, cum ipſe contrà in epiſtola ad Galath. cõfiteatur, quod ſi hominibus *Gal. 1.* place-

placere vellet, Chriſti ſeruus non eſſet. Sed cõmonefacit, vt bona prouideamus coram hominibus ad gloriam Dei, iuxta illud, *Mat. 5.* Sic luceat lux veſtra corã omnibus hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrũ qui in cœlis eſt.

49. *QVOD in vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes.*) Ratio fidelis, propter quam debemus & abſtinere à retributione malorum, & prouidere bona coram hominibus, eſt vt cũ eiſdem hominibus pacem habeamus. (*Cum omnibus,*) inquit, ideſt, non modo cum Chriſtianis, verumetiam cum his qui à Chriſto ſunt alieni. Addit autem (*quod in vobis eſt;*) ideſt, quantum in vobis ſitum eſt. Nam cũ pax ab vtraq; parte dependeat, non ſemper in noſtra eſt facultate: ideò hoc loco inſtruimur à Paulo, vt nemini vel cauſam præbeamus, vel anſam, ſeu belli, ſeu litis: neque vllum quod in nobis ſit prætermittamus officium ad aſſerendam, retinendamq; pacem, vt iuxta prophetã, *Pſal.* etiam cum his qui oderunt pacem ſimus pacifici. Quod ſi quis fortè nos odio habeat gratis, bello nos per iniuriam petat, aut lite moleſtet, tunc pax noſtra reuertetur ad nos iuxta verbũ *Mat. 10* Domini. Non tamen ex hoc priuamur iure deffendẽdi nos: quanuis ſalutare Chriſti conſilium eſt omnibus Chriſtianis maximè amplectendum, videlicet, vt ſi quis voluerit nobiſcum contendere in iudicio, & tunicam noſtram tollere, dimittamus ei & pallium, ad redimendum tempus.

¶ Bellum autem pubicum inter Chriſtianos, prorſus refutandum eſt & propellendũ. Nam vt experientia malo noſtro compertum eſt, neque geri, neq; patrari poteſt abſque incõmodis ac detrimentis, cladibus & euerſionibus, quibus in Chriſtianorum perniciẽ eſſe nequeunt acerbiora. Agri populantur, villæ cõpilantur, vrbes comburuntur, adulteria & ſtupra cõmittuntur, innocentium ſtrages fiunt, filij patribus, viriſq; matres orbantur, Aræ euertuntur, ſacra ac prophana omnia diruuntur, in ſumma, omnia iura violantur. Quoniam bellum vbi geſtum eſt, nullum virtutis pietatiſue, aut Chriſtianæ religionis veſtigium relinquit, ſed ſilueſcere illic videas efferariq; protinus humanos animos. At verò in vna fidei ac religionis cauſa, vbi nullum aliud remediũ tentandum reſtat, pium, ſanctũq; eſt bellum contra inimicos Chriſti & Eccleſiæ eius. Cæteris autem quanuis licitum vt Reges ſe ſuaque iura bellis deffendant, illataſq; propulſent iniurias, tamen dubium non eſt quin ſit prius ſumma adhibẽda Chriſtiano principi cura ac diligentia explorandi, examinandiq; an iuſtam habeat cauſam ſuſcipiendi bellum, tantùm abeſt vt temerè inferat illud. Eſt enim quàm rariſsimus caſus in quo non vtraque pars eſt in culpa: & vix vllus in quo illa quæ iuſtior eſt, nõ ſit in dubio. Ecquis autẽ Chriſtianus dubia cauſa in tantũ ſe malorum barathrum ingurgitet, de quibus eſt Deo reſponſurus in die iræ? Princeps pacis dicitur Chriſtus Deus noſter, cuius vices Reges terræ cũ gerant in terra, debent eſſe pacis maximi amatores, quæ vtique Chriſtianis, his maximè temporibus, eſt magnopere neceſsaria ad erigendam fidem, Eccleſiæq; religionem, quæ & peccatis noſtris, & bellis aſsiduis eſt lamentabiliter proſtrata. Quocirca qui poſſunt, perſuadere debent Principibus, vt hanc rabidam bellandi inſaniam, peſtilentiſsimamq; furiam, & immaniſsimam peſtẽ, ſuis, imò Chriſti populis, cauerent.

50. *NON vos deffendentes chariſſimi, ſed date locũ iræ.*) Docet quod pax conſtare non poteſt, ſi ſuum quiſque dolorem pergat vlciſci, & licet Ethnicorum ac Iudæorum ſit vltio, Chriſtiani tamen iniuria laceſsiti, non debent poſcere vindictam, ſed potiùs cedere iræ, quæ melius euaneſcet ſua illorum lenitate, quàm ſi mutua talione magis ac magis irritent.

Obſeruandum verò circa hoc verbum, *deffendere*, quod ſi accipiatur pro eò quod eſt deffenſionẽ facere ſui ipſius, aut bonorum ſuorum, non habet hîc vim præcepti: ſuppetit enim vnicuique

ius

ius priuata authoritate, ſi bona id fide faciat, vim vi repellendi, tutandiq; ſe, honoremq; ſuum & bona, quin etiam Act. 23. & ſuos: nam & Apoſtolus procurauit ſe deffendere à coniuratione Iudæorũ per milites Tribuni. Poteſt tamen eſſe conſilium non ſe deffendere, exemplo Iſa. 50. 53. Chriſti Saluatoris noſtri, qui dedit corpus ſuum percutientibus, & genas ſuas vellentibus. Et quaſi agnus coram tondente ſe obmutuit. Et ipſemet ait, Mat. 5. Si quis te percuſſerit in vna maxilla, præbe ei & alteram. Quod quidem in præparatione animi obſeruandum eſt, vt executioni mandetur dum eſt neceſſarium, nam Chriſtus Dominus alapa percuſſus, quia id neceſſarium non erat, non parauit alteram maxillam. Ioa. 18. Sed ait, Si male locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo, ſi autem benè, cur me cædis? Vbi autem opus fuit, non ſolùm faciem, ſed & corpus exhibuit cruci. At verò, defendentes, non accipitur hîc, niſi pro eo quod eſt, vlciſcentes. Quadrat enim quod ſequitur, *mihi vindictam*. Nam *defendere* in Scriptura, pro vlciſci aliquoties vſurpat interpres veteris, ac noui teſtamenti. Quod enim vulgata lectio habet in A- Apoc. 6. pocalyp. Vſquequo non vindicas ſanguinem noſtrum, in Eccleſijs canitur, vſquequo non defendis? Et de Nabu- Iudit. 1. & 2. chodonoſor legitur, quod iurauit defẽdere ſe de regionibus illis quæ repulerunt Nuncios ſuos. Et iterum, Factũ eſt, inquit, verbum in domo eius vt defenderet ſe, ideſt, vt vlciſceretur, & vindicaret ſe de accepta iniuria. Attamen nec Paulus, hoc loco, ſimpliciter inhibet vindictam, quoniam vnicuiq; licitũ eſt vindicare ſe per legem, & publicam poteſtatem, ſed prudenter ait, *non vos metipſos*, hoc eſt, manu veſtra, *defendentes*, ideſt, vindicantes, *chariſſimi*. Quo ſuaui charitatis nomine, preceptionem dulcem reddit, quæ humano ſenſui amara videri poterat. Quocirca exhortatio hæc Pauli, authoritatem præcepti habet, & eiuſdẽ omnino præcepti, quo ſuprà iuſſerat ne redderemus malum pro malo. Idem enim eſt prorſus odiũ, idemq; crimen, poſt acceptum damnũ vel iniuriam, vindicare ſe hominẽ proprio brachio, quod reddere malũ pro malo. Quod quia fieri non poteſt abſq; odio & ira, ſubdit.

51. *SED date locum iræ.*) De triplici ira poteſt hoc inteligi, aut illius qui affectus eſt iniuria, qui dum ſe abſtinet ab vltione, *locum dat*, ſiue cedit *iræ*, deferueretq; eam & abire ſinit. Quadrat quod in fine capitis dicturus eſt, *noli vinci à malo*. Qui enim iræ non parcit, ab eadem vincitur. Aut iuxta Orige. Orig. inteligitur de ira irrogantis iniuriam, cui læſus locum dat vt tranſeat, dum non reſiſtit lædenti: hic verò illius lenitate confuſus remittit, deponitq; irã: Prou. nam iuxta Prouerb. Sermo mollis frangit iram. Aut ſecundũ eundem Orige. Orig. Chry. Theop. & Chryſoſt. & Theoph. de ira Dei accipiendum eſt: nam cum quis ſeſe non vlciſcitur, ſed iram propriam abſtergit, relinquit locum iræ Dei, qui eſt Deus vltionum, vt de iniuria iudicet, ſumatq; vindictam. Quadrat quod ſequitur. Pſal.

52. *Scriptum eſt enim, Mihi vindictã & ego retribuam.*) Quaſi dicat, ſi lenitate viciſti furentem, lucrũ eſt: ſin pergit ille furere, nõ deerit cui det pœnas, tu illum ſuo relinquito iudici, qui ius vlciſcendi nobis adimit, ac ſibi ſeruat, ita loquens in Deuteronomio, Deu. 32. *Mea eſt vltio*, ideſt, vindicta, *& ego retribuam*, ideſt, rependam eis in tempore. Vbi vindicta poſita à Moyſe in nominatiuo, à Paulo ponitur in accuſatiuo, ideò ſuplendum eſt aliud, putà reſeruate, vel quid ſimile. Quicunque ergo propria ſe poteſtate vlciſcitur, multipliciter delinquit, primo quidem ſibi malus efficitur dum peccat. Deinde eſt alteri iniquus, quia propria cum lædit authoritate, imò hac ratione iniquior, quod in ſe expertus eſt, quàm ſit atrox malum iniuriam pati, quod forſan non fuerat expertus qui prior iniuriam fecerat. Poſtremò in Deum eſt iniurius, non ſolùm quod in ipſum delinquit, ſed etiã quia ipſius officium & authoritatem ſibi vſurpat, publicorumq; iudicum quos ipſe vindices iuſtitiæ conſtituit.

53.

53. *Dicit Dominus.*) Non eſt hoc expreſſum à Moyſe in Deut. ſed quoniam verba ſunt illa Dei, adiecit hoc Paulus, ad maius teſtimonij pondus.

¶ Mouetur à quibuſdam hoc loco dubium, cur ſcil. his qui iniurijs ſunt lacerati, non liceat acceptam iniuriam propellere, parem in hoſtem reijciendo. Nobilibus præſertim vix perſuadere valeas quin liceat illam ſuo brachio vindicare. Nec deſunt in hac parte blaſphemi qui audeant dicere, Deum non licitè potuiſſe, eos priuare hoc iure protegendi honorem ſuum. At verò non ſolùm diuino iure, ſed & ratione optima naturali ſanctiſsimè proſpectũ eſt humano generi, vt iniuriam antequàm accipias, propulſare tibi liceat, ſicuti vnaquæq; res reſiſtit ſuo contrario, quoniã non vtique præſto adeſt authoritas publica quæ poſsit aggreſſores arcere. Poſt acceptam tamen, hoc etiam eſt conſultiſsimum, vt illam perſequi non liceat niſi per certos, eoſdemq; publicos miniſtros. Primùm, quia executio iuſtitiæ, vim exigit coercendi, quæ non ſemper eſſe poteſt in priuata perſona: atque adeò ſi vltio priuato iure eſſet facienda, non æqua pateret omnibus iuſtitia. Nam potentes vlciſcerentur ſe, debiles verò ac tenues, minimè. Deinde, crudeles ac truces homines vindictam ſumerent, manſueti autem facilè veniã darent, & ſic delicta manerent impunita, in perniciem bonorum. Ad hæc, cũ nemo ſit æquus iudex in propria cauſa, pro minimo damno, maximum redderet læſus: idq; rurſus altera pars læſa reſarcire contenderet, & tunc ſic omnia perturbarentur, vt nulla poſſet cõſtare pax. Lex igitur hæc ſanctiſsima eſt, qua prohibuit Deus omnem hominem de alio homine, ſuo nutu vindictã ſumere. Nec tamen vetuit Deus vt nobiles iacturam ſui honoris reficiant, ſed in bonum ipſorum, ordinem illis præſcripſit, videlicet, vt ſecundum virtutem, cuius patrocinium nobilibus maximè incumbit, ſibi ſatisfaciant. Nam citra virtutem nullus eſt honor, qui eſt præmium virtutis. Cum ergo facultate propria punire inimicum non ſit virtus, ſit, vt nec honor ſic legitimè defendatur, reſarciaturq;.

¶ Aſſerentibus autem ſaltem duello, quod principis authoritate initur, id facere licet, facilè reſpondetur, duella nuſquã licita eſſe, maximè ea quæ nũc adeò temerè à quibuſdam principibus permittuntur, licet ſint iam omnino prohibita. Sunt enim longe diuerſa à duellis antiquis, quorum prima conditio erat, vt crimen de quo certandum eſſet, dignum eſſet morte ſi comprobari poſſet. Deinde, quod ita eſſet occultum, vt non poſſet per publicam authoritatem comperiri. Vt ſi quis alterius dictum negaret, ac refutaret in re occulta quæ capitalis eſſet. Modo autem eò abſurditatis peruentum eſt, vt licet crimen ſit manifeſtum, cognoſciq; legitimè à iudice poſsit, publicoq; puniri iudicio, nihilominus contra omne ius conceditur, duello id decerni. Prætereà in quauis leuiſsima re quis alteri dicat, mentiris, liberum eſt iam alteri, imò teneatur, vt aiunt, ſecundum ius nobilitatis, in duellum eum euocare, cum re vera nobilitati illud ſit omnino contrarium. Nam & ſi hoc verbum, mentiris, conuitium ſit, eſt tamen leue, cui princeps non poſſet decernere capitale ſuplicium. Pro culpa autem de qua authoritas publica non poſſet exigere ſuplicium capitis etiam ſi eſſet publica, nulla eſt virtus, imò ſumma eſt iniuria offerre, intentareq; delinquenti mortẽ: ſi autem non eſt virtus, profectò nec eſt honos, ſed maximum nobilitatis dedecus. Nihil enim ex diametro magis cum nobilitate pugnat, quàm iniuriam facere. Quod ſi non eſt virtus duellum concedere, ſit ſanè, vt neque illud ſuſcipere: atque adeò ſi in vno nõ eſt honos, neq; in altero, ſed in vtroq; dedecus. Hæc quidem ſunt luce ipſa clariora, ita vt reſpondere aliter nequeant quàm quod alia ſit habenda ratio ſecundum Euangelium, alia vero ſecundum nobilitatis morem. Reſponſio eſt abſurda & blaſphema, & ingenti indignatione digna. Quid enim aliud in repub. eſt nobilitas, niſi decus & ſplendor ipſius reipub. quod ſi ita eſt, iura

nobilitatis inter omnia conſonare debent Euangelio, naturaliq; æquitati. Nam aliàs nihil eſſet in Chriſtiana Repub. vilius abiectiuſq; nobilitate.

54. *SED ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illum; ſi ſitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius.)* Prouerbium Salomonis eſt
Pro. 25.
hoc, vbi dicit, ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitierit, da ei aquam bibere. Prunas enim congregabis ſuper caput eius, & Dñs reddet tibi. Cuius præcepti vis & forma, ſolùm ad tẽpus neceſsitatis extenditur. Vbi enim ſeu extrema ſeu graui neceſsitate inimicus premitur, tenemur ei præbere neceſſaria ad vitam. Extra hos autem caſus, non eſt niſi conſilium: & proptereà hic mentionẽ fecit cibi & potus, qui ſunt ad vitam neceſſaria. Cum verò inquit, *carbones ignis, &c.* obſerua, carbones eſſe, qui maiorem vim ignis retinent, vehementiuſq; proinde exurunt quàm flama, quibus ideò congruenter ſignificatur ira Dei, ſuppliciumq; damnatorum: iuxta illud Pſal. Carbones ſuc-
Pſ. 17. & 139.
cenſi ſunt ab eo. Et, Cadent ſuper eos carbones. Et, Cum carbonibus deſolatorijs. Et hoc modo vult Paulus non eſſe appetendam vindictam, quinimò benefaciendum inimico, quod ſi noſtra benignitate non vincitur, maiorem aduerſus illum Dei iram excitamus. Et hæc quidẽ expoſitio ſatis placet Chry-
Chry.
ſoſt. & videtur alludere Paulus ad ſuperiùs dictum, mihi vindictam. Non quod illos admoneat, vt tale, dum benefaciunt, habeant propoſitum, & talem finem: eſſet enim hoc contra charitatem: ſed hoc dicit per modũ prophetiæ & prænuntiationis futuri iudicij Dei.

Aliquando carbones ignis, opera charitatis ſignificant, iuxta quod, ſenſus eſſe poteſt, inimico tuo ſtude quantum potes benefacere, & adeò illum ne lædas læſus, vt & pro maleficio, reponas beneficium: & ſi fortè eſurierit, cibo illum ſubleua: ſi ſitierit, potum porrige: vix vllum eſt ingenium tam barbarum, tam efferum, tam immitte, quin poſſit officijs deliniri, quando hac via manſueſcunt & feræ. Hac ergo expugna hoſtem, & ſic benignitate tua, malignitatem eius extingues, *& ſuper caput eius carbones ignis congeres*, ideſt, charitatẽ accendes. Expertus enim tantam lenitatem, tantam pietatem tuam, proculdubio reſipiſcet, pudebit, pigebit, pœnitebit feritatis, iamq; ceu victus tua charitate, inflamabitur ad redamandũ, vnde Aug. nulla eſt, inquit, maior pro- *Aug. de charit. rudib.*
uocatio ad amandum, quàm præuenire amando. Nimis enim durus animus qui dilectionem, & ſi nolebat impẽdere, nolit repẽdere. Hac igitur via finiri poſſunt ſimultates, cum mutua malorum retaliatione propagentur in immẽſum.

55. *Noli vinci a malo, ſed vince in bono malum.)* Ex naturali appetitu vincendi, & ex pulchritudine victoriæ, inducit ad non malefaciendum lædentibus, ſed ad ſemper benefaciendum. Naturale eſt enim homini, vt velit aduerſarium vincere, & non vinci ab eo. Bene factis autem certare, pulchrum eſt, & vincere pulcherrimum: ſed malèfactis certare, turpiſsimum eſt. Hoc verum fatentur & Ethnici: Chriſtianorum peculiaris laus erit, ſi male facta benefactis ſuperent: ſi iracundiam lenitate, ſi maledicentiam benedicentia, ſi iniuriam officio ſuperent. Ideo inquit, (*noli vinci à malo, ſed vince in bono malum*) quaſi dicat, caue ne fortè ille qui malus eſt, tuam bonitatem expugnet ſua malitia, & incipias tui diſsimilis eſſe, & iam illum imitari. Quin potiùs (*vince in bono malum*) hoc eſt, tua bonitas illius expugnet feritatem, vt victus in tuas parteis rapiatur. Hoc eſt enim vincere, quando ad eum quis trahitur à quo vincitur, ſi ergo aliquis bonus homo propter malum quod ſibi ab aliquo infertur, trahatur ad hoc quod ei malè faciat, bonum à malo tunc vincitur, ſi autem econtrariò, propter beneficium quod bonus perſecutori exhibet, eum ad ſuum amorem trahat, bonus malum vincit.

ARGVMENTVM CAPITIS. XIII.

INſtruit deuſu cha ritatis, parere magiſtratib⁹ etiam têporalib⁹, debitaq; iuta perſoluere, dilectionem autem erga omnes retinere, & iam vbi Chriſto nato dies illuxit gratiæ, abijcere tenebrarum opera, docendo.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

OMNIS anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non eſt enim poteſtas niſi à Deo, &c.

EXPLANATIO.

1. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.)* Acturus de obediẽtia inferiorum erga ſuperiores, ab ipſa exorditur quoniam initium eſt & caput totius diſciplinæ, quæ in moribus inſtituendis poſita eſt. Refutareq; hoc loco videtur Paulus hæreſim Gaulonitarum, de qua meminit Ioſephus, à quo-
Lib. 18. dam Iuda Gaulonita oborta, qui ne-
c. 1. & 2. gabat cenſum & obedientiam deberi Cæſari, aut prophanis vllis principibus à Iudæis, propter libertatem legis quã à Deo receperant, cui proinde ſoli aiebat eos eſſe ſubiectos. Ob quem errorem Phariſæi Chriſtum conuenerunt ſciſcitantes, an liceret cenſum dare Cęſari. Atque hinc forſan idem error peruenit in Chriſtianorum primitiuam Ec-
cleſiam ob libertatem Euangelicam,
iuxta illud, Si filius vos liberauerit, ve- Ioa. 8.
rè liberi eritis. Sed tamen fides noſtra
naturalem iuſtitiæ ordinem non adimit, ſed perficit: eſt autem naturalis ordo, vt ſubditi ſint ſuperioribus inferiores, quoniam hæc vita mortalis aliter tranſigi, gubernariq; nequit. Vnde
licet Chriſtus Dñs animas nobis libe- Ioa. 8.
rauerit à ſeruitute peccati, corpora ta-
men ſemper manent deffectibus, mole- Ro. 8.
ſtijsq; carnis ſubdita: ſecundũ autem corpus, homo ſubditur homini, poſtquã
verò Chriſtus Dñs. tradiderit regnum 1. C. 15.
Deo & patri, tunc euacuabit omnem principatum & poteſtatẽ, quibus opus iam tunc non erit, vbi corpus fuerit liberum à ſeruitute mortis huius. Cum igitur in ſuperioribus beatus Paulus multa de Chriſtiana libertate dixiſſet, neceſſarium hic duxit erudire Chriſtianos ne inde in errorem laberentur nimiæ libertatis, vt faciunt nunc hæretici Lutherani. Ait ergo, *(omnis anima,)* ideſt, omnis homo, per ſynedochen, vt
in Geneſi, Delebitur, inquit, anima illa Gen. 17.
de populo ſuo. Vtitur autem hoc lo-
quẽdi modo Apoſtolus, quia, vt ait D. Tho.
Tho. ſubiectionem ſuperioribus debemus ex animo, ideſt, ex pura volũtate & ratione, non tanquam brutæ pecudes ratione carentes, ſed ratione & prudẽ-
tia quæ viget in anima. Vnde Apoſto- Eph. 6.
lus alibi, Non ad oculum, inquit, ſeruientes, ſed ex animo & bona volũtate.
aut ſecũdum Orig. poſuit animam ad Orig.
differentiam ſpiritus, nam quandiu Domino coniuncti ſumus, vnus ſpiritus ſumus cũ illo: anima autem dicitur per reſpectum ad corpus quod actuat, ſecũdum quam rationem ſubiectus eſt homini homo. Ait autem *(omnis,)* vt ne-
minem excipiat neq; Sacerdotes, vt ait
Chryſoſt. neq; Monachos, neq; ſecula- Chry.
res, neq; verò Apoſtolos, neq; Euangeliſtas, neq; Prophetas, ſuũ enim quiſq; habet prælatum. Per hanc quoque ſententiam, illa Begardorum hæreſis preſcribitur, qui aiebant, eò perfectionis poſſe hominem peruenire, vt nemini iam ſit ſubditus.

2. *Poteſtatibus ſublimioribus.*) Ideſt, non illegitimis, & per iniuriam præſidentibus, quales ſunt tyranni, qui propterea excludi merentur, ſed legitimis & iure creatis, quibus quantũuis malis, ratione tamen ſublimitatis officij, quæ in iure publicæ authoritatis fundatur, obtemperandum eſt. Idcirco licet prælatus aut princeps, inferior ſit vel ſciẽtia, vel virtute, parendum illi nihilominus eſt, quatenus ſublimiori. Vnde bea-
1.P.2. tus Petrus ſubditi, inquit, Eſtote in omni timore dominis, non tantùm bonis & modeſtis, ſed etiã diſcholis. Nam licet ſint infideles, dummodo ſint legitimi, tenentur illis obtemperare etiam Chriſtiani, ſalua tamen religione. Quãuis contra hoc, aiũt, opinatos eſſe nõnullos Chriſtianos.

3. *Subdita ſit.*) ideſt, obtemperet, dicto ſit audiens per omnia: iuxta illud,
Col.3. Obedite per omnia dominis carnalibus. Inteligitur niſi contra religionem iubeant & veritatem: nam tũc obedire oportet Deo, magis quàm homi-
Act.5. nibus, vt dixit Beatus Petrus Iudæis, impedire volentibus prædicationem Euangelij.

4. *Non eſt enim poteſtas niſi à Deo.*) Prima ratio parendi publicis legibus, obtemperandi magiſtratibus, qui qualemcunq; Dei gerunt imaginem, & in malis puniendis vtcũq; Dei negotium agunt, ſumitur à cauſa efficienti, quam deſignat inquiens (*non enim eſt poteſtas niſi à Deo*) nemo igitur magiſtratus cõtemnat, ſed corde diligat, illiſq; pro tẽpore quod debet tribuat, quoniam illorum poteſtas à Deo proficiſcitur. Circa originem autem poteſtatis obſerua,
Tho. quod vt docet D. Th. quidquid communiter de Deo & creaturis dicitur, à Deo tanquã à primo fonte in creaturas deriuatur: nimirum, omnis ſubſtantia, ſapientia, & virtus, & huiuſmodi, iuxta
Eph.3. illud, ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur. Itaq; omnis poteſtas, ordo, & hierarchia, vt ius mariti in vxorem, patris in filium, regis in regnum, ſunt à Deo.

Regia vero poteſtas, iuxta eundem doctorem ſanctum, vel cuiuſcũq; alterius Tho.
dignitatis, poteſt conſiderari quantum ad tria: primo, quantum ad ipſam poteſtatem; & ſic eſt à Deo, per quem
reges regnant. Deinde quantum ad- Sap.8.
modum adipiſcendi poteſtatem, & ſic quandoq; poteſtas eſt à Deo, quando ſcil. legitime & ordinatè quis poteſtatem adipiſcitur, ſiue immediatè, ſicut Saul, & Dauid, quos ipſe creauit reges. Siue per impreſsionem naturalis luminis, quo illuſtratæ Reſpub. regem creât, vel alios magiſtratus. Quandoq; vero non eſt à Deo, ſed ex peruerſo hominis appetitu, qui per ambitionem, vel quocumq; alio illicito modo, poteſtatem adipiſcitur, de quo & ipſi gloriantur
nam in perſona illorum inquit Prophe- Amos.6.
ta, nunquid non in fortitudine noſtra aſſumpſimus nobis cornua? negari tamen non poteſt quod ſicut cætera peccata, ita & tyrãnos, corruptoſq; principes & antiſtites permittat frequenter Deus ad vindictam ſcelerum populi: iuxta illud, qui regnare fecit hominem hypochritam propter peccata populi.
& illud, dedi eis Regem in ira mea. Si- Tob.34.
cuti & diabolo, vt ait Aug. permiſit Oſe.13.
poteſtatem tentandi Iob, & colaphi- Aug. in
zandi Paulum. Nihilominus pro iniqua li. de na.
ipſorum principum voluntate nocendi, boni.
mittentur in ignem æternum cum dia- Iob.1.
bolo & Angelis eius: Tertiò, poteſt conſiderari quantum ad vſum ipſius poteſtatis, qui ſi bonus & legitimus eſt, vt iuxta præſcripta legis quis imperet, Deo
id facit authore, ſecundum illud, per Sap.8.
me Reges regnant: peruerſus autem vſus non eſt à Deo qualis fuit eorum regum & principum, qui conuenerunt
in vnum aduerſus Dominum. Ingens Pſ.2.
enim eſſet blaſphemia dicere, quod ope diuina fuit ille conuentus celebratus.

Potentia ad peccandum, non eſt à Deo, contra perfidos Lutheranos, niſi naturalem inteligas vt oculum vel manum. Neq; poteſtas hoſtis ad irrogandam iniuriam, cui propterea obſequi non debemus, ſed obſiſtere. Nec quæuis alia iniqua potẽtia qua peccatur, eſt à Deo, ſed vt ait D. Thom. hoc prouenit ex
defectu creaturæ, in quantum eſt ex Tho.
nihilo.

nihilo. Obſeruandū eſt autem diligenter, quod non quilibet abuſus principis, aut prælati, ſufficit ad negandum illis obedientiam, ſed vbi eſſet appetta vel tyrānis, vel iniquitas.

5. *Qua autem ſunt à Deo, ordinata ſunt.*) Hæc eſt ſecunda ratio quæ de-
ducitur à bono ordinis. Fecit quidem
Pſal. Dominus Deus omnia per ſuam ſapien-
Sap. 8. tiam, cuius eſt ordinatè omnia diſpone-
re, effectus itaq; Dei ordinatos eſſe op-
Iob. 38. portet. Duplicem autem ordinem inue-
nies in rebus, alterum quo omnia re-
feruntur in ipſorum autorem Deum:
Pro. 16. alterum, quo ipſimet diuini effectus ad
ſe inuicem ordinantur, tanquam mem-
Deu. 4. bra vnius ingentis corporis, quæ mu-
tuò ſe iuuant: vt enim Deus in corpore humano voluit eſſe membrorum ordinem, ita in vniuerſa Republica, quę malis ac bonis conſtat, voluit eſſe ordinem quendam. Atq; ipſe ordo per ſe bonum quodam eſt, etiam ſi quis abutatur magiſtratu. Cum igitur bonum vniuſcuiuſq; rei ſit ſuum tenere ordinem, & poteſtates quæ à Deo ſunt; ordinatæ ſint vt omnis anima illis ſubdita ſit, condecens eſt vt vnuſquiſque obtemperet poteſtati.

6. *Itaq; qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.*) Hæc eſt tertia ratio quæ colligitur à terrore culpæ. Ait autem, (*itaq;*) ideſt, proinde, (*qui poteſtati*) ideſt, principi, aut magiſtratui etiam impio, & Ethnico. ſuo fungenti officio, (*reſiſtit,*) is non reſiſtit tantùm homini fungenti, ſed (*Deo*) à quo proficiſcitur omnis autoritas, eum id quod Deus ordinauit, & inſtituit conatur infringere. Inhoneſti igitur ſunt omnes inobediētes, & diſcipuli diaboli, cuius eſt ſemper Deo contradicere, gehēnæ incendijs ſimul cum ipſo meritò tradentur.

¶ Cauendus eſt hîc illorum error, qui ex his verbis Pauli inferre volunt, nullam eſſe propriè legem humanam, neq; vllam in homine eſſe vim obligandi ſub culpa mortali: ſed legem humanam eſſe à Deo, cui reſiſtit, qui poteſtati reſiſtit. Hos profectò adhuc latet; aliud eſſe Deum per ſeipſum legem immediate ponere, vt fecit cum antiquo populo, cui dedit legem digito ſuo ſcriptam, eamq; Moyſi tradidit promulgandam: & Chriſtus Deus noſter dedit nobis legem Euangelicam, quæ ideo lex diuina dicitur. Aliud vero eſſe poteſtatem dare hominibus ad ferendas leges, quæ quidem vim habent obligandi ſub peccato mortali, etiam ſi latæ ſint à principibus ſecularibus, propter facultatem ipſis diuinitùs collatam. Paulus igitur non ait, quod qui legi hominis reſiſtit, legi tunc Dei reſiſtit, quaſi eadem ſit lex humana & diuina: ſed quod (*ordinationi Dei reſiſtit,*) qui vtiq; poteſtates humanas, & inter ſeipſas & ad ipſum, ordinatas eſſe voluit.

7. *Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.*) Hæc eſt quarta ratio, quare debemus obtemperare maioribus, & ſumitur à terrore pœnæ. Qui enim amore filiali ducuntur, metu culpæ fugiunt inobedientiam, quæ quidem committitur, dum ordinationi Dei reſiſtitur. Qui autem timore ſeruili aguntur, ſi non culpam, ſaltem damnationem exhorreant. Quam non fortuitò, nec aliundè quàm à ſeipſis obortam incurrunt. Ipſi enim ſunt ipſius cauſa iudicij, quod in ſe prouocant, tam ſuplicij temporalis ab humana poteſtate: quàm æterni, quod eſt inexorabile. Vtriq; enim iudici meritò pœnas luēt, qui repugnant Deo. In cuius exemplū
Dathan, & Abyron, qui Moyſi & Aaron *Nu. 16.*
reſtiterunt, abſorti ſunt à terra, infernus deuorauit eos. Grande peccatum eſt, poteſtatibus repugnare. Nam iuxta Sa-
pientem, ſicut rugitus leonis, ita & ter- *Pro. 20.*
ror regis: qui prouocant eum, peccant in animam ſuam.

8. *Nam principes, non ſunt timori boni operis ſed mali.*) Reddit rationem quare qui poteſtati reſiſtunt, damnationem ſibi ipſis acquirunt, ſiue eam inteligas qua principes puniunt rebelles, ſiue qua puniuntur à Deo. ſi enim princeps eſt timori mali operis, manifeſtum eſt quod ſi aliquis poteſtati reſiſtat, male operetur, & ita ipſe homo malè agendo

eſt ſibi cauſa punitionis temporalis &
Pro. 2. æternæ. Bonorũ regum ac principum eſt, diſsipare omne malum intuitu ſuo: in id enim inſtituti ſunt, vt illi qui amore virtutis non prouocantur ad vitandum malum, & faciendum bonum, cogantur ad illud timore pœnæ. Et hoc faciens princeps, facit ea quæ ſunt digna
Iſai. 32. principe. Boni ergo, cum ipſis non ſit poſita lex, & perfecta charitas foras mittat timorem, non debent timere tyrannos quantumuis crudeles, ſed potius contemnere, vt fecerunt Apoſtoli & ſancti martyres qui propter iuſtitiam, teterrimas mortes fortiſsimè ſu-
Aug. 11. q. 3. can. qui reſiſ. ſtinuerunt. Nam vt ait Aug. ſi potius obediendum maiori prælato quàm minori, vt imperatori quàm proconſuli, multo æquius obediendum eſt Deo
Act. 4. quàm hominibus. Habet enim hoc diuina ordinatio, vt poteſtati inferiori, non obediatur contra ſuperiorem, & omnis poteſtas humana, ſub poteſtate Dei ordinatur, ideo nulli poteſtati humanæ eſt contra Deum obediendum.

9. *Vis autem non timere poteſtatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim miniſter eſt tibi in bonum.)* Vtile nobis tradit documẽtũ pro vitãdo timore principũ: id quidẽ ſit, non cõtumacia, ſed innocẽtia potius. Hac enim nullis legibus, aut magiſtratibus, quoad pœnam attinet, erimus obnoxij: nihil enim illi iure poſſunt, niſi in eos qui cõmittunt quod non licet. Si rectè viuimus, lex nihil ad nos, nec eſt quod metuamus magiſtratum. Imò præmiũ eſt & honos per illos, ſuo fungentibus officio. Nam ſicut magiſtratus, Dei miniſter eſt in puniendis flagitijs, ſic & eiuſdem miniſter eſt dum rectè factis habet honorem. Proinde plusquàm liber videtur à legibus qui rectè agit.

10. *Vis non timere poteſtatem?)* Res gratiſsima *non timẽ poteſtatem.* Nam vt
Pro. 16. in Prouerb. dicitur, ſicut fremitus leonis, ita & ira regis. Quis ergo non optabit non timere rugientem leonem?

11. *Bonum fac.)* Hoc placet principibus iuſtis, nam voluntas Regum, ait Sapiens, labia iuſta. Et, Ambulantes in *1. P. 2.* via immaculata, miniſtrant ſummo re- *Pſal.* gi Chriſto.

12. *ET habebis laudem ex illa.)* Principum munus eſt, bonos facere ciues, illosq; retinere in pace & iuſtitia: tùm, ſuplicijs à malis arcendo: tùm etiam, beneficijs & præmijs ad bonum alliciẽdo. Vnde beatus Petrus, ſiue ducibus, inquit, tãquam ab eo miſsis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. Vbi nomen laudis non ſolùm præconium ſonat quo reſpublica debet ſtudioſos cõmendare, & animare: verũ etiam præmia & dignitates publicas, quæ ſectatoribus virtutis propoſitæ ſunt. Digniores enim debent promoueri ad publicas adminiſtrationes, non ſolùm, quia ſanctius illis funguntur, verùm & in laudem & præmium virtutis, quæ honoribus alitur: & non ſolùm, verùm & punitio ipſa iniquorum, in laudem cedit iuſtorum. Quod ſi tyrãnus fuerit ſanctorum contrarius, illosq; non laudibus, ſed iniurijs, moleſtijsq; plurimis afficiat, nihil refert. Nam, vt docet Aug. multo plus laudis ſua pa- *Aug in* tientia reportabunt ſancti. Quo enim *ſerm. de* martyres peiori ſunt ludibrio & vitupe *B. Lau.* rio trucidati, maiori ſunt honore habiti ab Eccleſia. E quando omni laude frau darentur humana, erit illis laus ſublimis in cœleſti patria, qua Chriſtus Dominus eos glorioſè afficiet in conſpe- *Ioa. 12.* ctu Patris & ſanctorum Angelorum.

13. *Dei enim miniſter eſt tibi in bonum.)* Hæc ratio eſt ſatis manifeſta ſi intelligatur de bonis principibus. Sunt enim ſub regimine Dei ſummi principis, tãquam miniſtri ordinati: idem autem ſcopus & finis eſt miniſtrorum, & Dñi: *Eccl. 10.* Nam ſecũdum iudicem populi, ait Sapiens, ſic & miniſter eius. Finis Dei eſt eius gloria, & bonum noſtrum: huc etiam debent tendere cuncta opera miniſtrorum eius. Itaq; ſicuti Deus, ita & ipſius miniſtri tàm reprehenſione malorum, quàm laude bonorum, bonum vtriſq; procurant ad gloriam omnipotentis Dei,

Tyrã-

Tyrāni verò quanuis non ſint diuinitùs aſſumpti, quatenus tamen permiſsi ſunt in correctionem populi, miniſtri quoq; Dei ſunt in bonū noſtrum: iuxta illud, Aſſur virga furoris mei, & baculus ipſe eſt, ipſe autem non ſic arbi- Iſai.10. trabitur. Et illud, Aſſumam vniuerſam cogitationem Aquilonis: & Nabucho- Hier.25 donoſor Regem Babylonis ſeruū meū, & adducam eos ſuper terram iſtam. Quin verò & ipſi dæmones miniſteriū Dei exercent in bonum noſtrum, præter ſuam tamen intentionem, vt in Iob Iob.1. compertum habemus. Nam diligenti- Ro.8. bus Deum, omnia cooperantur in bonum.

14. *Si autem malum feceris, time: non enim ſine cauſa gladium portat. Dei enim miniſter eſt, vindex in iram, ei qui malum agit.*) Cauſa timendi poteſtatem eſt peccatum proprium, vnde ſiquid cōmittitur ſupplicio dignum, propria peccantis culpa factū eſt, vt ei iam formidandus ſit magiſtratus. Siquidem in hunc vſum gladium geſtat, vt nocentes puniat: atque hac quoque parte diuinæ ſubſeruit iuſtitiæ, quæ in malis puniendis & malorum abutitur miniſterio, vt dictum eſt.

15. *Si autem malum feceris, time.*) Nūquam ſine timore debet eſſe homo: qui ſtat, debet timere caſum: peccator, vindictam, non tantùm temporalium iudicum, ſed maximè æterni Dei vinctis, in cuius manus, horrendū eſt incidere.

16. *Non enim ſine cauſa gladium portat.*) Nomine gladij, coercitua poteſtas ſignificatur, quam iuriſprudentes vocant merum imperium, poteſtatem ſcil. vitæ & mortis. Aiunt enim merū eſſe imperium, poteſtatem habere gladij. Quin & omnia capitalia ſuplicia voce gladij deſignantur, eo quod capitis abſciſio, vſitatiſsima eſt ſceleratorū mors. In cuius ſignum nudus gladius præferri ſolet principibus merum imperiū habentibus. Sumi etiam poteſt gladius pro omnibus puniendi inſtrumentis, quæ quaſi in figuram ſuæ poteſtatis, & ad terrorem, olim deferebant magiſtratus, nimirùm, faces ad verberandum: ſecures vel gladios ad occidendum. De huiuſmodi, beatus Iob, Fugite, inquit, à Iob. facie gladij, quoniam vltor iniquitatū eſt gladius. Et regius Vates Dauid, Niſi Pſal. conuerſi, inquit, fueritis, gladium ſuum vibrauit, arcum ſuum tetendit, &c.

17. *DEI enim miniſter eſt, vindex in iram, ei qui malum agit.*) Suplicia temporalia in malefactores conſtituta, executio ſunt in parte iræ Dei, quæ in die iudicij conſūmabitur: executores autē ſunt principes & poteſtates, propterea cū dixiſſet quod poteſtas, *non ſine cauſa gladium portat*, reddit nunc rationem inquiens. *Portat*, inquam, vt exponit S. Tho. Thom. *gladium* (*quia eſt miniſter Dei,*) cuius vices gerit in terra, (*vindex,*) ideſt, vindictam exercens, (*in irā,*) ideſt, ad exequendam iram Dei: ideſt, iuſtum iudicium eius, (*ei qui malū agit,*) ideſt, contra malefactorē. Hæc D.Th. 4.d.15. & obſerua ex eodem D.Th. quod ſi hu- q.1.ar. iuſmodi ſuplicia & flagella æquo animo 4. & patienter acceptentur, ſunt patienti ſatisfactoria pro debitis, quæ ſoluūtur cruciatibus purgatorij. Si verò, iniquo animo, & per impatientiam homo reſiliat, non ſunt ſatisfactoria, ſed habent meram rationem vindictæ. Per patiētiam enim & æquanimitatem qua acceptantur, fiunt illius qui patitur: quādo verò illa reſpuit, tūc nō fiunt ipſius, & ideò permanent in ratione meræ vindictæ.

Non tamen inteligas quod qui patiēter ferunt ſuplicia, aut emendantur flagellis Dei, non iterum puniūtur in purgatorio. Nam iuxta Hierony. Deus vt Hiero.in omnium rerum, ita & ſupliciorum ſcit Nu.1. menſuras, & ideò grauiores culpas grauius punit, leuiores verò leuius. Quando igitur in hac vita infligit flagella ad iuſtum, iuxta ſcelerum magnitudinem, tūc illi ſi emendentur, abſq; tranſitu per purgatorium euolabūt in cœlum, alioquin puniretur bis inidipſum, ideſt, pro eadem culpa. At verò, ſi hîc flagella non infert pro quantitate & merito ſcelerum, reuera reliquum in purgatorio reſtabit ſoluendum: quoniam hæc non eſt bina punitio in idipſum, ſed ambæ ſunt vna iuſta.

Qui

de pœni. Qui autem hìc ſuplicio plectuntur, macu-
d.3.c.ig- culam verò culpæ per pœnitentiam nõ
nis. abſtergũr, vindicta illorũ hìc incipiet,
2. Mac. & ardebit vſque ad extremam damna-
9. tionem, vt inquit Aug. ita contigit An-
Exod. tiocho, Pharaoni, Dathan & Abyron,
Nu. 16. Sodomitis, & multis alijs, quorum do-
Pſal. lores ab hac vita inchoati ſunt, quos in
Gen. 1. inferno patientur æternos.

18. *Ideoq; neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter cõſcientiam.)* Quoniam publicus rerum ſtatus conſiſtere non poteſt, niſi magiſtratibus ſua deferatur authoritas, ob cõmunemq; Reipub. neceſſitatem, obtẽperandum eſt illis, *non tantùm ob iram*, id eſt, non tantum ob id, ne contumaria prouocati, probabili cauſa in nos ſæuire videantur, non velut in Chriſtianos, ſed velut in ſeditioſos. *(Sed etiam propter conſcientiam)* quæ, licet nullum immineat ab illis ſuplicium, dictat, non eſſe perturbandum quod Deus ordinatum eſſe voluit. Dño Deo ex charitate obtemperandum, quod munus eſt filiorum, hoc eſt, metu culpæ non pœnæ, nam hoc ſeruorum eſt, licet vtroq; modo poteſt quis illi parere, videlicet, & metu culpæ & pœnæ. Pari modo & miniſtris, tamquam vicarijs Dei, obedire opportet *non tantùm propter iram*, id eſt, pœnam fugiẽdam; *ſed etiam propter cõſcientiam*, quæ docet cauere culpam, & modeſtè, vrbanè, reuerenterq; nos habere erga omnem magiſtratum. D. aũt

Amb. Ambro. ſic exponit, non ſolùm timore præſentis pœnæ, ſed propter conſciẽtiã

Chry. futuri iudicij. D. Chryſoſt. non ſolùm metu pœnæ obedias, ſed propter bona quorum conſcius es prouenire ex huiuſmodi obedientia, qualia ſunt vindicatio malefactorum, promotio bonorũ, pax deniq; & tranquillitas Reipub. quæ ſi ſuſtuleris, neque vita præſens conſiſtere poteſt.

19. *Ideò enim & tributa præſtatis, miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſeruiẽtes.)* Hæc ratio ſumitur à ſigno. Etenim tributorum penſio, ſignum eſt obediẽtiæ: cui ergo tributum ſoluimus, obedire tenemur. Hinc illæ lachrymæ Hieremiæ prophetæ, propter ruinam & calamitatem Hieruſalem, has voces emittentis, plorans plorauit in nocte, & lachrymæ eius in maxillis eius, princeps prouinciarum facta eſt ſub tributo. Nihil enim infœlicius eſſe poteſt, quàm videre ſe captiuum, qui aliquando fuerit liber & dominus.

20. *Miniſtri enim Dei ſunt.)* Hoc dicit, ne quis exiſtimet tributa principum per tyrãnidem eſſe impoſita: nam veluti miniſtri Dei, negotia publica agunt, & noſtri curam gerunt, quibus intenti, vacare nequeunt (neq; id decet quidem) ſeu agriculturæ, ſeu negotiationi, alij ve arti ſeruili: ideo par eſt, vt noſtrorum prouentuum partem eis prebeamus, pro ſua in nos impenſa opera.

21. *IN hoc ipſum ſeruientes.)* Quaſi dicat, pendendũ eſt principibus ſuum tributum, dum in hoc incũbunt, quod illis publica authoritate mandatum eſt. Merces igitur illorum eſt tributũ, iuxta
illud, quis paſcit gregem & de lacte 1. C. 9.
eius non edit? & in Euangelio, dignus
eſt operarius mercede ſua. Non quod Luc. 10.
finis boni principis debeat eſſe merces, ſed bonum publicum: ob eius tamen officium rependendum eſt ei tale ſeruitium. *Præmium autem principis*, iux-
ta Philoſophum, eſt laus & honor: & Eth. 5.
cum hoc non ſufficit, tyrãnus fit. Sed hoc non eſt inteligendum, ait D. Th. de
laude humana ſolùm & honore, quia Tho.
tale præmium eſſet vanum: *ſed de laude & honore diuino*, qui principibus benè gubernantibus exhibetur. Tributa autem accipiunt ad eorũ ſuſtentationem, pro eo quod laborant ad omniũ pacem.

A quo tamen debito liberi ſunt clerici, ex priuilegio principum: quod vtiq; æquitatem habet naturalem. Quia ſicut Reges ſolicitudinem habent de bono publico in temporalibus, ita miniſtri Dei in ſpiritualibus: & ſic miniſtrantes Deo in ſpiritualibus, recompenſant Regi, qui pro eorum pace laborat. Seruatum eſt hoc etiam inter Gentiles, vt liberi eſſent à tributis qui vaca-
bant

bant rebus diuinis. Sanctus Patriarcha *Gen. 47.* Ioſeph, vt habetur in Geneſi, ſubiecit Pharaoni Regi totam terram Ægypti, præter terram Sacerdotum, quæ à rege tradita fuerat eis, quibus & ſtatuta cibaria ex horreis publicis præbebantur. Et ibidem, in vniuerſa terra Ægypti quinta pars ſoluitur abſq; terra Sacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit.

Obſerua, quod tripliciter peccare poſſunt principes accipiendo tributa, quæ ſunt quaſi laboris ſtipendium illis debita. Primò, ſi rebus populi non proſpiciant, ſed tantùm ſuis commodis ſtudentes, bona ſubditorum diripiant: ad *Ez. 34.* quos ita loquitur Ezechiel Propheta, lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat occidebatis, gregem autem meum non paſcebatis. Vbi nomine lactis, opes: nomine lanæ veſtium varietatē intelligit: occidere craſſum, eſt mortem diuiti inferre, aut illius bona quibus vita præſens ſuſtentatur, auferre. Deinde, ſi violenter diripiant ſupra ſtatutam legem, quæ, vt ait D. *Tho.* Th. eſt quaſi quodam pactum inter regem & populum, & ſupra populi facultatem. Ad quos etiā Michæas Prophe- *Mich. 3.* ta, Audite, inquit, principes Iacob, & duces domus Iſrael, & poſtea ſubdit, qui violenter tollitis pelles eorum deſuper eis, & carnes eorum deſuper oſsibus eorum. Poſtremò, ſi ſubditis imperent ea quæ manifeſtè ſunt contra Deum & veritatem. Cum ergo ſubiectionis ſignū ſit tributum, obtemperandum eſt principibus etiam impijs, quibus ſoluitur: non quidem in omnibus, ſed in licitis & honeſtis. Nam ſi quid vetant, quod per ſe nephas eſt patrare, pareant illis etiam Chriſtiani, quos opportebat etiā nullo timore propoſito, quod rectum eſt ſequi. Sin impetant impia, Deo parendum eſt potiùs quàm hominibus.

22. *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.)* Tributum non eſt gracioſa donatio, ſed debitum: ideò non dicit, Date, ſeu donate munera, ſed *reddite debita*: quia tributum eſt opus iuſtitiæ. Præmiſſo ergo tributorum iure, appēdit præceptum ſoluendi. Eſt autem diſcrimen inter tributum, vectigal, & cenſum. Quod *tributum* ſoluitur ex bonis ciuium propter adminiſtrationem Reipub. quam quidē princeps armis tueri debet, moribus ornare, in pace deniq; & tranquillitate cuſtodire. Atque hoc (exceptis his qui priuilegio ſunt exēpti) deberet exigi pro ratione ſubſtantiæ cuiuſq; ciuis, vt eſſet legitimum. Vnde tributū à tribuendo dicitur, ſeu potiùs à contribuendo. *Vectigal* autem penditur ex ijs mercibus quæ vehuntur, ad ſuſtentationem murorum, pontium, aliorumque ædificiorum Reipub. Vnde *vectigal*, à vehendo dicitur. Cenſus verò ſoluitur de capite, in ſignum ſubiectionis, ideſt, ſecūdum numerū perſonarum quæ recenſentur, iuxta illud, Exijt edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis. *Luc. 2.* Hoc autem quia non tantum præſefert honeſtatis, ſubticuit hoc loco beatus Paulus.

23. *Cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.)* Vtrūq; debent ciues ſuis principibus reddere, *timorem* ſcil, *& honorem*: illum, quatenus dominis, Dei vices in terra gerentibus, ſua poteſtate malos coercentibus. Vnde per Malachiam Prophetam, Si ego, inquit, ſum Dn̄s, vbi eſt timor meus? Propterea di cit, *cui timorem* ſcil, debetis, reddite *timorem*, ideſt, reuerentiam publicam deſferte, ne forte illa negata, putet ſuperior contemptam ſuam authoritatem. Hunc verò, quatenus patriæ patribus, ſaluti & laudi ſuorum conſulentibus. Vnde & per eūdem Prophetam, Si ego, inquit, Pater, vbi eſt honor meus? Ideò *Mal. 1.* dicit, *(cui honorem)* ob dignitatis publicæ functionem debetis, huic *(honorem)* ſcil, ſolemnem impendite. *Honor*, iuxta Philoſophum, præcipuum eſt præmiū *Eth. 3.* quod debetur legum cuſtodi. Et inter Chriſtianos debetur vt pro principibus iuges fundamus præces ad Dn̄m, iuxta illud, Obſecro primum omnium fieri obſecrationes pro Regibus, & omnibus *1. Ti. 2.* qui in ſublimitate ſunt conſtituti, vt tran-

tranquillam & quietam vitam agamus.
Bar. 1. Et illud, Orate pro vita Nabuchodonoſor Regis Babyloniæ, vt viuamus ſub vmbra eius.

Non eſt contrarium dictis, quod habetur in Leuit. non honores vultum potentis, nam id intelligitur, quantum ad hoc vt pro eo à iuſtitia non declines, vnde ſubditur, iuſtè iudica ꝓximo tuo. Leu. 19.

24. *Nemini quidquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem impleuit*) Hinc incipit agere beatus Paulus de vſu gratiæ in ordine ad omnes, ideò inquit, (*nemini quidquam debeatis*,) hoc eſt, non ſolùm ſuperioribus, vt dictum eſt, ſed æqualibus, & inferioribus, & omnibus omnia debita ita plenè perſoluite, vt nihil remaneat quod ſoluere debeatis: tùm, quia in ipſa mora reddendi, peccatum committitur, dū homo iniuſtè detinet rem alienam, quod eſt ex lege prohibitum, iuxta illud, Non morabitur opus mercenarij apud te vſq; manè. Eſt enim retentio alieni inuito Dño, ſpecies furti, obnoxia etiam reſtitutioni, ſi dilatione temporis damnum detur creditori. Et eadem eſt ratio de alijs debitis. Tùm etiam, quia quandiù aliquis debet aliquid. Eſt quodammodo ſeruus creditoris, iuxta illud, Qui accipit mutuū ſeruus eſt fenerantis. Leu. 19. Prou. 22.

25. *Niſi vt inuicem diligatis.*) Duplex poteſt eſſe ſenſus huius ſententiæ. Primus, *nemini quidquā debeatis, niſi*, idest, ſed *vt inuicem diligatis*, ſi enim mutuò nos amamus, nihil debebimus. Et huic ſenſui quadrat quod ſequitur, Qui enim diligit proximum, legem impleuit.

Chry. Aug. ad Seb. & Celeſt. Alius ſenſus & melior eſt Chryſoſto. Aug. & aliorum. Nempè, *nemini quidquam debeatis*, præter vnam dilectionē. Hoc enim debitum mutuæ dilectionis, cum ſemper ſoluitur nuſquam vſqueadeò perſoluitur, vt non debeatur: tùm ex parte ipſius DEI, propter quem diligimus proximum, iuxta illud, Hoc mandatum habemus, vt qui diligit DEVM, diligat & proximum ſuum. DEO autem, & parentibus, vt docet Philoſophus, nunquam ſatis obſequia rependimus pro beneficijs acceptis: quia non poteſt inter nos & ipſos reperiri æquale, iuxta illud, Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi. Tum etiam, ex parte ſimilitudinis naturæ & gratiæ. Nam omne animal diligit ſibi ſimile, ſic & omnis homo proximum ſibi. Hæc autem amoris cauſa ſemper manet inter Chriſtianos, qui ex eiſdem carnibus & oſsibus cōpoſiti, naturaliter nati, ex eodem Deo ſupranaturaliter renati ſumus, eandemq́ue fidem & Sacramenta in eadem Eccleſia Chriſti habentes. Tum deniq;, ex parte ipſiuſmet charitatis, quæ in diligendo non defficit, ſed proficit, & ſi alijs ſatisfaciat, ſibi ipſa nunquam ſatisfacit, ſemper officia cumulans officijs: & inter alias, hæc erat vna Apoſtoli petitio pro Philippenſibus. Hoc oro, inquit, vt charitas veſtra magis, ac magis abundet. Hoc orabat Paulus, & idem debemus nos Chriſtiani pro nobis ſemper orare, & nunquā deſſicere, vt ait Chriſtus Deus noſter. Itaq;, vt docet Aug. eum amor redditur proximo non amittitur, ſed potius reddendo multiplicatur: imò hoc eſt charitatem habere erga aliquem, quod charitatem illi reddere: & reddere, quod habere. Econtrà vero in pecunia, hæc enim non habetur eum redditur: & quo plus illius redd.tur, minus habetur. Non ergo præcipit Paulus amorem donare gratis quaſi indebitum, ſed vt ſemper reddamus quaſi ſemper debitum. Quia nullum eſt tempus in quo non poſsit occurrere neceſsitas conſilij, aut officij, in ſignum charitatis, quæ leges omnes in ſe comprehendit. Vnde dicit. 1. Ioa. 3. Philoſ. Pſ. 113. Eccl. 13. Phili. 1. Aug. ad Celeſt.

26. *Qui enim diligit proximum, legem impleuit.*) Quiſquis enim ſyncera, & Chriſtiana charitate, proximum diligit, is ſummam habet totius legis. Si charitas abſit, nullæ leges quamlibet multæ ſufficiunt: ſi adſit, non alijs opus eſt legibus, quando hæc vna dictat efficatius, quidquid in numeris legum præſcriptis iubetur. *Proximus* autem intelligitur ille qui neceſsitudine aliqua eſt nobiſ-

nobiſcum coniunctus, nimirum, vel ſanguinis propinquitate, vel ciuitatis vicinitate, vel Chriſtianiſmo, vel certè quod omnes ſumus ſub cura vnius parentis Dei. Non facit hîc mentionem de dilectione Dei, ſed tantum de dilectione proximi, quoniam in hac includitur illa tanquam vera eius cauſa: & vice verſa in dilectione Dei, dilectio proximi, tanquam inſeparabilis eius effectus:
8. de Tri. quam ob cauſam, vt ait Aug. ſolet in ſcriptura alterum mandatum, ſine alte-
Deu. 10. rius mentione proferri, vt in Deut. quid Dominus Deus tuus petit à te, niſi vt timeas Dominum, & ambules in vijs
Ioa. 15. eius, & diligas eum? & in Euangelio, hoc mando vobis vt diligatis inuicem.
Aug. ſuper Gal. Dicit etiam idem Aug. propterea meminiſſe hîc citius Paulum, dilectionis proximi quàm Dei ad impletionem legis, quod Deum quis facile mentiri poteſt à ſe diligi, quia rariores tentationes id probant: in dilectione autem proximi facilius conuincimur eam non habere, quia plures occurrunt caſus quibus id probatur. Vnde ſapienter
1. Ioa. 4. beatus Ioãnes per dilectionem proximi, rimatur dilectionem Dei cum ait, qui non diligit fratrem ſuum quem videt, Deum quem non videt quomodo poteſt diligere? at reuera meminit ſolius dilectionis proximi, quia de officijs inter proximos mutuis, ſermonem præciſè inſtituerat.

27. *Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falſum teſtimonium dices, non concupiſces, & ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur, diliges proximum tuum ſicut teipſum.*) Vetat lex ne quis adulterium committat, in quo etiam inteligitur prohiberi fornicatio, & omnis illicitus vſus genitalium membrorum. Vetat etiam ne quis occidat, ſub quo continetur omnis iniuria in perſonam proximi illata. Vetat quoq; ne quis furtum faciat, in quo etiam prohibetur omnis iniuſta ſubtractio rei alienæ, ſiue per vim, ſiue per dolum fiat. Hæc tria præcepta ad iniurias ſpectant quæ opere inferuntur, ſiue in perſonam propriam alterius, *vt non occides:* ſiue in perſonam ei coniunctam qualis eſt vxor, vt *non adulterabis:* ſiue in exteriora bona, vt *non furaberis.* Vetat etiam lex ne quis *falſum teſtimonium dicat.* Quod non ſolùm prohibetur in iudicio, ſed etiam extra iudicium, ſiue per modum detractionis, ſiue per modum contumeliæ dicatur. Hoc igitur quartum attinet ad iniurias quæ verbo fiunt. Vetat etiam lex *ne quis rem affectet alienam*, vbi etiam inteligitur prohiberi concupiſcentia vxoris. Hoc quintum pertinet ad peccatum cordis. Non meminit autem præceptorum pri-
mæ tabulæ, quia, vt dictum eſt, eius pro- *Ex. 20.*
poſitum fuit, de ſola charitate proximi dicere in hoc loco. Tacuit etiam quartum præceptum de honore parentum, eo quod non eſt adeò vniuerſale ſicut prædicta quinq;: quia non omnes habent parentes, vel conſanguineos, vel facultatem ſubueniendi, neq; pro quouis tempore obligat, vt prædicta quinq; negatiua, quæ vt vniuerſos, ita & pro ſemper obligant.

28. *ET ſi quod eſt aliud mandatum.*) More illorum loquitur qui inductione vtuntur, quibus non opus eſt per omnia ſingularia progredi, ſed quibuſdam recenſitis, reliqua eiuſdem rationis ſub genere comprehendere. Sic Paulus dicens, *& ſi quod eſt aliud mandatũ*, perinde eſt ac ſi diceret, & ſi qua ſunt id genus alia.

29. *IN hoc verbo inſtauratur, &c.*) Ac ſi diceret, Præceptorum omnium ſumma, breui charitatis præcepto comprehenditur, perficitur, & impletur, quo di-
ctum eſt, *Diliges proximum tuum ſicut* *Leu. 19.*
teipſum.

30. *Proximum tuum.*) Nomen proximi referendum eſt ad omnem hominem,
& etiam *ad ſanctos Angelos*, vt ait D. *1. de doc.*
Aug. *Proximus* enim dicitur quicunq; *Chriſt.*
facit alicui miſericordiam, quam quidẽ *ſancti Angeli* nobis frequenter impendunt, & nos omnibus hominibus eam debemus impendere, & ab eis cũ opus fuerit recipere. Socij enim ſumus in via vnius beatitudinis ad quam ſumus creati, & redempti per Chriſtum Saluatorem

rem noſtrum. *Dæmones* verò non in numero proximorum, ſed in numero hoſtium ſunt habendi, quaſi totaliter excluſi à ſocietate Dei, atqueadeò non ſunt diligendi, ſed potius deteſtandi.

31. *Sicut teipſum.)* Non dicit æqualitatem dilectionis, ſed ſimilitudinem. *Hoc poſtulat ordo charitatis,* vt quæram ſalutem primum mihi, ſecundum tibi: plus mihi & maiori cum diligētia quàm tibi. *Debeo diligere proximum ſicut meipſum,* hoc eſt, ad eundem finem qui eſt Deus. Nam ſicut debeo diligere meipſum propter Deum, ſic & proximum. Et ſicut omnia alia bona diligo propter me, referendo meipſum in ſolum Deum, ſic & amicum propter ſeipſum, (non propter meum commodum, aut meam voluptatem, quemadmodum diligitur equus amore concupiſcentiæ) debeo benè illi velle, bonaq; precari, ac ſi eſſet alter ego. Hic eſt enim germanus ſenſus illius celebratæ ſentētiæ, *Amicus alter ego.*

32. *Dilectio proximi, malum non operatur. Plenitudo ergo legis eſt dilectio.)* Si accipiatur hîc malū non ſolùm trāſgreſsionis, ſed etiam ōmiſsionis, poterit ſententia hæc referri ad præcepta tàm negatiua, quàm affirmatiua. Medio itaq; ſyllogiſmi oſtēdit per dilectionem proximi, legem impleri. Ait autē, (*dilectio proximi, malum non operatur.*) hoc eſt, qui diligit proximū, nullum malum operatur ad ipſum, ſed ad hoc tendit omne legis præceptum, vt abſtineatur à malo, qui ergo diligit proximū, legem implet. Quod autem dilectio proximi malum non operetur, do-
1.C.13. cet alibi Paulus dum ait, Charitas non agit perperam, &c. Qui enim diligit, non occidet: nec ſtuprabit alienā vxorem, cui alter æque charus eſt, atque ipſe eſt ſibi. Nec furto compilabit eū, quem paratus eſt & ſuis opibus adiuuare. Nec calumnioſo teſtimonio opprimet, quem ſuo quoq; periculo ſeruatū velit. Nec fœnori daturus eſt, cum quo ſibi putet omnia eſſe cōmunia. Nec illi damnum optabit, cui precatur eadē quæ ſibi. Nec vlla ratione nocere aut contriſtare poterit, pro quo ſciat Chriſtum eſſe mortuum. Et obſerua, quod *dilectio proximi,* quatenus dilectionem Dei includit, non ſolum excludit malū quod eſt contra proximum, ſed etiam quod eſt contra Deum, & ſic comprehendet ſententia hæc etiam præcepta primæ tabulæ. Cū igitur charitas proſit quoad poteſt omnibus, etiam malis, nemini noceat, appertè conſtat quod ea ſit *plenitudo legis,* ideſt, legum omniū ſumma, per quam compendio diſcitur quid fugiendum, quid ſequendum, & per quam quod diſcitur, opere completur,

33. *ET hoc, ſcientes tempus, quia hora eſt iam nos de ſomno ſurgere, nunc enim propior eſt noſtra ſalus quàm cum credidimus.)* Poſtquàm inſtituit hominem in ordine ad alios, inſtruit nūc eum in ordine ad ſeipſum. Initiū autem horū verborum, vt interpretatur Photius, eſt *Photius.*
eclipſis, & referendū ad id, quod longè ante præceſsit, (*nemini quidquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis,*) *&* *hoc*, ſubaudi, facite, (*ſcientes tempus,*) ideſt, opportunitatem adeſſe id faciendi. Nam inter reliquas circūſtātias, illa quæ eſt tēporis præcipuè mouet. Vnde Sapiēs, Omni, inquit, negotio tēpus eſt & op- *Eccl. 3.*
portunitas. Quare, arripite temporis *& 8.*
opportunitatem, & vacate dilectioni.

34. *Quia hora eſt iam nos de ſomno ſurgere.)* Tempus dormiendi, tempus vigilandi, ait Salomon. Ante Chriſti aduentum fuit tempus dormiendi, quia, vt ſtatim dicturus eſt, totum illud tempus fuit veluti quædam nox, & qui dormiūt, nocte dormiunt: nox, inquam, infidelitatis, ignorantiæ, deſidiæ, torporis, & negligentiæ, quorum malorum propria hominū peccata fuerūt in cauſa. Nec ideò dicitur illud tempus dormiendi quia liceret hominibus dormire in huiuſmodi malis, nunquam ènim licuit homini dormire in vitijs & peccatis, ſed ab euentu rei dici poteſt tempus dormiendi, quia tanquam denſiſsimis tenebris inuoluta maior pars orbis, contigit, vt eſſet in flagitijs dormiens, cum ortus eſt ſuper terram Sol iuſtitiæ

Chri-

Chriſtus Deus noſter. Vnde poſt celebratum feſtum Chriſti natiuitatis canit
Sap. 18. Eccleſia hæc ſapientiæ verba. Dũ medium ſilentium teneret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter peragerêt, omnipotens ſermo tuus Dñe, à regalibus ſedibus venit. Qnibus verbis appertè ſignificatur profundiſsimus vitiorũ ſomnus, quo mundus erat occupatus, omnimoda Dei oblivio, animorum inſipientia, regnum deniq; peccati, cum Chriſtus Dñs natus eſt in terra. Quam ob cauſam à natiuitate eius vſque ad finem mũdi, totum vitæ tẽpus eſt veluti vnus dies. Nihil enim aliud eſt dies, quàm præſentia Solis ſuper terram, & ipſe nobiſcum eſt vſq; ad finem ſeculi, qui eſt Sol iuſtitiæ, lux mũdi, ſplendor
Heb. 1. gloriæ. Ac proinde dies iſte gratiæ, tẽpus vigilandi congruè noncupatur. Nõ enim opportet dormire diem, ſed vigilare, hoc eſt, laborare in virtute, bonis operibus inſudare, prout Saluator noſter in Euangelio frequentet nos admonet, dicens, Vigilate, quia neſcitis diem neq; horam. Et beati ſunt ſerui illi quos cum venerit Dominus, inuenerit vigilantes, ideſt, bene operantes. Et ambulate dum lucem haberis, ne tenebræ vos comprehendant. Tenebræ ſcil. mortis, poſt quam non eſt tempus ambulãdi, ſiue operandi, ſiue nauigandi. Peruentum eſt iam ad portum, & vbi ceciderit lignum, ibi erit: Apoſtolus Chriſti hoc loco ſimiliter facit inquiens, vt cognoſcentes tempus aptum, ſcil, ad benè operandum, ſtudeamus virtutibus: Quæ autem ſit hæc temporis congruẽs occaſio, declarat, (*quia hora eſt*) nouiſſima, & propria, (*nos*) Chriſtianos à Chriſto nato iam illuminatos, & tot auxilijs gratiæ ſuffultos, (*à ſomno*) ſcil. priſtinæ vitæ ac tenebris, reſipiſcentes velociter (*ſurgere*,) & properantes currere ad propoſitum brauium.

35. *Nunc enim propior eſt noſtra ſalus, quàm cum credidimus.*) Salus noſtra eſt illud brauium, quod eſt corona iuſtitiæ, & vita æterna, & regnum cœlorũ in quod tendimus; cuius ianua ante Chriſti aduentum fuit clauſa, noſtra culpa: ſed Chriſtus Dñs apperuit illã ſua miſericordia, qui eſt Deus benedictus in ſecula, amen. In Chriſti baptiſmo apperti ſunt cœli, & nobis etiam apperiũtur dum baptizamur. Ibi enim renaſcentes ex aqua & Spiritu ſancto, & filij Dei & hæredes efficimur ipſius. Apperiuntur etiam nobis cum pro fide pugnamus, vt beato Stephano, qui dũ pro fide pugnaret aduerſum Iudæos, vidit cœlos appertos, & Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei. At verò, cũ negamus Chriſtum, aut in corde, vt hæretici: aut in opere, vt peccatores: claudũtur quidem illi, ſed per pœnitentiam iterum reſerantur: ideò gaudium eſt in cœlo coram Angelis Dei, ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. *Propior* ergo *eſt nunc noſtra ſalus quàm cum credidimus*. Obſerua, quod Paulus hoc loco, agit perſonam totius Eccleſiæ fidelium à tempore quo in Abraham, ſiue in alijs qui eum præceſſerunt, primordia ſuſcepit fidei Chriſti, vſq; ad Chriſtum paſſum, cuius paſsione fuit omnibus cœlum appertum: ſed iuſtis ſolis factũ eſt peruium, per cuius poſſeſsionem ſalus noſtra cõſũmatur, à qua quidem poſſeſsione arcebantur olim antiqui patres, donec veniret ſalutis prætium. Paulus igitur tãquam eiuſdem ſalutis preco, exhortatur hîc Romanos, atq; in ipſis vniuerſum orbem, induciq; ad virtutis officia, ex eo quod iam nunc poſt redemptionem factam, multo ſit propinquior ſalus hominibus, quàm cum crediderunt, nempè dum per Abraham mũdus ab ore Dei fidem recepit. Quẽadmodum ſiquidam Doctor Pariſiẽſis in Cathedra, nomine vniuerſitatis quæ cœpit ante mille annos, diceret, nunc illuſtriores ſumus litteris, quàm cum primas ſcholas inſtituimus. Aut ſi in ſuo Senatu diceret dux venetus, potentiores ſumus nunc, quàm cum prima iecimus fundamenta vrbis. Idem in ſũma videtur concionari hic Paulus, quod Ioannes Baptiſta vbi clamat, pœnitentiam agite appropinquabit enim regnũ cœlorum. Natura nos docet rationem hanc eſſe efficaciſsimam. Res enim tanto ſe mouent citius, quanto ſuis locis

fiunt propinquiores. Ignis dum magis apropinquar ad ſuam ſpheram, velocius aſcendit: lapis velocius deſcendit quo magis accedit ad centtum. Cum igitur homo naturaliter appetat immortalitatē, quæ in cœleſti pattia obtinebitur, hæc autem nunc tempore gratię ſit nobis adeò propinqua, deber quàm citiſſimè in illam tendere, quoniam niſi innita rationali natura, contrarium huius agere non valet. Hinc proculdubio velociſsimus curſus robuſtiſsimorum martyrum, ſanctarum virginum, illuſtrium confeſſorum, & omnium Sanctorū, qui fortitudine præclata, rapuerūt ſibi cœlorum regnum.

36. *Nox praceſſit, dies autem apropinquauit, abijciamus ergo opera tenebrarum; & induamur arma lucis, ſicut in die honeſtè ambulemus.*) Explicat per limilitudinem quonāmodo ſit iam hora ſurgendi à ſomno vitiorum, ſeu corporis & negligentiæ. Nam qui dormiunt, nocte dormiunt, excitantur verò manè & ſurgunt à lecto. In hūc itaq; modum (*nox,*) ideſt, noctis tēpus, ſcil, tenebroſæ infidelitatis, & legalium vmbræ, quin & priſtinæ vitæ, (*praceſſit,*) ideſt, iam abijt; præterijt, & expirauit ſcil, duratio eius. (*Dies autem*) qui eſt tempus lucis, (*appropinquauit,*) ideſt, iā aduenit, illuceſcēte Sole iuſtitiæ Chriſto, & claritate ſancti Euangelij vbiq; radios ſuos ſpargente. Nox, præbere videtur peccandi licentiam, quod vacet pudore. Vnde
Iob. beatus Iob, Oculus, inquit, adulteri, obſeruat caliginem. Cæterum, etiam qui noctu laſciuiunt, & ineptiūt, tamē ſimul atq; illuxit, vel pudore componūt ſeſe ad hominū aſpectus, ac velut alij facti prodeūt in publicum, pro temulentis ſobrij, pro libidinoſis caſti, pro iurgioſis moderati, pro oſcitātibus alacres. Cum igitur nox noſtra præceſſerit vitæ priſtinæ, dies verò Euangelij Chriſti appropinquauerit, reſpondeamus diei noſtro, (*abijciamus operà tenebrarum,*) ideſt, mores, actusq; nocturnos, & quorum nos in luce pudeat. Deteſtemur vitia omnia & peccata, quibus in tenebris dormientes cumulabantur cæci infideles, pro his verò (*induamur arma lucis,*) ideſt, aſſumamus fidei & lucis bona opera, veluti arma quædam quibus induti, & honeſtemur, & terrori ſimus inimicis in bello huius vitæ. Nam ſi Sole exoriente decentioribus veſtibus tegimus corpus, nequid offendat oculos hominum, multo magis Euangelij luce iam extorta, mentē virtutum ornare debemus amictu, qui luce dignus ſit, nec reformidet oculos Dei & ſanctorum Angelorum, ſed potiùs tremere faciat hoſtes, lucis ſuæ eximio ſplendore.

Obſerua, quod opera peccatorum, vt docet D. Tho. tribus de cauſis dicūtur *opera tenebrarum*. Primò quia in ſeipſis
priuata ſunt lumine rationis, quo illu- Eccl. 2.
ſtrari debent humana opera. Deinde,
quia in tenebris fiūt. Poſtremò, quia Iob. 24.
per ea homo ad tenebras ducitur. Virtutes verò dicuntur *arma*, in quantum Mat. 22
nos muniunt cōtra aduerſarium. Et di- Eph. vlt.
cuntur *lucis arma*, rum quia lumine ra- Pro. 4.
tionis & gratiæ decorantur, & perficiū- Ioa. 3.
tur. Tùm etiam, quia lucis examen re- Mat. 15
quirūr. Tùm deniq;, quia per opera virtutum, alij illuminantur.

37. *Sicut in die honeſtè ambulemus.*) Hæc duo videntur diei congruere, nimirùm, honeſtas & ambulatio, nam in die vnusquisq; ſe ſtudet componere, vt alijs honeſtus appareat. In die quoque
ambulat homo, non in nocte. Ambu- Ioa. 12.
lare verò hoc loco, eſt de bono in me-
lius procedere, vt exponit D. Tho. Eſt Tho.
ergo ſenſus litteræ, poſthàc ita vitam omnem componamus, vt appareat nos abiectis tenebris vitæ priſtinæ, clara luce ambulare, Deoq; conſpicuos, & Angelis, & hominibus.

38. *Non in comeſſationibus, & ebrietatibus.*) Hoc eſt, non luxui indulgeamus *in comeſſationibus*, aut temulentis compotationibus. Talia ſunt opera tenebrarum, quæ per intemperantiam corrūpunt eam partem appetitus ſenſitiui, quæ dicitur concupiſcibilis, & in eas fertur voluptates quæ ad conſeruandum vel indiuiduum, per cibum & potum: vel ſpeciem, per concubitum, attinent. Dicuntur autem *comeſſationes*, iuxta D,

Tho.

Tho. ſuperfluæ & nimis accuratæ come-
ſtiones.
Obſeruandum verò, quod ſi nomen gu
læ ſolum dicat vitium ordinis ad ſuum
peculiare obiectum & finem ſcil, nimiũ
appetere delectationes cibi & potus,
genere ſuo non eſt mortale peccatum,
ſed veniale: at quatenus importat cor-
ruptum ordinem ad ſupremũ finem,
ſcil, ad Deum, dũ cibo & potu ita frui-
tur homo, vt paratus ſit trãſgredi pre-
cepta Dei, tũc eſt mortale. Hãc enim
voluptatis fruitionem tãquam ſummi
finis, ſubnotauit Apoſtolus in illis ver-
Phil. 3. bis, quorum Deus venter eſt.

39. *ET ebrietatibus,)* Ebrietas gene-
re ſuo dicit lethale flagitium, quia non
ſolùm nimium potum ſignificat, ſed
etiam rationis priuationem, eſtq;, vt
Greg. 31. Mora. Gregorius docet, radix & mater alio-
rum vitiorum, nimirum, ineptæ lætitiæ,
ſcurrilitatis, immunditiæ, multiloquij,
atq; hebetudinis mentis. Sunt itaq; in-
fames cuncti ebrioſi, & brutis anima-
libus deteriores. Brutorum enim me-
tas transgrediuntur, vimq; vſq; ad ra-
tionis ipſius interniciem inferunt na-
turæ ſuæ. Quapropter nec cibum ſu-
mere cum huiuſmodi licet, iuxta præ-
1. C. 5. ceptum Apoſtoli.
40. *Non in cubilibus & impudicitijs.)*
Docet vt non ſpurcæ veneri, libidiniq;
ſeruiamus, hoc enim propriè eſt opus
tenebrarum, quoniam magna parte in
tenebris fit. Nam oculus adulteri, in-
quit Iob, obſeruat caliginem. Quos
Iob. vero talia tenebrarum opera non de-
pudet in publico perpetrare, grauiſſi-
mè peccant. Deus enim qui nihil ma-
gis à nobis deſiderat, quàm vt luceant
Mat. 5. opera noſtra bona vt glorificetur ab
hominibus, nihil ideò fert grauius quã
Pſ. 51. cum gloriari in malitia, qui potens eſt
in iniquitate. *Cubile* igitur vel delicias
ſignificat, molliciemq; lecti ad captan-
dam ſomni voluptatem, quod genere
ſuo non eſt mortale, niſi quando, vt
Tho. docet D. Th. propter quietem corpo-
ralem & ſomnum, omittit homo quæ
facere debet, & inclinatur ad aliqua ma-
Mic. 2. la facienda. Væ, inquit, Propheta, qui
cogitatis inutile, & operamini malum
in cubilibus veſtris. Vel ſignificat ſcor-
tationes ipſas, ſpurcoſq; complexus,
quos explicatius vocat *impudicitias*, hoc
eſt, quoſcunq; venereos actus, qui eo
dicuntur impudici, quod non cauent
id, quod eſt maximè pudore & confu-
ſione dignum. Tum, quia omnes dele-
ctationes tactus gulæ & luxuriæ, ſunt
communes nobis & brutis, vnde qui eis *Pſal.*
inordinatè vtitur, brutalis efficitur.
Tum etiam, quia ſpecialiter in actibus
venereis, ratio hominis totaliter abſor-
betur à delectatione, vt non poſsit tunc *Ethic.*
aliquid intelligere, iuxta Philoſophum
& Prophetam, nam fornicatio, & ebrie- *Oſea. 4.*
tas, & vinum, auferunt cor. Ad hæc, *cu-
bile* ſumitur etiam pro ferarum luſtris,
à luto dictis, hoc eſt, pro paludibus &
cœnoſis locis in quibus feræ cubant:
quapropter cubilis nomine, infamiam
& dedecus ſubnotat hic Paulus ſpurci-
tiæ hominum, qui iumentorum more
volutantur in ſtercore ſuo & luto.

41. *Non in contentione, & æmulatione.)*
Hæc vitia ad appetitũ iraſcibilem per-
tinent, perturbant rationem, & denſiſsi-
mas effundunt tenebras intellectui no-
ſtro: ideo tanquam valde tenebroſa,
longiſsimè ſunt abijcienda, vt, ſcil. non
per contentionem & mutuum liuorem,
turpiter inter nos concertemus. Qui-
bus omnibus obnoxij fuerunt Romani
quibus ſcribit, dum errantes, in vitæ
priſtinæ gentilium tenebris verſarentur.
Eſt autem *contentio*, iuxta D. Amb. im- *Amb.*
pugnatio veritatis cum confidentia cla-
moris. Inuenitur hoc vitium in temu-
lentis & ebrioſis, nam calor vini maxi-
me ſilentium rumpit vſq; ad clamores,
& contentiones. Prohibetur vero per
hoc præceptum, omnis generis rixa, nõ
ſolùm verborum, ſed etiam factorum,
quæ vt plurimum inchoatur à verbis.
Contentionis autem mater, eſt *inuidia*
nam *inuidus homo*, cum ferre nequeat
aliorum ſententias, promptiſsimus eſt
contendere verbis, & etiam manibus ſi
opus eſt. *Inuidia* vero frequenter auge-
tur & creſcit, dum magis contenditur.
Optimè ergò diuinus Apoſtolus com-

poſuit contentionem & æmulationem, poſt comeſſationes & ebrietates.

42. *Sed induimini Dominum Ieſum Chriſtum.* Pulcher amictus, quia hic
Pſ.44. nimirum eſt ille veſtitus deauratus reginæ ſponſæ Chriſti, hæc ſunt arma lucis quibus anima noſtra induta munitur in hoſtes, deterretq; illos. Induimur autem Chriſtum Dominum, primò, per ſacramenti ſuſceptionem: mox per immitationem, quia, vt ait D. Th.
Tho. ſicut homo continetur veſtimento, & ſub eius colore videtur, ita in eo qui Chriſtum immitatur, opera Chriſti apparent. Indecorè ergo operibus tenebrarum induitur anima, ſed poſteaquàm per baptiſmũ Chriſto ſumus inſiti, hunc ipſum debemus induere, vt luceat in omni vita quem ſumus profeſsi, exprimamusq; eum quem imbibimus. Ille ſobrietas eſt, ille caſtitas, ille pax eſt, ille charitas eſt, iſtiusmodi amictus decet hanc Euangelij lucem.

43. *ET carnis curam ne feceritis in deſiderijs.)* Exponit quod ſuprà dixerat, *ſicut in die honeſtè ambulemus.* In hoc enim, ait D. Tho. pulchritudo honeſtatis conſiſtit, vt homo ſpiritum præferat carni. Vnde non vetat Apoſtolus omnẽ curam carnis ſimpliciter, nam quilibet tenetur eam habere, quæ ſatis ſit ad ſuſtentandam naturam: ſed addit *(in deſiderijs,)* vt ſcil, inordinata carnis deſideria, ideſt, concupiſcentias non ſequamur. Si ergo hactenus quibuſdam vſi ſumus ad voluptatem, poſthàc vtamur ad corporis neceſsitatem: & quibus antehàc turpiter indultum eſt cupiditatum arbitrio, de cætero per ſobrietatem eatenus adhibeantur, quatenus naturæ vſus poſtulat. Corpus ſic alendum eſt, vt valeat ac viuat, non vt laſciuiat. Cibus ac potus, famem ac ſitim arceat, non libidinem inuitet, ac nutriat.

ARGVMENTVM CAPITIS DECIMI QVARTI.

OStẽdit diuinus Apoſtolus quomodo ſe debeāt habere pfecti ad imperfectos, quos minimè cõtẽnere debent, ſed ſapienter ferre, charitateq; amplecti. Deinde prohibet iudicia, vt ſcil, nemo temerè iudicet de fratre in ciborũ, dierumq; diſcretione. Nec cõmittendum, vt leuiculi cibi gratia, fratrem offendamus.

CAPVT. XIIII.

INfirmum in fide aſſumite, non in diſceptationibus cogitationum: alius enim credit ſe mãducare omnia, etc.

EXPLANATIO.

1. *INFIRMVM autem in fide, aſſumite: non in diſceptationibus cogitationũ.)* Obſeruare hîc opportet, in primitiua Eccleſia fuiſſe inter Iudæos ad fidem conuerſos, qui diuerſa ſentirẽt de lege. Quidam planè aſſeuerabant, vt cõſtat ex Actis Apoſtolorum, nullum faciendum eſſe ciborum delectum, nullamq; Act. 15.
dierum feſtorum obſeruationem. Erãt contrà qui nondum planè confirmata fide, contendebant à certis cibis abſtinendum, & certos dies feſtos celebrandos. Apoſtolus ergo ad euitandam diſcordiam inſtruit eos dicens, quod & ſi in ciborum vſu nullum ſit diſcrimen, nullusq; delectus apud perfectos, ideſt, eos qui fidem Chriſti planè ſunt aſſecuti, modo his ad neceſsitatem vtantur, non

non ad voluptatem: tamen ſi quis fuerit inter eos, fortaſsis Iudæorum genere, qui ob diurinam ſuperioris inſtituti, vitæq; conſuetudinem ſit adhuc ſuperſtitioſior, nec adhuc ſic in eo fides adoleuerit, vt omnem priſtinæ legis obſeruationem excludat, huiuſmodi non eſſe ſtatim reijciendum contemptu, ſed humanitate, facilitateq; magis alliciendum, ac fouendum, donec & ipſe fide proficiat, fideiq; robur accipiat. Et hoc eſt quod dicit, (*infirmum in fide aſſumite*) alloquitur perfectos in fide quos docuerat vt Chriſtum induerent. Ac ſi diceret, ſed vos qui perfecti, & validiores eſtis in fide, ideſt, perfectè creditis, (*aſſumite*) ideſt, nolite abijcere, (*infirmum in fide*) ideſt, eum qui nondum perfectè credit, fidem Chriſti ſufficere ad ſalutem: hunc non deſpiciatis propter infirmitatem, ſed eam boni conſulite, & aſſumentes ſupportate eum, & affectu charitatis vobis cóiungite, donec creſcat ad perfectionem.

2. *NON in diſceptationibus cogitationum.*) Diſceptatio, idem eſt quod contentio, quod in malum ſonat, alluditq; in hoc ad id quod in fine ſuperioris capitis dixerat, non in contentione & æmulatione. Explicat autem hìc modũ quo infirmũ in fide ſuſcipere debemus, videlicet, ne diſputationibus cum illo contendamus, ſed leniter ac blandè amplexemur, & informemus. Commodius enim beneuolentia id fiet, quàm contentioſis diſputationibus. Siquidem in huiuſmodi non conuenit protinus in malam partem interpretari, quod citra vitium fieri poteſt. Quo pax & concordia vndiq; conſtet inter Chriſtianos homines, quædam diſsimulanda ſunt, quædam ferenda, quædam benignius interpretanda. Magnam vim habet ad mutuam vitæ ſocietatem, hæc commoditas, candorq;. Nuſquam pax cohærebit inter mortales, niſi in nonnullis alius alij vicißim conceſſerit, nam ſunt hominum variæ ſententiæ. Paulus igitur hoc loco vetat contentioſas altercationes dum ait, (*non in diſceptationibus*) ideſt, altercationibus (*cogitationum*) ideſt, diſputationum, ac ſi diceret, ſupportate qui ſic in fide eſt infirmus, & nolite tempus terere in altercationibus diſputationum, an ſcil. & rectè abſtinet à cibis certis, an rectè dies aliquos feſtos obſeruat, ſed in ſimplici manſuetudine illum ſuſtinentes, atq; in ſpiritu lenitatis inſtruentes.

3. *Alius enim credit ſe mãducare omnia.*) Inter cæteras legales obſeruantias, vna erat diſcretio ciborum, propter aliquos [Leu. 11.] cibos in lege prohibitos. Prohibebantur autem, non quia naturaliter eſſent immundi: nam quemadmodum in verbis hoc nomẽ ſtultus ſignificat aliquod malum, quamuis illud ſit bonum, ita in rebus quodam animal bonum eſt ſecundum naturam, ſed ſignificatione eſt malum, velut porcus qui ſignificat immunditiam, & ideo prohibitus eſt antiquis eſus illarum carnium, vt inquit D. Th. [Tho.] quo earum vitatione ſignificaretur vitatio immunditiæ. Tota veteris populi vita, vt inquit Aug. [Aug lib. contra fauſt.] figuralis erat, ſed aduentu Chriſti qui eſt veritas, ceſſauerunt figuræ. Hac autem obſeruantia ciborum quotidie erat vtendum, vel non vtendum, & ideo de ipſa nunc mentionem facit dicens. (*alius enim*) qui ſcil. eſt perfectus & firmus in fide, vacáſq; omni ſuperſtitione (*credit ſe*) poſſe licitè (*manducare omnia*) hoc eſt, in Euangelica libertate perfe- [Mat. 5.] ctè confidens, putat ſibi phas eſſe, citra delectum vllum, quouis veſci genere ci- [1. Thi. 4.] borum, nihil aliud in hoc ſpectans, quã naturæ neceſsitatem.

4. *Qui autem infirmus eſt, olus manducet.*) In ſingulis generibus animalium, putà, terreſtribus, volatilibus, & aquaticis, fuerunt Iudæis interdicta [Leu. 11.] multa, non ſolùm, verum & licitas carnes certo præſcriptoq; modo debebant occidere, euiſcerare, & mundare antequam comederent. Qua de cauſa nunc etiam à carnibus abſtinent quæ à Chriſtianis mactatæ ſunt. Atq; adeò ſuperſtitioſi illi; ita ſe alienabant ab aliorum conuictu, vt ſolis oleribus victitarent, ſimulantes forſan (vt dicit Chryſoſt.) [Chry.]

id non legis obſeruandæ gratia facere, ſed propter ieiuniũ. Ex oleribus enim, ſicut nec ex fructibus nihil erat prohibitum: tum, quia ſimpliciſsima ſunt hominum alimenta, in ipſo ſtatim orbis exordio primis mortalium conceſſa. Gen. 1. Ecce, inquit Dominus, dedi vobis omnẽ herbam afferentem ſemen ſuper terrã, & vniuerſa ligna quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, vt ſint vobis in eſcam. De quo quidem tempore Boet. li. 2. met. 5. eleganter Boetius, fœlix, inquit, nimium prior ætas, contenta fidelibus aruis, nec inerti perdita luxu, faciliq; ſera ſolebat, ieiunia ſoluere glande. Nec Bachica munera norat, liquido confundere melle. Nec lucida vellera Serum, thirio miſcere veneno. Somnos dabat herba ſalubres, potum quoq; lubricus amnis, vmbras altiſsima Pinus. Quibus verbis commendatur ſatis temperantia hominum illius primi temporis. Tum etiam, quia cum in Paradiſo interdicta fuerit arbor vna, & hanc prohibitionem transgreſsi fuerint primi parentes, noluit poſtmodum Deus interdicto cuiuspiam vel arboris, vel oleris, deterrere populum Moſaicum.

Senſus igitur litteræ eſt, qui firmiores ſunt fide paſsim ac temerè veſcuntur cibis quibuslibet, exiſtimantes id ſibi perquàm licere. Contrà *qui infirmus* fide ac debilis eſt, quia incertus eſt animi quid manducet propter tot ciborũ genera in lege prohibita, ne conſcientiam, quam ſibi parit, polluat, (*olus manducat*,) ſciens nihil illorum eſſe vetitum in lege. Interpres legit, (*manducet*). ideſt, ſi exiſtimat periculum eſſe in carnibus edendis, veſcatur oleribus.

Pro maiori huius loci explicatione, diſtinguenda ſunt hic tria tempora, vt do Aug. cõtra Hier. cet Aug. contra Hieronymũ. *Primum*, ante Chriſti paſsionem, in quo legalia ſuum obtinebant robur, quaſi adhuc viuentia. *Secundum*, à paſsionis articulo vſque ad ſufficientem Euangelij promulgationem: quo quidem tempore legalia mortua erant, quia nullos ad ea tenebatur. Nec obſeruata, aliquid conferebant alicui. Nondum tamen erant mortifera, quia ſine peccato poterant Iudæi ad Chriſtum conuerſi, obſeruare illa: dummodo nemo in illis ſpem ſic firmaret, vt crederet abſque illis fidem & gratiam Chriſti non iuſtificare. Fuit quidẽ ignorantia illa permiſſa aliquãtulo temporis tractu, vt Synagoga, nõ ſicut Gentilitas, proſcriberetur, ſed ſepileretur cum honore. Et de hoc ſecũdo tempore inteligẽdus eſt hic Paulus. *Tertium* verò tempus eſt, poſt ſufficiẽtem Euangelij promulgationem, in quo legalia non ſolùm ſunt mortua, ſed etiã mortifera, vt quiſquis ea ſeruet, peccet mortaliter. Sunt enim falſa ſigna futuræ rei, quæ iam præterijt. Vnde in epiſt. ad Coloſſ. monet Chriſtianos iam adultos in fide, vt caueãt à legalibus, dicẽs, Col. 2. Nemo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei feſti, aut neomeniæ, aut Sabbatorum, quæ ſunt vmbra futurorum. Et Galatas hac etiam de cauſa Gal. 4. reprehendit, inquiens, & dies obſeruatis, & menſes & annos & tempora, timeo ne ſine cauſa laborauerim in vobis.

Senſus hic ita explicatus germanus eſt & ad mentem Pauli. Eſt verũtamen & Aug. Gloſſ. alius non contẽnendus D. Aug. in gloſſa quæ inter ordinarias habetur, nempè, vt dicatur *infirmus*, qui eſt ad lapſum vitiorum carnalium pronus. Et huic cõſulendum eſt vt veſcatur oleribus, ideſt, tenues & aridos cibos comedat, qui non ſunt fomentum vitiorum: & abſtineat ab illis, quibus excitatur libido, nimirùm à carnibus, & huius generis ſolidioribus, calidioribusq; alimentis, non quidem propter legalem immũditiam, ſed ad libidinem refrenandam. Et licet hic corde omnia credat, eſt tamen infirmus in fidei operibus, quibus paſsim Deum negat, quem ore ſe noſſe fatetur, vt inquit Paulus. Sed alius qui eſt in virtute animi robuſtior, credit ſe abſq; periculo omnia poſſe mãducare: hic verò non debet contemnere alterũ, ſed aſſumere & tolerare, & in ſpiritu lenitatis inſtruere. Atq; hæc quidem Chriſtianorum differentia depicta videtur ad viuum apud Matthæum, inter diſcipulos Chriſti qui non ieiunabant, tãquam confortati præſentia ſui Mat. 9. Dñi,

Dñi, & diſcipulos Ioannis Baptiſtæ, qui
ieiunabant quaſi imbecilliores viribus
ſpiritualibus.
Hinc leges abſtinentiæ Eccleſiaſtica au-
thoritate ſanctiſsimè ſunt ſancitæ, quo
videlicet per abſtinentiam corpus ema
ceratũ ſpiritui ſeruiret, qui iuxta Chri-
ſtianam libertatem ſemper debet eſſe
liber à tyrãnide corporis, iugumq; Dñi
Mat. 11 fieret ſuauius, & onus leuius, poſſetq;
animus rerum cœleſtium cõtemplatio-
ni abſq; impedimento vacare. Et hic
Ioa. 12. eſt modus quo anima noſtra odio ha-
betur in hoc mundo, vt cuſtodiatur in
vitam æternam. Nam cum vita in victu
conſiſtat, hoc modo genium noſtrum
defraudantes, particulam vitæ authori
noſtro Deo offerimus, abſtinendo & ie-
iunando. Sũma, quemadmodum cor-
poreis, ita & ſpiritualibus morbis me-
dendis, nullum quàm dieta, magis præ
ſentaneum remedium, nullaq; ad bonã
valetudinem vtriusq; hominis, eſt ſalu-
brior medicina. Venerabilis eſt valde
virtus abſtinentiæ inter egregias virtu-
tes: tùm, quia nulla eſt antiquior illa,
ab ipſa enim terreſtri paradiſo, vbi vni-
cum fuit tantum abſtinentiæ præcep-
tum, ortum duxit. tùm etiam, quia ne-
mo vnquam vel priorum, vel poſterio-
rum patrum, vllum egregium facinus
attentauerit, niſi ſancto abſtinentiæ ful-
cimento præmunitus. Moyſes per ieiu-
nium ſuſcepit legem. Daniel reuelatio-
nes. Iudith iugulauit Holofernem. Ma-
chabæi nõ inibant certamina, niſi prius
ieiunaſſent. Ioannes Baptiſta in deſerto
locuſtas & mel ſylueſtre edebat, cùm
incœpit ſuam prædicationem. Deniq;
Saluator noſter poſt ieiunium quadra-
ginta dierum pugnauit cum dæmone,
qui primos parentes, gulæ mucrone iu-
gulauerat, quo etiam primum ſpiculo,
aggreſſus eſt Chriſtum, inquiens, dic vt
lapides iſti panes fiant. Eſt enim gula
vitiorum mater, quorum fibræ per abſti
nentiam facilè reſecantur.
Phil. 3. Abeant ergo deteſtabiles hæretici, tan-
tæ virtutis inimici, imò inimici crucis
Chriſti, quorum Deus venter eſt, & glo-
ria in confuſione ipſorum, qui terrena
ſapiunt. Abeat ille Helluo Cherintus,
eiusq; a ſecla Iouinianus, Chriſtianorũ, *Hiero.*
vt ait Hieronymus, Epicurus: qui, iux- *Aug. de*
ta Aug. auſus eſt afferere, nullum habẽ- *hæreſ. c.*
dum eſſe Chriſtianis ciborum delectũ. *82.*
Quam Hæreſim poſtea ſuſcitarũt Vual
denſes, & Huſsitæ, & nouiſsimè diebus
iſtis, ebrius iſte Lutherus.
¶ Delectus itaq; carnium, & aliorum ci-
borum, adeò non eſt ſuperſtitioſus, vt
qui negant eum eſſe ad vitam Chriſtia
nam, tùm neceſſarium, tùm ideò conſul
tiſsimè ac ſanctiſsimè inſtitutum, ſint
planè hæretici, vt in Concilijs Gangrẽ- *Cõc. To.*
ſi, & Toletano, & alijs ſancitum eſt. *Gang.*
Non tamen eo animo ſit huiuſmodi de-
lectus, vt inteligas cibũ aliquem natu- *Taſcian.*
ra ſua malum eſſe, prout alij dixerunt *Priſcilia*
hæretici, infamantes creaturas Dei tã- *niſta.*
quam malas, cum Deus ipſe teſtetur, *Manic.*
quod vidit cũcta quæ fecerat, & erant
valde bona. Et Apoſtolus alibi, Omnis, *Gen. 1.*
inquit, creatura Dei bona eſt. Nec item
ea ratione fieri debet, qua fiebat olim
à Iudæis: abſurda enim eſſet valde iam
nũc talis cauſa. Nam longè diuerſus à
noſtro, eſt illorum delectus. Illi enim
non omnes abijciebant carnes, nec cer-
tis temporibus ſicut nos, ſed quaſdam
certas in perpetuum, illorum ſcil, ani-
malium quæ vngulam non findũt neq;
ruminant: atq; aliorum alijs de cauſis.
Et non ſolùm carnes, verùm & piſces
quamplures erant illis interdicti. In
ſumma, illi ob immũditiam corporalem
quæ inde cõtrahebatur, & potiſsimùm,
veluti in ſignũ, myſteriumq; futurorũ.
Chriſtiani verò, contrà, non in perpe-
tuum (niſi quis ex voto, tali ſe conſecra
uerit religioni) ſed ſtatis tẽporibus ab
omni carnium genere abſtinent: non
vtiq; tãquam ceremoniam obſeruantes,
quæ ſit futurorum vmbra, ſed vt deli-
ctorum debita fructibus pœnitentiæ
cõpenſantes, & corpus per inediam ca- *Mat. 3.*
ſtigantes, in ſeruitutem redigant, ratio- *1. C. 9.*
niq; obtemperare faciant in omnibus
quæ ad virtutum officia pertinent.

5. *IS qui manducat, non manducantem non ſpernat.*) Exponit quomodo ſint vi-
tandæ diſceptationes cogitationum, &
primò quantum ad perfectos dicens,
(is

(*is qui manducat*) omnia, ideſt, is qui firmior eſt, & cum ſecura conſcientia, vel ſine periculo libidinis veſcitur quibuslibet, ita fruatur ſua firmitate vt (*non manducantem,*) ideſt, infirmiorem qui veſci metuit, (*non ſpernat*) tãquam infirmum in fide, vel quaſi pronum ad vitia. Hæc enim nobis non debent eſſe tanti, vt ob ea ſcindatur fraterna charitas, contemptuiq; habeatur proximus. Talis ſolet eſſe mos excellentiorum, vt contemptui habeant inferiores: nam Iſa.33. excellentia, ſuperbiam parit. Sed væ, inquit Propheta, qui ſpernis, nõne & ipſe ſperneris? Quapropter firmus ferat infirmum, ſic interpretans, error eſt ex longa priſtinæ vitæ conſuetudine relictus, ſubitò reuelli nõ poteſt, paulatim elabetur, & creſcente vera pietate, euaneſcet prorſus.

6. *ET qui non manducat, manducantem non iudicet.*) Loquitur quantum ad infirmum dicens, (*& qui non manducat*) ideſt, qui animi ſui infirmitati obſequens, abſtinet à certis ciborum generibus, vel quia eſt infirmus in fide, de quo loquitur Apoſtolus: vel etiam quia pronus eſt ad libidinem, (*non iudicet*) ideſt, ne damnet, (*manducantem*) ideſt, ſine delectu veſcentem quidquid appoſitum fuerit, quaſi transgreſſorem legis, vel quaſi in libidinem præcipitem.

❡ Obſerua, quod *iudicare*, hoc loco, pro condemnare vſurpatur. Quoniam niſi ſententiam Apud nos feramus de fratre, non eſt peccatum mortale. Et diſcuſsio citra ſuſpitionem de aliena vita, nulla eſt culpa. In ſuſpicione vero eſt venialis. Peruerſio tamen humana eſt in hac parte maximè conſideranda, nam infirmiores, qui hîc inteliguntur indoctiores, ſunt qui magnopere laborant hoc morbo iudicandi, eò quod non habent vnde ſuperbiant, & cum peritiorum iudicio deberent ſtare, citius inuadit eos libido iudicandi. Sapientiores vero quibus maximè incumbit inſtruere humiliores, blandè illos corripiendo, procliuiores ſunt ad contemnendum, quàm ad corrigendum. Chry. Quocirca (vt ait Chry.) Apoſtolus non vetat in priori membro, ne qui manducat, non manducantem corrigat aut doceat, ſed ne contemnat. Neq; in ſecundo prohibet, quominus infirmo qui ſcandalum accipit, conuenire illum liceat qui dare videtur, & interrogare cur ita faciat: ſed hoc tantum iubet ne inaudita cauſa, temerè ſententiam ferat de opere, nempe, de quo latet qua intentione qua ve cauſa, rationeq; fiat.

7. *Deus enim illum aſſumpſit.*) Hæc eſt prima ratio propter quam debemus à falſo iudicio abſtinere, & ſumitur ex authoritate iudicantis. Nam ille qui aſſumitur ad ſuperioris iudicium, non debet ab inferiori iudicari: cum ergo Deus aſſumpſerit homines in ſeruos à ſe iudicandos, nemo præter Deũ, aut Dei vices gerentem, debet illos iudicare. Quamobrem, iuxta mentem Apoſtoli hoc loco, ſi ſuperſtitioſus ille, de quo hactenus mentionem fecit, videat veſcentem quibuſuis cibis, debet ſic ſecũ cogitare, mea nihil refert quidquid agat, & conſentaneum eſt bono animo fieri, quandoquidem *Dominus illum aſſumpſit*, ideſt, ſibi adiũxit, ſuumq; fecit, cuius viuit arbitrio, cuiq; peccat vni, ſi quid peccat in iſtiuſmodi, quæ per ſe mala non ſunt.

8. *TV quis es, qui iudicas alienum ſeruum?*) Concluſio eſt quæ ſequitur ex dictis, per quã acriter reprehẽdit arrogantiam temerè iudicantium. Nam ſi Deus homines ad ſuum ipſius tribunal aſſumpſit, (*tu*) ſcil. infirme, (*quis es qui iudicas alienum ſeruum?*) Et ſi crimen eſt arrogantiæ faſtidire ſuperſtitionem infirmi, & ſimpliciter errantem, quanto intolerabilioris erit arrogantiæ, ſi qui fide eſt infirmior iudicet ac damnet meliorem ſe, iuxta vulgarem imperitiorum regulam, qui iniuſtum putant, quidquid ipſi non faciunt? meritò quidem huic dicetur, *tu quis es, qui iudicas ac damnas ſeruum alienum?*

❡ Non tamen hinc inteligas, Apoſtolum, contra publicam veritatem, omne humanum iudiciũ damnare. Nã omnis

autho-

authoritas iudicandi quæ in hominibus eſt, diuinitùs eſt conceſſa, iuxta ſuperius
Prou.8. dictum, *non eſt poteſtas niſi à Deo*, & per me reges regnant. Tradita eſt autem illis hæc iudiciaria poteſtas, certis limitibus circunſcripta, vt, videlicet, iudicium coactiuum in publicis magiſtratibus reſideret, ad coercendum maleſactores, legitimis teſtibus patentes. Scrutari vero renes & corda, ſiue cogitationes cordium, ex quibus infallibile ſumitur iudicium operũ, & omnia deniq; occulta, & futura, ſibi ſoli reſer-
Tho. uauit Deus, vt ait D. Tho. ſi quis ergo velit ſibi vſurpare iudicium ſuper ea quæ non ſunt ei diuinitùs conceſſa ad iudicandum, eſt *iudicium temerarium*: veluti ſi quis iudex delegatus à Papa, velit in iudicando tranſgredi mandati fines, violat authoritatem ſibi indultã, ita & ille, qui temerè iudicat proximũ,
Aug. de ſerm. dñi in mõt. cuius cor non patet. Vnde beatus Aug. In his, inquit, duobus temerarium eſt iudicium, cum incertum ſit quo animo quid factum ſit, vel incertum qualis futurus ſit, qui nunc vel bonus, vel malus manifeſtè apparet.

9. *Domino ſuo ſtat, aut cadit. Stabit autem, potens eſt enim Deus ſtatuere illũ.*) Hæc eſt ſecunda ratio, qua nemo debet de proximo, iudiciũ ſibi vſurpare. Nam ſi in eo quod edit, aut abſtinet, peccat, an non, (*Domino ſuo*,) ideſt, Chriſto Ieſu, qui eſt vnus omnium Dñs (*ſtat, aut cadit*,) ideſt, Dño curæ eſt, ſiue ſtat, ſiue cadit, qui & ſi per infirmitatem fidei nũc cadit, (*ſtabit autem*,) ideſt, ſtabilietur à Chriſto Domino, & confirmabitur, vt perſiſtat in ſuæ fidei robore, (*potens eſt enim Deus*,) ideſt, Chriſtus Dñs abundè potẽs eſt & idoneus, (*illũ*,) ideſt, ſeruum ſuum (*ſtatuere*,) ideſt, erigere, & ſtabilire, & fulcire, ne quid vacillet.

10. *Stat, aut cadit.*) Per hanc diſiunctionem deſignat nobis incertitudinem rei. Nam multi videntur humanis oculis cadere, qui ſtant, & econuerſò: iux-
Eccl.8. ta illud, vidi impios ſepultos, qui cum adhuc viuerent, in loco ſancto erant, & laudabantur in ciuitate quaſi iuſtorum operum. Quæ quidem verba, horribilia profectò ſunt valde Chriſtianis auribus.

11. *Stabit autem.*) Omnino implebitur hoc in prædeſtinatis, cum quo quadrat illud Pſal. nunquid qui dor- Pſal.
mit non adijciet vt reſurgat? & illud Prophetæ, ne læteris inimica mea quia Mic.7.
cecidi, reſurgam. Et propter hoc, ait D. Th. ſi videmus aliquem manifeſtè ca- Tho.
dentem, non debemus eum deſpicere, temerariè iudicando de eo, quod nunquam reſurget: ſed magis debemus præſumere quod iterum *ſtabit*, non ex conſideratione conditionis humanæ, ſed conſiderando virtutem diuinam. Vnde dicit, *potens eſt enim Deus ſtatuere illum*) ſuo ſcil. fauore & ope, abſq; eius meritis. In hoc enim differt Dominus Ieſus ab humanis dominis, in quorum manibus non eſt emendare familiam ſuam, in manu autem Domini Pſal.
ſunt omnes fines terræ.

12. *Nam alius indicat diem inter diẽ, alius indicat omnem diem.*) Quod de ciborum delectu dictum eſt, idem & de Sabbatorum, ac Neomeniarum obſeruatione accipiendum. Erant enim in lege dies feſti in quibus neceſſe erat feriari, vacareq; ab opere, vt Paſchata, & Sabbata, & Neomeniæ. Nam in Leuit. Leu.23.
ſic legitur, Decimo die menſis ſeptimi, dies expiationum erit celeberrimus, affligetisq; animas veſtras in eo. Et de ſancta Iudith legitur, quod ieiunabat Iudit.8.
omnibus diebus vitæ ſuæ, præter Sabbata, & Neomenias, & feſta domus Iſrael. Vnde ſicut de abſtinentia propoſuit, quod alius credit ſe manducare omnia, alius verò manducat olus: ita ſimiliter de feſtis ſubdit, *alius indicat diem inter diem, alius verò indicat omnem diem*. Nam qui infirmus eſt, ac imperfectæ fidei, is (*indicat*,) ideſt, diſcernit (*inter diem & diem*,) quaſi ſit alius ſacer, alius prophanus, & in hoc nephas ſit veſci cibis, aut opus facere, quod in alio phas ſit. Quo quidem modo veriſſimile eſt in primitiua Eccleſia, multos ex Iudæis in fide debiles, & adhuc litteræ hærentes, feſta & calẽdas ſuperſtitioſe

tioſè obſeruaſſe. Econtrà, (*alius,*) ideſt, qui firmus eſt, ſolidæq; fidei (*iudicat omnem diem,*) ſcil. cuilibet rei nō malè gerendæ aptam, nulloq; delectu habēs omnes dies, exiſtimat vniuerſum vitæ tempus, pietatis officijs ſacrum eſſe, ac dedicatum. Tales erant perfecti Chriſtiani, qui ceremonias ceſſaſſe inteligētes, nullam, inter huiuſmodi legis veteris dies, diſtinctionem ponebant.

Abſit tamen vt quis hic exiſtimet, Paulum celebritates Chriſtianorum improbare, ſed illas tantùm ceremonias antiquas ſubnotat, quæ licet quōdam bonæ & ſanctæ fuerunt, nunc tamen ſunt prorſus inanes, poſtquàm morte Chriſti ceſſauerunt.

Poteſt hoc etiam referri, vt ait D. Th. ad abſtinentias quæ fiunt cauſa cohibendæ libidinis, quibus omni die aliqui vacant, putà, qui perpetuò à carnibus, vel vino abſtinent, vel ieiunant. Quidā autem interpoſitis diebus abſtinent, & ab abſtinentia ceſſant, iuxta illud, Omnia tempus habent. *Eccl. 3.*

13. *Vnuſquiſq; in ſuo ſenſu abundet.)* Non vult Paulus ea de re, quemquam iudicari, ſed Domini relinqui iudicio, nec ob iſta ſcindi inter eos fraterna cōcordia: tantum in his rebus (*vnuſquiſq;*, inquit, *ſuo ſenſu abundet,*) ideſt, ſuo ſenſui dimittatur, illumq; ſequatur, vel ſecundum ſenſum ſuum ſtudeat abūdare ad gloriam Dei, iuxta illud, Ad ædificationem Eccleſiæ, quærite vt abūdetis. *1. C. 14.* Et poſtquàm ſeipſum conſuluerit, factuſq; ſit certus ſuæ mentis, compertumq; habeat quod mente cōcipit, agat quod ſibi conſcientia iudicat.

Sed hoc tamen videtur ibi locum habere, vbi non eſt lex, quoniam ſi lex adeſt, nemini licet ſuo ſenſu & capite abūdare præter legis præſcriptum.

Ad hæc, cum de dogmatibus agitur, vt ait Theophilatus, *Theop.* nemo debet ſenſu ſuo duci, ſed ea tenerenter auſcultare quæ à maioribus tradita ſunt. Denique, in his quæ ſunt ſecundum ſe mala, nō eſt homo ſuo ſenſui relinquendus. *Vnuſquiſq; ergo in ſuo ſenſu abundet*, hoc eſt, ſuo fruatur animo, non dānata alterius ſententia, præſertim cum vtrūq; vacet crimine, & in vtroque cōſtet hoc, quod eſt veræ pietatis caput. *Iudicare autem inter diem & diem*, licet modo ſit per ſe malum, non tamen erat eo tempore, de quo hic Apoſtolus loquitur, cum ſcilic. Iudæis ad fidem conuerſis licitum erat ſeruare legalia.

Neque quantum ad ſecundam expoſitionem eſt licitum quod dicit (*alius iudicat omnem diem,*) nam inteligendum eſt quantum ad illas abſtinentias, quæ quolibet die licitè fieri poſſunt abſque diſſonantia communis conſuetudinis, vel eorum quæ ſunt à maioribus inſtituta. Die enim dominica, nō ieiunatur, dicente Auguſtino, Quiſquis diem Dominicum ieiunio decernendum eſſe putauerit, non paruo ſcandalo erit Eccleſiæ: nec immeritò. *Aug. in epi. ad Caſulanum.* Illis enim diebus quibus nihil certi ſtatuit diuina Scriptura, *mos populi Dei, & inſtituta maiorū*, pro lege tenenda ſunt. *diſt. 30.* Et in decretis, ſic habetur, Siquis presbiter propter publicam pœnitentiam à Sacerdote acceptam, abſque alia neceſsitate, die dominica pro quadam religione ieiunauerit, ſicut Manichæi, anathema ſit.

Obſeruandum verò, quod per iſtam Apoſtoli ſententiam, ſcil, (*Vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet*) non damnatur conſilium amicorum cordatorū, proborūq;, quos in omni re cōſulere eſt valdè neceſſarium, iuxta illud, Omnia fac cum conſilio. *Prou. 3.* Et, Habe fidutiam in Dño ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ. Sed hoc tantùm vult Paulus, vt exploratores, cenſoreſq; alienæ vitæ, in his quæ dextrè, ſiniſtreq; interpretari poſſunt, ſuum quemq; ſenſum ſequi dimittant, potiùs quàm obres parui momenti, fratrem conturbent, ſcindantq; Chriſtianam pacem, vt dictum eſt.

14. *Qui ſapit diem, Domino ſapit.)* Confirmat ſententiam proximè dictā, vt ſcil. vnuſquiſq; ſuo ſenſu permittatur abundare. Nemo enim ſiue in ciborum delectu, ſiue in feſtorum obſeruantia condemnandus videtur, ſi ſuæ conſcientiæ ſatisfaciat. Vnde inquit, (*qui ſapit diem*)

diem) nouum genus loquendi, ait Ga- Gag. gneius, pro eo quod eſt, qui rationem aliquam dierum habet, id vocat diem ſapere. (*Domino ſapit*) ideſt, ad honorem Dei, quem in lege veneratur, id facere creditur. Atq; econtrariò, qui dierum obſeruantiam negligit, ad Dei gloriam id ſimiliter facit, libertatem quam contulit per filium confidenter acceptans.

15. *ET qui manducat, Domino manducat: gratias enim agit Deo. Et qui non manducat, Domino non manducat: & gratias agit Deo.*) Similiter ad gloriã Dei faciunt, & qui indifferenter quibuslibet cibis veſcitur, & qui certis abſtinet: quod per hoc patet, quia vterq; gratias agit Deo, licet ratione diuerſa, ille nimirum, ſcil. infirmus, quia putat obſeruandas eſſe antiquas ceremonias cũ noua lege. Hic vero ſcil. firmus in fide, quia illas credit eſſe antiquatas, & abolitas. Cauſa diuerſa eſt; res eadem; animus idem, & idem Dominus. Robuſtior in fide, *gratias agit* pro libertate veſcendi quibus velit, quod Euangelica lex animos diſcernat, non cibos. Imbecillis vero, *gratias agit* pro fructu continentiæ, dum occaſione infirmitatis fugit crapulam, & intra temperantiæ cancellos coercetur, ſuis contentus oleribus. In huiuſmodi, pares erant illi, cum æque gratias agerent communi Domino, neque quiſquam pro ſua ſententia tuenda debebat digladiari cum fratre: ſatis eſſet, ſi Dominus approbaret, ad quem pertinet earum rerum iudicium, quæ vel incertæ ſunt, vel pro temporum ratione ferendæ, quales fuerunt ceremoniæ legis antiquæ ante ſufficientem Euangelij promulgationem.

16. *Gratias agit Deo.*) Inſtituto antiquiſſimo non ſolùm Apoſtolorum, verum ipſius Chriſti, & prius eſcas bene- Mat. 26 dicimus, & poſt, gratias agimus Deo, cuius beneficio veſcimur, & cuius benignitas in vſum hominum condidit omnia. Quapropter, iniquus & ingratus valde, brutisq; animalibus deterior eſt ille homo, qui abſq; benedictione ſedet ad menſam, & abſque gratiarum actione ſurgit ab illa.

17. *Nemo enim noſtrum ſibi viuit, & nemo ſibi moritur: ſiue enim viuimus, Domino viuimus: ſiue morimur, Dño morimur, ſiue ergo viuimus, ſiue morimur, Dñi ſumus. In hoc enim Chriſtus Dñs mortuus eſt, & reſurrexit, vt & viuorũ & mortuorum dominetur. Tu autem quid iudicas fratrem tuum? aut tu quare ſpernis fratrem tuum? Omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti.*) Probat his verbis ab vno Domino nos pendere, vitamq; & mortem noſtram, quæ penes illum ſint: atq; adeò, ſiue quis edit, ſiue abſtinet, ſiue diſtinctionem dierum aliquam facit, ſiue nullam, non vult à fidelibus iudicari, ſed Domini iudicio relinqui. Nullum enim eſt ius Chriſtiano in Chriſtianum, niſi vt alter alteri proſit.

18. *Nemo enim noſtrum ſibi viuit, & nemo ſibi moritur.*) De vita & morte tẽporali explanandum videtur: nam qualiſcũq; vtraq; fuerit, Domino fit vel lucrum vel iactura. In hoc enim & creati, & redempti ſumus à Domino, vt gloriam ſuæ diuinitatis in nos effunderet, quo ipſa eſſet quodammodo extenſior: & ſic vbi quis in iniquitate ſua moritur, non ſolùm ſibi, ſed Deo etiam iacturam facit vitæ tam naturalis quàm gratiæ, quam ei Deus donauerat illo fine quo fruſtratur: ſicut econuerſo lucrum facit qui moritur iuſtus. Et ideo tanquam bonus paſtor, relictis nonaginta nouem ouibus in deſerto, deſcendit de monte ſancto ſuo, vt quæreret vnam ouem quæ perierat. (*Nemo ergo noſtrum ſibi viuit*) cum omnes ſimus illius qui ex nihilo nos cõdidit, & aſſeruit à morte ad vitam, à vitiis ad pietatem. Non itaq; quiſquam magis ſibi viuit, neq; moritur, quàm ſeruus alieni iuris, in quem hero poteſtas eſt & vitæ & necis. Quod ſi ſeruus viuit, non ſuo nec alieni, ſed Domini ſui commodo aut incommodo viuit. Sin moritur, Domini cõpendio aut diſpendio moritur.

19. *Siue ergo viuimus, ſiue morimur, Domini ſumus.*) Nullum mancipium inter mortales tam heri ſui eſt, quàm nos

nos ſumus Chriſti Domini noſtri, qui non argento vel auro, ſed prætioſo ſanguine ſuo, nos emere dignatus eſt. Alia namq; mancipia deſinunt poſt mortem eſſe dominorum ſuorum, à quorum ſeruitute mortua liberantur: nos vero non ſolùm viuentes, ſed etiam mortui, Domini ſumus, ſiue miſeros illos inteligas, qui perpetuis flamis traditi, puniuntur apud inferos: ſiue fœlices cœlicolas, qui tanquam liberi ſempiternè fruuntur conſpectu mirabili Domini Dei, ac patris ſui.

20. *IN hoc enim Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit, vt viuorum & mortuorum dominetur.*) Hoc eſt ius quod Chriſtus Dn̄s habet non ſolùm in viuos, ſed etiā in mortuos, qui & vitam ſuam, & mortem ſuam nobis ſeruandis impendit. Iā quidem iure creationis, ſicuti omnipotens, qui omnia ex nihilo condidit, dominabatur cunctis creaturis: at verò quantum ad dominium ſpirituale quod eſt per gratiam, non ſolùm vt Deus in quantum Deus, verum Dei filius in quantum homo, dominiū habet regni cœleſtis, conſtitutusq; eſt iudex viuorū & mortuorum. Quandoquidem idem, mortuus eſt mea cauſa factus homo; atque idem à morte reuixit, vt pariter & morientium & viuentium eſſet Dn̄s; comparauitq; nobis proprio ſanguine reconciliationis gratiam, & idcirco pertinet ad eum & viuis in hoc ſeculo charismata diſpenſare, & in altero mortuos vel ad regni ſedes admittere, vel in thartara inde cum diabolo demittere: dominatur enim cūctis in vniuerſum mortuis, ſiue bonis, ſiue malis. Vnde Paulus, quia humiliauit, inquit, ſe vſque ad mortem, exaltabit illum Deus, & dedit illi nomen ſuper omne nomen, vt in nomine IESV omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dn̄s Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris. Phil. 2.

Mors itaq; Chriſti Saluatoris noſtri, mortuis reſpondet: & reſurrectio, viuis. Morte enim redemit, ipſoſq; acquiſiuit veluti in ſeruos: reſurrectio, terminus eſt mortis. Nam per mortem, deſtruxit mortem noſtram, iuxta illud, ô mors, ero mors tua. Qua deſtructa, reſurgeremus in nouam vitam, nam ſi ipſe non reſurrexiſſet, neq; corpora noſtra reſurgerent: quæ tamen reſurrectio noſtra, effectus eſt ipſius mortis, non ſolùm reſurrectio corporum in vitam gloriæ, ſed etiam animarum in vitam gratiæ. Qua quidem ratione optimè colligitur vt nemo iudicet alienum ſeruū. Omnes enim Chriſti Ieſu ſumus ſerui, eiq; debemus omnia: nam ſi viuimus pietati, illi debemus: ſi mortui ſumus vitijs, illi debemus: ille Dominus eſt, ille iudex eſt, cur ſeruus in ſeruum ſibi ius vendicat, quod Domini peculiare eſt? Siue igitur cadimus, illi cadimus: ſiue ſtamus, illi ſtamus: ſiue viuimus, illi viuimus: ſiue morimur, illi morimur.

21. *TV autem quid iudicas fratrem tuum? Aut tu quare ſpernis fratrem tuū? Omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti.*) Hæc ratio ſumitur ex futuro iudicio, quæ quidem & amore lenit, & terrore percellit tum eos qui temerè iudicant, tum etiam eos qui contemnunt alios. Inquit ergo, (*tu autem*) nempe, ſuperſtitioſule (*quid*) ideſt, qua fronte (*iudicas fratrem tuum,*) te firmiorem, quia liberè veſcitur, aut quouis die ex æquo vtitur? Nomine hîc fratris, quod eſt neceſſitudinis & amoris, confundit tales iudices, cum omnes ſimus filij eiuſdem patris; cui ſoli deferendum eſt liberorum iudicium. (*Aut tu*) nimirum, firmior ſiue peritior, (*quare ſpernis*) ac faſtidis (*fratrem tuum*) infirmiorē, perinde quaſi Dominus illius ſis, ac non magis conſeruus? Eſt enim frater æqualitatis quoq; nomen, & eorum qui pari ſunt dignitate corā Deo, quorum ideo nemo debet alios ſpernere quaſi excellentior. Siue igitur qui ſpernit, ſiue qui iudicat, caueat Dei viuentis iudicium horrendum. (*Omnes enim ſtabimus*) ideſt, ſiſtendi ſumus (*ante*) ideſt, apud (*tribunal Chriſti*) illius voce vel damnandi, vel abſoluendi, qui perſpicit intimos, ac retruſiſſimos animorum receſſus. Quamobrem qui firmus He. 10.

mus in fide, doctiorq; viſus fuerit, ne-
minem deſpiciat quaſi excellentior, cum
reſpectu Dei nullus ſit excellentior alio,
omnesq; ex æquo tanquam conſerui
vnius Domini, expectabimus Dei iudi-
cium, per quod qui in hoc ſeculo alijs
præferuntur, maioriq; habentur in ho-
nore, forſan iudicabuntur minori, aut
nullo quidem, ſed potius ingenti vitu-
perio digni. At vero, qui puſillus eſt,
caueat Domini vicem vſurpare, & diem
iudicij peruertere, non eſt alius ab alio
iudicādus. Vnus enim ille, qui omnium
eſt Dominus, pronuntiabit de omni-
bus, apud cuius tribunal, vt dictum eſt,
aliquando ſiſtendi ſumus omnes.

¶ *Tribunal*, à tribu dicitur, & eſt locus
excelſus vnde iudex ius dicere conſue-
uit tribubus: vnde & Tribuni nomen
prouenit. Per metaphoram vero ſigni-
ficat diuinam atq; terrificam Chriſti
Maieſtatem ſedentis ad iudicium, vbi
& de minimo verbo otioſo eſt reſpon-
dendum tanto iudici, qui ſimul eſt iu-
Orig. dex & teſtis, Deus & homo, *cuius proin-
de tribunal, eſt idem cum Dei tribunali.*
Omnia enim quæ ſunt Chriſti, ſunt
ipſius patris: & omnia quæ ſunt patris,
Ioa. 17. ſunt & ipſius Chriſti filij eius.

De hoc autem expaueſcendo tribunali,
Dan 7. exactè à Daniele Propheta ſcriptum
eſt. Aſpiciebam, inquit, donec Throni
poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit, &
indumentum eius ſicut nix candidum,
& capilli capitis eius, ſicut lana munda:
Thronus eius flamæ ignis, rotæ eius
ignis accenſus, fluuius igneus, rapiduſq;
egrediebatur à facie eius. Millia milliū
miniſtrabant ei, & decies millies cente-
na millia aſsiſtebant ei: ad iudicium ſe-
dit, & libri apperti ſunt. Apud hoc hor-
ribile tribunal, vnuſquiſq; audiet ſen-
2. C. 5. tentiam ſuam, vel pro ſe, vel contra
ſe.

AT verò, quantū ad meritorum diſcuſ-
ſionem attinet, neq; infideles qui nun-
quam fuerunt Reipublicæ Chriſti iudi-
Pſ. 1. cabuntur, iuxta illud Pſal. non reſur-
gunt impij in iudicio. Neq; vero Apo-
ſtoli, iuxta promiſsionem iudicis, vbi
Mat. 19 ait, ſedebitis ſuper ſedes iudicātes duo-
decim tribus Iſrael. Eorum enim meri-
ta adeò erunt patentiſsima, vt non in-
digeant diſcuſsione, ideoq; aſsidebunt
iudici.

22. *Scriptum eſt enim, Viuo ego, dicit Do
minus, quoniam mihi flectetur omne genu,
& omnis lingua confitebitur Deo.*) Au-
thoritate ſcripturæ oſtendit quod nul-
lus homo in hominem, ideſt, ſeruus in
conſeruum, debet ſibi dominatum vſur
pare: quandoquidem hoc honoris, vni
ſibi ſeruatum eſſe voluit Deus, vt ipſe
teſtatur apud Iſaiam Prophetam, (*viuo* *Iſa. 45.*
ego,) inquiens, (*quoniam*) pro, quod, ve-
niet dies, in qua (*mihi flectetur omne ge-
nu,*) ideſt, omnis creatura rationalis
agnoſcet me verum dominum, mihiq;
vt vero Domino, reuerētiam exhibebit.
(*Et omnis lingua confitebitur Deo,*) ideſt,
dabit confeſsionem Deo, ſiue miſericor
diam ſaluantis cōmendando, ſiue iuſti-
tiam condemnantis, ſecundum conſciē
tiæ dictamen, comprobando.

23. *Viuo ego, dicit Dominus.*) Licet Deus
ſit ipſamet veritas, cui proinde in om-
nibus debemus adhibere fidem, pro
maiori tamen firmitate, immutabilita-
teq; conſilij, ac decreti ſui, aliquando
vtitur iuramento. Nam ea quæ ſecun-
dū cauſas inferiores prænūtiantur, vt
prophetia cōminationis, ad mutationē
cauſarum mutantur etiam ipſa: quoniā
ſi impius egerit pœnitentiam, & ex to-
to corde conuertatur ad Deum, cōuer-
titur etiam Deus ad miſericordiam &
veniam. Forma autem iuramenti Dei
eſt, (*Viuo ego,*) vt enim Apoſtolus ait, *Heb. 6.*
Homines per maiorem ſe iurant, ſed
Deus quoniam neminem habet per quē
iuraret maiorem, per ſemetipſum iura-
uit. Et perinde eſt (*Viuo ego,*) ac ſi di-
ceret, iuro per vitam qua ego ſingulari-
ter viuo. Eſt enim Deus ipſa vita, & fons *Amb.*
vitæ. Refertur autem iuramentum hoc,
non ſolùm ad Deum ſecundum diuini-
tatem, verum ad Chriſtum ſecundum
humanitatem: nam quamuis peccato
ſemel mortuus, viuit iam tamen Deo, vt
ait Paulus. *Ro. 8.*

¶ Ex hac forma iurandi, deriuata vide-
tur ad homines illa forma iurandi (*vi-
uit Dominus,*) hoc eſt, per vitā Domini

Dd quī

qui mori non poteſt, ſed omni tempore & loco oculatus eſt teſtis omniũ. Teſtis enim ſi non fuerit oculatus, non eſt legitimus. Mortui etiam citari in teſtes non poſſunt, ideò mos antiquitùs, ſolemnis iurandi fuit, (*viuit Dominus,*) & eſt omnis controuerſiæ finis, vt [Heb.] inquit Apoſtolus.

24. *Mihi flectetur*) Significat ſubiectionem & adorationem vniuerſæ creaturæ: quanuis negandũ non eſt, quod in reſumptis corporibus glorioſis, Sãcti genua flectẽt gaudẽtes coram Deo trino & vno: & coram Chriſto redemptore & iudice, quem oculis ſuis videbunt omnes, etiam inimici qui eum pupugerunt, & adorabunt eum quanuis inuiti: adorabunt etiam eum omnes exercitus Angelorum, humiliter demittendo coronas ſuas. [Apo. 4.] Nemo ergo deinceps contemnat puſillos tanti principis, cui omne genu glorioſè flectendũ eſt, [Phil. 2.] cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.

25. *Et omnis lingua confitebitur Deo*) Omnis lingua, expreſsio & ſignificatio cognitionis tàm hominum quàm Angelorum, qui per metaphoram loqui exiſtimantur, [Tho.] inteligi poteſt, vt ait D. Th. *confiteri autem Deo*, de confeſsione miſericordiæ & iuſtitiæ, vt ſuprà diximus, & inſuper de confeſsione fidei, & laudis obedientia inteligendũ eſt. Nam *omnis lingua*, ideſt, omnis natio, & vniuerſa creatura rationalis dabit Deo cõfeſsionem fidei, laudis & obedientiæ, fatẽdo Chriſtum eſſe verum Deum & verum Dominum omnium rerum. Quod quidem nunc partim impletur in hac vita, non quantum ad ſingulos homines, ſed quantum ad genera ſingulorum. De quolibet enim genere hominum nunc aliqui Chriſto ſubijciuntur, & ei confitentur per fidem: ſed in futuro iudicio omnes & ſinguli ei ſubijcientur, boni quidem volũtariè, mali autem inuiti, vt dictum eſt. Vnde Paulus, [Heb. 2.] In eo enim (inquit) quod omnia ei ſubiecit, nihil dimiſit non ſubiectum ei, & licet nũc nondum videamus omnia ſubiecta ei, tũc verò, cum tradiderit regnum Patri, omnia, vel vltrò, vel vi, proſtrata erunt ipſi: iuxta illud Pſalm. Sede à dextris [Pſal.] meis donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum.

26. *Itaq; vnusquisque noſtrum pro ſe rationem reddet Deo. Non ergo inuicem amplius iudicemus.*) Ex dictis ſatis cõſtat quod Chriſtus Dñs, eſt iudex viuorum & mortuorum, ante cuius iudiciũ reſpondebit vnuſquiſq; noſtrũ, & examinabitur de operibus ſuis: ac proinde hoc pro ſua quiſq; virili ſtudeat agere, quo pacto apud tantum iudicem pro ſe rationem reddat, nec alius aliũ iudicet in malũ, & quod Dei eſt nemo ſibi vſurpet. Graue enim malũ coram Deo, eſt iudicium temerarium, quo & ipſe offenditur, & proximus contemnitur, & læditur in honore: quem Deus tanti facit, vt non ſolum re, aut verbo, iniurius in proximos, verum nec cogitatione eos lædat quis non vult. Nolite, inquit, iudicare. Bona enim proximi exiſtimatio, magni eſt omnibus habenda, quando Deo ſit tantæ curæ honor noſter, quem nos illi adeò ſegniter rependimus, tot tãtiſq; nominibus debitum. Cauenda eſt igitur *ſuſpitio* quę ex leuibus coniecturis oriri conſueuit, in qua venialis tantùm eſt culpa: ſed maximè cauendum eſt *iudicium*, vt ſcil. nemo præceps ſententiam ferat cõtra fratrem, in qua, ſi de re graui fertur, ineſt mortale crimen: & cum indicia fuerint ita manifeſta, vt iudicium non ſit temerarium, nec vitioſum, adhuc eſt tamen valde timenda culpa, ne vllo n o do ſimus vel nimij iudices, vel vitæ fi a trum inquiſitores.

27. *Sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel ſcandalum.*) Prohibitis iudicijs temerarijs, nũc prohibet ſcandalum proximorum: nam ſi dum viuimus in hoc ſeculo, aliquid iudicandum eſt, interea hoc magis eſt iudicandum, ac ſtatuendum, qua ratione fieri poſsit, vt alius alij auxilio viciſ im ſimus, neque cuiquã aut demus malũ, aut occaſionem mali, quoad licet, præbeamus. Et hoc eſt quod dicit, (*ſed hoc iudicate magis,*) ideſt, decernite & ſtatuite,

tuite,

tuite, ſeu curate & prouidete (*ne fratri ſuis offendiculo, vel ſcandalo,*) hoc eſt, ne dicatis, aut faciatis quidquam, in quo offendi, vel ſcandalizari poſsit infirmior. Quoniam erigendus eſt qui vacillat, non deijciendus: & lignum fumigans excitandum, non extinguendũ.

Hiero.ſu per Mat. 9. ❡*Scandalum*, iuxta D.Hieron.eſt dictũ vel factum minus rectũ, præbens occaſionem ruinæ. Minus rectum dicitur, vel quod per ſe malũ eſt, vel ſpeciem habet mali, à qua iubet nos abſtinere Paulus. Occaſionem, inquir, præbens 1.T.vlt. ruinæ non cauſam, quia nemo vi compellitur ad peccandum.

Eſt inſuper *ſcandalum duplex*, nempè, actiuum & paſsiuum, ſeu datum & acceptum. Actiuum item eſt duplex, per ſe, vel per accidens. *Scandalum per ſe* dicitur, cum quis ex animo contendit, dolo, vel fraude, vel iniquo exemplo, aliquem labefactare in via iuſtitiæ Dei, indeq; illum præcipitare, in profundũ peccati malum, quod eſt propriè ſcandalum, correctioni fraternæ maximè cõtrarium, qua quidem virtute potius renemur bonum ſpirituale fratris ſemper procurare.

Scandalum verò per accidens dicitur, quã do quis incautè operatur id, quod eſt vel peccatum, vel figuram habere poteſt peccati, non vt fratrem præcipitet, tamen imbecillus inde ſcandalizatur.

❡*Scandalum paſſiuum ſiue acceptum* eſt duplex, nempè Phariſæorum, & puſillorum. Quemadmodũ enim Phariſæi, audito verbo Chriſti, ſcandalizati ſunt, ita ſunt nonnulli qui bonis aliorũ operibus, & ſanctis verbis ſcandalizantur. *Puſilli* verò dicũtur qui facilè corruũt dictis, factisuè aliorum. *Perfecti* namq; immobiliter inhærent Deo, atque adeò nec ſcandalizant, nec ſcandalizantur. Ita enim cautè & prudenter ſe habent ad omnia, vt nihil admittant quod fratrum offenſioni eſſe poſsit, niſi forſan leue aliquid, quod perfectioni viæ nihil repugnat.

❡*Scandalum* igitur *paſſiuum*, ſemper eſt peccatũ, hoc eſt enim ſcandalizari, quod peccare exemplo, vel occaſione alterius. Huius autem ſunt *quatuor gradus*. *Primus*, eſt iudicium temerarium, de quo hactenus ſermonem fecit. De hoc admonentur hîc promotiores in fide, ne anſam præbeant puſillis malè iudicandi. *Secundus gradus*, eſt opus, aut verbũ iniquum, alicuius occaſione, aut exemplo, iniquè prolatum, aut perpetratum. Corrumpũt enim bonos mores colloquia praua. Quo quidem pacto, vehementius præbent ſcandalum, quorum vitæ inſtitutum maiorem præfefert ſanctimoniam. Dum enim in præſtantioribus crimina conſpicimus, leuiora reputamus noſtra. Meritò ergo beatus Apoſtolus Petrus, monet prælatos omnes, vt non dominentur in clero, ſed efficiantur forma, ſeu exemplar gregis ſibi commiſsi. Facilè enim, vt ait Greg. facit inferior, quod vider fieri à ſuperiori. Greg. *Tertius gradus* eſt contemptus diuinæ legis, quæ, iuxta iniquorum ſententiam, prohibet difficillima vtpotè ſuis voluptatibus contraria, atq; adeò ab iniquis vocatur acerba, cum reuera, iuxta Saluatorem noſtrum, ſit iugũ ſuaue, & onus leue. *Quartus gradus* eſt ſiniſtra de Deo exiſtimatio, dum eum alij ſuſpicantur non ita grauiter offendi, poſtquam tot mala tolerat.

❡*Scandalum verò actiuum* conſiſtit in hoc, quod offeratur alijs occaſio cadẽdi, licet illi actu nũquam delinquant, vnde & eſſe poteſt abſq; ſcandalo paſſiuo, & vice verſa, vt patet in ſcandalo Phariſæorũ. Contingit autem illud eſſe veniale peccatum, nimirum, cum inductio non fit niſi ad veniale, dum per negligentiam venialem, aut inconſiderationem aliquid facimus vnde alij ſcandalizentur. Et eſſe poteſt mortale, vbi quis vel ad mortale peccatum inducit alterum, vel per grauem negligẽtiam talem prebet occaſionem.

❡Meminerint huiuſmodi, iræ Dei magnæ qua minatur illis Chriſtus Dñs inquiens in Euangelio, Væ homini illi Mat.18 per quem ſcandalum venit. Et, qui ſcãdalizauerit vnum de puſillis qui in me credũt, expedit ei vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Vbi grauitas huius

Dd 2 crimi-

criminis ſubnotatur: quo quidem nõ ſolùm æterno ſuplicio puniri, verùm & Eccleſiaſtica ſepultura carere meretur homo: quid inquam eccleſiaſtica, dum nec in ſterquilini cum iumentis ei cõceditur ſepeliri, ſed quod proijciatur à terra in profundum maris, ille qui ſcãdalum dederit.

Nec minuit de eius culpa, quod Chriſtus dicat, neceſſe eſt vt veniant ſcandala. Talis enim neceſsitas non dicit coactionem ſcandalizandi, ſed potius eſt neceſsitas conſequentiæ: quoniam neceſſe eſt vt veniant ſcandala quæ per Prophetas prænuntiata ſunt. Vel eſt neceſsitas finis, nimirum vt per ſcandala, qui probati ſunt, manifeſti fiant. Vel demum eſt neceſsitas conditionis humanæ, pro cuius fragilitate vitari omnino non poſſunt ſcandala, ſicut & alia ſcelerum genera.

28. *Scio & confido in Domino Ieſu, quia nihil commune per ipſum, niſi ei qui exiſtimat quid commune eſſe, illi cõmune eſt.)*

Hiero. ſuper Mat. Moyſes in lege quoſdam cibos deſignauit impuros, verbi gratia, ſuillam carnem, lepores & huiuſmodi, quos Iudæi ſuo more vocabant communes, ceu prophanos, eo quod omnes gentes vtebantur illis, quibus nephas erat veſci Iudæis: quoſdam verò mundos quibus veſci phas erat. Inquit ergo, *(ſcio & confido)* ideſt, perſuaſiſsimum habeo, nam, *(confido,)* non dicit hîc confidentiam quæ eſt de futuro, ſed eſt auxeſis, ac ſi dicat, certo certius habeo, *(in Domino Ieſu)* ideſt, Chriſti Domini aflatu, qui carnalem legis partem prorſus abolitam vult, *(quia)* pro, quod *(nihil per ipſum)* ideſt, ſuapte natura *(commune)* ideſt, impurum, nec vllus ſit omnino ciborum delectus. Vel *(per ipſum,)* ideſt, per Chriſtum, qui purificauit, ſicut dicitur beato Petro in *Act.* Actis, quod Deus purificauit, tu ne cõmune dixeris. Cibi ſecundum ſuam naturam nunquam fuerunt immũdi, quo-*1. Thi. 4.* niam omnis creatura Dei bona eſt. Vitabantur tamen aliquando vt immundi ſecundum legis præceptum, propter figuram: ſed Chriſtus Dominus qui eſt veritas remouit implendo omnes figuras. Ideo Apoſtolus ait, nihil eſſe impurum *per ipſum*, ideſt, Chriſto hoc faciente. Cæterum per accidens poteſt eſſe illicitum, quatenus eſt contra conſcientiam manducantis, dum ſcil. quis exiſtimat cibum aliquem immundum eſſe, & veſcitur illo, fit illi ob conſcientiam immundus. Nihil ergo ciborum impurum eſt, quod ſi quid impurum eſt, id ei dumtaxat impurum eſt, qui tale putat eſſe, hoc eſt, infirmo, & ſuperſtitioſo impurum eſt: firmo, verèq; Chriſtiano, *Tit. 1.* nihil eſt impurum, ſed omnia pura puris.

¶ Per hunc ergo locum Pauli confirmatur Theologorum ſententia quod conſcientia erronea ligat, & meritò id quidem. Nam vt ait D. Th. actus iu-*Tho.* dicantur ſecundum voluntatem agentium, voluntas autem mouetur à re apprehenſa, quia nihil volitum niſi ſit prius cognitum, ideò in id voluntas tendit, quod ei vis apprehenſa repræſentat, & ſecundum hoc qualificatur, & ſpecificatur actio. Vnde qui rem accipit ſuam, putans eam eſſe alienam, furtum ſecundum virtutem cõmittit corã Deo. Et qui pro homine occidit feram, exiſtimans eſſe hominem, homicidium perpetrat. Et eadem ratione, ſi aliquis æſtimet id quod eſt veniale peccatum, eſſe mortale, ſi hac conſcientia durante illud faciat, manifeſtum eſt quod elegit peccare mortaliter, & ita actio eius, propter ſuam electionem, eſt peccatũ mortale. Et qui putat opus ſuum, venialem habere culpam, venialiter peccat: niſi in caſu, quo teneretur ſcire tale opus eſſe mortale. Nam qui fornicaretur, exiſtimans ſimplicem fornicationẽ eſſe veniale peccatum, mortaliter nihilominus peccaret. Facere itaq; contra conſcientiam, non eſt ſpeciale peccatũ, ſed reducitur ad eandem ſpeciem, ac ſi fieret ex ſcientia. Sicuti econuerſo illa quæ ſunt genere ſuo mala, per excuſantem ignorantiam in ea ſunt virtutis ſpecie, ac ſi ſciente fierent & prudente. Fuit enim acceſſus Iacob ad Lyam, cõiugalis virtus.

At verò, illa erroris conſcientia quæ poſt

poſt factum ſequitur, non ligat, vt ſi poſt occiſam feram arbitraretur quis occidiſſe hominem, actio illa præterita, non fit ideò peccatum, quia voluntas & actio non informatur ex apprehenſione ſequenti, ſed ex præcedenti, vt ait D. Th.

Tho.

Verumtamen ſi id quod crimen eſt mortale arbitraretur quis neceſſarium eſſe ad ſalutem, obligat quidem talis illius conſcientia. Vt qui exiſtimaret præceptum eſſe Dei, occidere puerum exiſtentem in gratia, quem credens poſt adultum deceſſurum in peccato, niſi durante illa conſcientia illum occideret, peccatum eſſet illi. Nam cum diuina præcepta, per conſcientiam noſtram applicentur ad vſum, id quod arbitratur eſſe præceptũ, fit nobis obligatorium: neque tamen vlla inde ſimpliciter ſequitur perplexitas, ſed ſolùm ſequitur, ex culpa noſtra. Durante inquam illo errore, ſiue occidas, ſiue nõ occidas vtroque modo peccas. Sicuti Sacerdos iniqui propoſiti pertinax, die qua ſacrum tenetur facere, vtroq; modo peccat ſiue faciat, ſiue abſtineat: poteſt tamen & debet propoſitum prauũ abijcere, vt ille qui corrupto iudicio laborat, tenetur illud mutare.

¶ Obſerua iterum, quod non ſolùm ab eo quod ſimpliciter eſt malũ, ſed quod ſpeciem habet mali abſtinendum eſt, ne ſcandalizentur puſilli Chriſtiani, licet eorum conſcientia ſit erronea, quales erant illi infirmi in fide, de quibus hìc ſermonem facit Paulus, arbitrantes legalia eſſe obſeruanda, tolerabantur tamen ab Eccleſia ante Euangelij ſufficientem diuulgationem, & ideo nõ erat comedendum cum eorum ſcandalo, de cibis in lege prohibitis. *1. T. vlt.*

De hæreticis aũt non eſt ſimilis ratio, quia nõ tolerantur ab Eccleſia, & ideò de illis tãquam de putridis membris præciſis non eſt curandum.

29. *SI enim propter cibum frater tuus contriſtatur, iam non ſecundum charitatem ambulas.*) Dignitatis ratio poſcebat vt imperitior obtẽperaret peritiori, ſed charitatis eſt Chriſtianæ vt peritior aliquoties cedat & obſecundet imperitiori, non vt aſſentiatur erranti, aut ex malitia peccanti, ſed quo vel corrigat, vel certè ne grauius offendat. Hoc eſt igitur quod his verbis prætendit Apoſtolus docere Romanos, nã ab eo quod ſecundũ legem impurum erat, abſtinere præſtabat tunc in primordijs Eccleſiæ, non quod ita diſcernat lex Moſaica, ſed quod ita dictet fraterna charitas, quæ peculiaris eſt Chriſtianorum. Etenim (*ſi ob cibum*) corporis noſtri, læditur, aut (*contriſtatur,*) id eſt, mœrore afficitur (*frater tuus,*) quem oportebat tibi æquè charum eſſe, atq; ipſe es tibi, (*iam non ſecundum charitatem ambulas,*) ac ſi dicat, videris tibi viuere, nec ſatis meminiſſe mutuæ charitatis, ſi lapſum & offenſam infirmi faſtidis ac negligis, cum re leuiſsima poſsis mederi, aut ſecretè vtendo cibis cõmunibus, vt fecit Petrus qui clam Iudæis veſcebatur communibus inter gentes: aut prorſus abſtinendo illis ad vitandũ ſcandalum: ab illis inquam cibis quæ non erant neceſſarij ad vitam. Nam præceptum hoc vitandi ſcandali, præceptũ eſt miſericordiæ, ſicut præceptum correctionis fraternæ, cui virtuti opponitur ſcandalum, vt dictum eſt. Idcirco ad vitandum ſcandalum, non tenetur quis vitã ponere, licet aliquando poſsit eſſe conſilium. Vnde Apoſtolus, ſi eſca, inquit, ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum. Non dicit eſcas, ſed carnes, vt ſine quibus vita ſuſtentari poteſt. Ratio hæc ſumitur ex parte charitatis, cuius eſt non quærere quæ ſua ſunt, nec contriſtare proximũ quauis de cauſa, ſed facere vt diligamus eum tãquam nos ipſos. *1. C. 8.*

30. *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt.*) Hæc ratio ſumitur ex parte mortis Chriſti. Et habet magnam energiam, efficacemq; perſuadendi vigorem. Quemadmodum enim olim Eſau lentis edulio vendidit primogenita ſua Iacob, ita videtur parum appreciare mortem Chriſti, qui pro cibo leuiculo, fructum eius euacuare nõ *Gen. 25.*

recuſat. Propterea inquit, (*noli cibo tuo*) quem tu indifferẽter comedis non diſcernendo cibos, (*illum perdere,*) idest, ſcandalizare (*pro quo,*) ideſt, pro cuius ſalute (*Chriſtus mortuus eſt.*) Quid igitur magni facies, homuncio, ſi paulisper & à licitis abſtineas, quo periclitãti proximo ſuccurras? Ne tibi tam vilis ſit frater, licet infirmior, licet imperitior, vt cibi tui cauſa ſinas eũ perire, pro quo ſeruãdo mortuus eſt Chriſtus. Si tanti fuit Domino, qualisqualis eſt, non eſt tibi ob rem leuis momẽti negligendus. Prætioſa enim in conſpectu Domini, eſt vita ſpiritualis fratris, pro qua non cibo tantùm, eodéq; vitæ ſuperfluo, ſeſe priuauit filius Dei, ſed & vitam ipſam, & per mortem crucis tradidit.

Obſeruandum verò in eo quod dicit (*perdere,*) ille perditur qui grauiter

Tho. ſcandalizatur, quoniam, vt ait, D. Th. ſcandalum paſsiuum, ſine peccato ſcandalizati eſſe non poteſt. Occaſionem enim ſumit ruinæ, vt forſan faciebant illi teneſli Chriſtiani, temerè alios iudicantes, vel de lege Chriſti obloquentes. Aut ſi eorum aliqui retrocedebant à fide, alij vero remorabantur ne illam ſuſciperent: atq; adeò, vt dictum eſt, mors Chriſti fruſtrabatur per illos ſuo fructu.

31. *Non ergo blaſphemetur bonum noſtrum.*) Hæc ratio ſumitur à cura boni publici, quam præ omnibus habere debemus, præſertim Chriſtiani nominis. Non enim ſatis eſt ſi rectum ſit quod facimus, quin illud etiam curandum, vt quod per ſe rectum eſt, non ſit obnoxium ſuſpitioni criminis. Vocat autem *bonum noſtrum*, fidem & religionem noſtram, qua liberati ſumus ab illis antiquorum ceremonijs. Quæ quidem fides, per abuſum talis libertatis in nimio ciborum exceſſu & luxu vituperabatur ab illis infirmis, ita vt Chriſtianiſmi religio malè audiret apud illos, legem Euangelicam dicentes nimium eſſe laxam, perditorumq; animis nimium obſequẽtem: atq; hoc quidem

Tho. redundabat in blaſphemiam legislatoris, cum ille non eo fine eripuerit nos ab illo ceremoniarum grauamine, debitoq; ciborum, vt cunctorum ingluuie onuſti, voluptatibus præ antiquis patribus indulgeremus: ſed veritate ipſa compleuit figuras & futurorum vmbras, vt nos, non iam in puerorum rudimentis, ſed in veræ pietis officijs tanquam viri & verè liberi ſponte noſtra eſſemus.

32. *Non eſt regnum Dei eſca & potus, ſed iuſtitia, & pax & gaudium, in Spiritu ſancto.*) Poterant illius temporis Chriſtiani, ſic ratiocinari aduerſus Paulum: lex nobis Euangelica hanc fecit libertatem; veſci quibuslibet abſq; diſcrimine, quid ergo nos ſancte Apoſtole, & ex lege nos noſtra abducere conaris? Reſpondet, prædicationem Euangelij eſſe de regno Dei, iuxta illud, Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnũ cœlorum. Et quemadmodum ſeculo futuro in regno Dei, non erit *eſca, neque potus*, quæ nunc mortalitatis noſtræ ſubſidia ſunt, ita doctrina Euangelica, vitaq; verè Chriſtiana, neq; ciborum delectu conſtat, neq; potus diſcrimine, quæ nihil habent momenti ad pietatem, niſi inquantum affectus hominis interior, per vſum vel abſtinentiam cibi & potus ordinatur vel deordinatur. Sed illa potius nobis meditanda ſunt quæ nobiſcum transferri queant in illam vitam cœleſtem. Quæ ſunt autem illa? Nimirum, *iuſtitia, pax, gaudium*: quæ non conſequũtur ciborum obſeruatione, *ſed Spiritu ſancto*. Diſceptare de cibis, parit iram ac diſsidium, parit dolorem, parit offenſam & querimonias; Spiritus ſanctus parit pro diſsidio pacem, pro triſtitia gaudium, pro offenſa & iniuria officium. Vt enim iuſtitiæ eſt, nemini velle nocere: ita pacis eſt, cum nemine velle contendere. Et charitatis, neminem mœrore afficere.

Mat. 3. & 11. Luc. 11. & 19.

Obſerua, quàm ſapienter componit ea vnde regnum pendet cœlorum. Initium enim eſt iuſtificatio per Spiritum ſanctũ, quæ hic per *iuſtitiam* ſignificatur. Progreſſus vero eſt cultura eiuſdem *iuſtitiæ*, cuius effectus eſt *pax*, iuxta illud, Opus iuſtitiæ pax. Nam tunc pax vera eſt, cum ius ſuum vnusquiſq; tran- Iſai. 32.

quillè

quillè poſsidet. Ad *pacem* autem pro-
priè ſequitur *gaudium*, & refertur ad
modum quo ſunt iuſtitiæ opera facien-
Eth.1. da. Nam, iuxta Philoſophum, non eſt
iuſtus qui non gaudet iuſta operatione.
Pſ.1. Ac proinde Dauid præcipiens ait, Ser-
uite Domino in lætitia. Hæc tamen
tria cum pertineāt ad regnum cœlo-
rum, non terrena ſed cœleſtia debent
eſſe, quorum autor ſit *Spiritus ſanctus.*
Nam eſt altera *naturalis iuſtitia* ope-
rum, alteraq; iniquorum *carnalis pax*,
quā Chriſtus Dominus non venit mit-
tere in terram, ſed contrarium bellum:
alterumq; eorum *ſenſuale gaudium*. In
regno autem Dei quod eſt Eccleſia
Gal.5. Chriſtiana, *Spiritus ſanctus* per quem
charitas effunditur, *autor eſt cœleſtis iu-
ſtitiæ, veræq́; pacis*, ac *gaudij ſpiritualis*,
quod eſt de bonis Dei, & proximorum.
Habenturque in hac vita imperfectè tria
hæc, in patria verò conſummatè habe-
buntur, nimirum, *iuſtitia* ſine peccato,
pax abſq; omni perturbatione timoris,
Iſai.6. *gaudium* ſine mœrore & dolore. Ho-
32.35. rum verò deſtructio, ſcandalum eſt, quo
& *iuſtitia* corrumpitur in non ſoluen-
do proximis charitatis debita, & *pax*
turbatur per contentiones & diſsidia,
& deniq; *gaudium* in triſtitiam verti-
tur,

Obſeruandum prætere a, quod ſpiritua-
lia quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, non
ſunt dimittenda ob tollendum Scan-
dalum: nam furari, vel occidere, imò nec
minimum mendacium iocoſum dicere,
ad vitandum vel maximum ſcandalum,
nemini vnquam licet. Alia verò ſpiri-
tualia quæ ſunt citra neceſsitatem ſalu-
tis, vel differre ad tempus licet, vel diſsi-
mulare, vel occultare, ad vitandum ſcan-
dalum puſillorum, minime tamen ad
vitandum ſcandalum Phariſæorum, cu-
ius farinæ ſunt hæretici omnes, vt ſu-
prà dictum eſt.

33. *Qui enim in hoc ſeruit Chriſto, pla-
cet Deo, et probatus eſt hominibus.*) Quo-
niam prædicta iuſtitia, & pax, & gau-
dium, ſpiritualia ſunt, ideò quiſquis in
illis *Chriſto ſeruit*, is ſimul & *Deo placet*,
ea ſectans quæ ſunt illi gratiſsima: &
hominibus probatur, dum obſequio vi-
tat omnem mali ſuſpitionem, aut occa-
ſionem. Carni ſeruiunt, qui de cibis &
huiuſmodi inter ſe digladiantur: ſpiri-
tu, *Chriſto* ſeruiunt qui non ſua tuen-
tur, ſed alijs per charitatem obſecun-
dant, & omnibus fiunt omnia, quo
omnes lucrifaciant. Et omnibus ſeſe
attemperant, vt omnibus placeant. Dif-
ficile quidem eſt placere omnibus, ſed
qui prudenter ſe attemperauerit, place-
bit hominibus ratione vtentibus, quos
ſolos homines voco, cæteros vero, non
niſi bruta animalia, iuxta Philoſophos.
Obſerua, quod licet idē ſit *ſeruire Chri-
ſto & Deo*, & *placere Deo & Chriſto*:
poſuit tamen hanc verborum differen-
tiam, vt doceat quod Chriſtus Dñs *Pſ.2.*
conſtitutus eſt à Deo Rex huius regni,
& quod Deus eſt autor eiuſdem regni.
Iuxta illud, Ego autem conſtitutus ſum
rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum *Col.1.*
eius. Et illud, tranſtulit nos in regnum
filij dilectionis ſuæ. Quod tandem re-
gnum traditurus ipſe eſt Deo & patri.
Seruire autem debent ſubditi regi ſuo,
& nos *Chriſto* Regi noſtro: in cuius ob-
ſequio illas virtutes debemus colere,
nimirum, iuſtitiæ, & pacis, & huiuſmodi,
quas ipſe tanto precio comparauit:
placereq; debemus illi qui regnum in-
ſtituit, quiq; offenſus, iratuſq; nobis
erat.

34. *Itaque quæ pacis ſunt ſectemur, &
quæ ædificationis ſunt, inuicem cuſtodia-
mus.*) Cum igitur rex noſter ſit ſpiri-
tualis, eiusq; lex ſpiritualis, nos ſerui
illius ſpirituales eſſe tenemur, ad quos
pertinet vt omiſsis diſceptationibus
quæ ad carnem pertinent, ea ſectemur
quæ ad *pacem* faciunt, quæ *concordiam*
alūt, quæ *mutuum amorem* nutriūt, de-
nique quibus meliores reddamur, mu-
tuoq; iuuemur officio, non quibus of-
fendatur quiſpiā. Hæc ſpiritualia ſunt,
& eorum cultura propriè eſt Chriſtia-
norum.

¶ Obſeruandum eſt hic cum Origine,
in verbo, *ſectemur*, quod non dixerit A- *Orig.*
poſtolus, teneamus, aut ſequamur, ſed
ſectemur, ſicut & Dauid, non dicit ſim-
pliciter, inquire pacem & ſequere, ſed *Pſal.*
perſe-

Reſp. ponſio eſt, quod hoc nimirùm fecit ad commendandam virtutem abſtinentiæ, quæ à carnibus & vino, tùm congruentiſsima eſt, tùm etiam vtiliſsima, & inter ſanctos celebratiſsima.

37. *TV fidem habes, penes temetipſum habe coram Deo.)* Diluit obiectionem perfectorũ in fide, qui poterant in hũc modum opponere Paulo, per fidem Euangelicam licet iam veſci quibuslibet, eamq; proinde neceſſe eſt Chriſtianis proteſtari ſuis moribus: nam ideò nullum abijcimus cibum, ne iudaizare videamur: cur ergo infirmus metuit, vbi nihil eſt opus? Perfectum in fide non reprehendit ſua conſcientia, quid illi cum aliena infirmitate? An forſan vis, ò Apoſtole ſancte, vt perfectus relicta ſua conſcientia, in infirmi ſententiam pedibus eat, & incipiat deligere ciborũ genera? Abſit, non hoc poſtulat diuinus Paulus, vt cuiusquam infirmitatē immitemur. ſed vt pro tempore obſecũdemus, hac ſpe, vt & infirmus proficiat. Fidem autem perfecti, probat Apoſtolus dum ait, *(tu fidem habes:)* qua ſcil. credis te poſſe ex omnibus veſci, laudo quidē te in hac fide, verùm *(penes temetipſum habe,)* id eſt, cela, & tege illam, ſi quando conſpexeris eius occaſionē periclitari fratrem. Habe inquam illam, *(coram Deo)* qui videt in abſcōdito, & ſatis tibi ſit interim, ſi hanc tuæ animi fortitudinem nouit, & approbat Deus, pro qua recipies ab ipſo mercedem magnam: ea tamen tantiſper diſsimulanda eſt, dum vitas offendiculum proximi, tuam firmitatem ad illius infirmitatem inclinans, atque accommodans.

¶ SED contra hæc videtur facere, quod ſuperiùs docuit Paulus, non ſatis eſſe corde credere ad iuſtitiam, niſi ore, & pari ratione opere, confeſsio fiat ad ſalutem. Ad hoc, dupliciter reſpondetur, primò. quòd non ſemper neceſſaria eſt

Tho. confeſsio reipſa & opere: qui enim credit licitum eſſe & ſanctum vxorem ducere, non protinus tenetur illam ducere. Deinde, vbi veritas eſt, vel in ſacra ſcriptura expreſſa, vel per publicam Eccleſiæ authoritatem deffinita, tũc neceſſaria eſt vocalis confeſsio, quandocũq; ſe offerat ratio confitendi: dum verò non eſt plana in ſacra Scriptura, neque per Eccleſiam inde deducta, nemo conſtringitur illam confiteri, licet eam ſcienti negare non liceat. Haudquaquam enim liceret vt firmiores in fide, ad tollendum puſillorum ſcandalum, de illa falſitate cum illis conſentirent, quod ſcil, legalia illa vim etiam tũc obligandi. poſt mortem Chriſti, adhuc retinerent.

38. *Beatus qui non iudicat ſemetipſum in eo quod probat.)* Quidam Græcus interpretatur hæc verba in hunc modum, *beatus,* inquit, *qui habet teſtificantem ſibi conſcientiam,* non in eo ſolùm quod ob fratris ſalutem cibis abſtinet in lege vetitis, ſed ab omni re etiam quam, poſt diligentem explorationem, *bonam eſſe nouerit*: ita vt in eo quod ſecundum fidei robur *probat* ac deffendit apud alios, non ſentiat intus reclamantem conſcientiam, tacitèq; in ſinu pectoris damnantem quod palam approbat. *Exempli gratia,* qui tanquam bonum approbat, conſcientia dictante, nõ manducare hoc aut illud, iuſtitiam ſeruabit, ſi abſtineat vt dictat ratio, quam perderet ſi contra id quod probat ageret manducando. Et econtrà, ſi alter qui ciborum delectũ negligere ſe prædicat, cæteroſq; contemnit ac reprehēdit quod ceu ſuperſtitioſi à cibis abſtineant, ipſe tamen ſecum intus hæſitet, & oratione firmus eſt, potiùs quàm fide, huiuſmodi vera caret iuſtitia, & eius firmitas, voluptatis ac luxus prætextus meritò dicenda eſt. *Photius.*

¶ Sententia hæc, iuxta Origen. & Chryſoſt. non habet veritatem vniuerſalem, ſed de his tantùm profertur qui quod faciũt, recta fide & lege faciunt. Nam vbi quod quis facit malum eſt, & illicitum, multo eſt peius ſi ſecurus id faciat, præſertim quando ignorantia non omnino excuſat, longeq; eſſet illi ſalubrius & commodius ſi conſcientiæ ſtimulo agitaretur. Siquidē hac via poſſet induci vt peritioribus conſultis, lu- *Orig. Chry.*

men

men reciperet quo reuocaretur in viam.

39. *Qui autem diſcernit, ſi manducauerit, damnatus eſt, quia non ex fide.)* Hoc eſt, qui tãquam illicitum quidpiã diſcernit ac d judicat, ſi hac ſtante cõſciencia, (*manducauerit*) is, iudice conſcientia (*damnatus eſt*) mandueando cõtra conſcientiam quod iudicabat illicitum & immũdum, & hoc eſt quod dicit, (*quia non ex fide,*) ideſt, ob robur fidei, animiq; conſtantiã ſibi bene cõſcij, facit, quod facit, ſed conſcientia refragante, quam ex ſua fide intus habebat.

40. *Omne autem quod non eſt ex fide, peccatum eſt.)* Hæc eſt maior ſyllogiſmi, qua manet integra Pauli ratiocinatio, *Omne*, inquit, *opus quod non eſt ex fide peccatum eſt, opus autem quod quis facit contra dictamen conſcientiæ, non eſt ex fide, ergo eſt peccatum*, atque idcirco qui ſic operatur ſeipſum condemnat. Vnde fit, *vt non ſit beatus cum ſeipſum iudicet in eo quod probat*. Nam Chriſtiana beatitudo, non in hoc ſolo conſũmatur, vt id quod probas non ſit per legẽ natura ſua condemnatum, ſed in hoc quod nec lex te condemnet ex parte obiecti, nec tua propria conſcientia cõtra quam agis. Vnde alibi Paulus, Gloria, inquit, noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. 2.C.1.

¶Pro maiori autem huius ſententiæ explicatione, obſerua, quod fieri aliquid ex fide bifariam cõtingit, vel in genere, hoc eſt, iuxta veritatem & ſententiam fidei, & hoc non ſufficit ad rectitudinem actionis humanæ, ſed requiritur præterea, vt in particulari fiat ex fide aplicata ad opus per conſcientiam: nam veritates fidei & leges per conſciẽtiam applicantur ad opus. Ille ergo qui operatur id quod fides præcipit, contrariũ tamen dictante conſcĩetia, ideò peccat, quia non facit ex fide in particulari. Ac proinde Apoſtolus cõſtituit maiorẽ præmiſſam ad conficiẽdum totum ſyllogiſmum, inquiens, quidquid non proficiſcitur à fide, ideſt, conſcientia, quam ex ſua quiſq; fide ſibi format, cũ vitio coniũctum eſt, etiam ſi res in ſe mali habeat nihil. Siquidem cum rem per ſe non malam, hæſitans mala ſit necne, faciat tamen, declarat ſeſe & rem per ſe malam facturum, ſi inciderit. Etenim vera pietas refugit ab omnibus quæ mali vel ſpeciem habent.

¶Ne tamen hinc inteligas omnes infidelium actiones in ſpeciem ſtudioſas, quas moraliter bonas vocãt, ſtatim eſſe peccata: neque infidelem in eo quod naturali affectione eleemoſinam indigenti largitur, peccare: niſi fortè id referat ad falſam religionem, videlicet, ad honorem ſuorum deorum, tũc enim peccat. Et ſic inteligi etiam poteſt hic locus Pauli, *Omne quod non eſt ex fide*, ideſt, quod eſt contra fidem, quæ, vt dictum eſt, per cõſe entiam aplicatur ad opus. Et D. Aug. qui ait omnem infidelium vitam eſſe peccatum. Et beatus Paulus quoq; dicens, infidelibus nihil eſſe mũdum. Veniũt ſic inteligendi, nempè eorum quæ agũt ex ſua infidelitate. Secus autem ſi opera genere ſuo bona faciãt ſolo fine à natura eis præſcripto, ſunt planè moraliter bona, licet non ſint meritoria vitæ æternæ, cum non ſint informata diuina gratia. Et hoc eſt quod dicitur in Gloſſ. nihil bonũ ſine ſummo bono, ideſt, nullum bonum meritorium eſt, ſine gratia Dei. Et vbi deeſt agnitio vitæ æternæ, & incõmutabilis veritatis, quæ ſcil. eſt per fidem, falſa virtus eſt in optimis moribus, in quantum ſcilic. non refertur ad fidem beatitudinis æternæ. Vnde, nec eſt verè iuſtus, niſi ille qui ex fide viuit. Nec vera iuſtitia, niſi vbi eſt regnum Dei, nec vera virtus, niſi vbi eſt vera ſapientia & charitas Dei. Et idcirco, vt inquit Aug. nec apud Romanos, nec apud Græcos Gentiles, verè erant Sapientes, nec verè ſtudioſi.

in lib. ſen tẽt. proſp. *Tit. 1.* *Gloſſ.* *Aug. lib. 4. contr. Iul. c. 3.* *Aug lib. 4. cõ. Iul.*

ARGVMENTVM CAPITIS DECIMI QVINTI.

QVOD

QVOD prius propoſuerat, repetit nunc dicẽs, vt inuicẽ ſupportemus in humili charitate, & quod exemplo Chriſti, non tam noſtris,quàm fratrum commodis ſtudeamus, quem, non Iudæorum tantùm gratia, ſed gẽtium etiam veniſſe, ſcripturis cõfirmat. Excuſat ſe interim quod liberiùs ad eos ſcribat,ob confidentiam Chriſti in ſe loquentis, quo ab Hieruſalem, vſque ad illirycum, vbi non erat agnitus, prædicato, pollicetur ad eos ſe venturum: obiter in hoc cap. & pro eis orans,& pro ſe orari poſtulans.

☞ CAPVT. XV.

DEBEmus autem nos firmiores, imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere. Vnuſquiſq; &c.

☞ EXPLANATIO.

1. *DEBEMVS autem nos firmiores, infirmitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere.*) Firmiores in fide, & omnes viri Sapientes qui monitore non indigent, non ſolùm tenentur ſcandala vitare infirmorum,ſed etiam eorum imbecillitatem ſuſtinere, ne forte dum alterius leuiculum errorem ſuperſtitionis, aut cuiuſuis criminis, inſectantur, ipſi in grauiorem culpam incidant arrogantiæ. Nam quemadmodum in materiali ædificio,eliguntur aliqua firmiora ad ſuſtinendum totum ædificij pondus, quod ex fragiliori materia ſuperponitur, vt ſunt fundamenta & colũnæ: ita in ſpirituali ædificio eliguntur aliqui firmiores & perfecti, quales ſunt ſanctorum proceres qui columnarum inſtar, pondus ſuſtineant aliorum. Turpe quidem eſſet viris natu grandioribus, aut corporis robore validioribus, protrudere, ac proculcare natu minores, aut viribus impares, quaſi in hoc robur acceperint vt quibus poſſent nocerent, & non potius vt iuuent inualidam ætatem,aut ob ſenium viribus defectam. Turpe quoq; eſſet diuitibus huius ſeculi,pauperes deglutire: quoniam non in hoc datæ ſunt illis diuitiæ, ſed vt eorum inopiam ſubleuarent. Pari ergo ratione turpiſsimum eſt viris ſapientibus contemnere ignorantes: non enim eſt hoc ſapientium,ſed quo magis valeant animi iudicio, doctrinaq;, eo magis opportet ſeipſos imbecillitati alienæ attemperare potius, quàm, dum ſua ipſorum ſcientia inſoleſcunt, ſibi ipſis placeant. Quod quidem hoc loco ab Apoſtolo maximè prohibetur dum ait, (*& non nobis placere*) quod vtiq; fit, dum quærimus quæ ſunt vtilia nobis, non fratribus, quorum imbecillitatem exaſperare malumus, quàm vel ferre,vel mederi.

2. *Vnuſquiſq; veſtrum proximo ſuo placeat in bonum.*) Explicat prædictam exhortationem, præſcribitq; modum quo debemus alijs placere, ſimul docens ſapientes virtutem humilitatis, quæ veræ ſapiẽtiæ & cuſtos eſt,& via. (*Vnuſquiſq;, inquit, veſtrum*) ſcil. qui fortes eſtis & Sapientes,non placeat ſibi ſua dote,velut eam ad faſtum acceperit, ſed hoc potius agat vt, ſui contemptor, (*proximo ſuo placeat,*)morem illi gerens. Haud quidem obſequens ad quiduis, ſed (*in bonum.*) Ideſt, in hoc vt illi proſit, ac meliorem reddat.

3. *AD ædificationem.*) Ecce bonum in quo placere debet vnuſquiſq; proximo ſuo, nimirum, (*ædificatio*) hoc eſt, vt ædificetur in templum ſanctum in Domino, cuius fundamentum eſt ipſe Domi-

Eph. 2. Dominus Ieſus, cuius habitator eſt Spi- 1. P. 3. ritus ſanctus, cuius ſummus artifex eſt 1. C. 3. ipſe cœleſtis pater: iuſtè verò omnes ſunt veluti manuoperarij qui in hac peregrinatione, virtutum cultura & exercitio, à ſeipſis tanquam lapides viui excuduntur, quadrantur poliuntur, perornantur, & parantur vt in templo illo cœleſtis gloriæ Dei, vnuſquiſq; pro ſua dignitate, in ea parte ædificij gloriæ collocetur, quam illi gratia Chriſti cõceſſerit. In cuius mirabilem figuram le- 3. R. 6. gitur in libris Regum, quod cum Salomonis templũ ædificaretur, nec malleus audiebatur, nec ſecuris, neq; vllum aliud ferramentum, ſed foris omnia cudebantur & dolabantur: nimirũ, quod in cœleſti patria non erit amplius neq; luctus, neq; clamor, ſed omnia hîc ſunt peragenda & præparanda. Quapropter vnuſquiſq; modo conſulat rebus ſuis, intentiſq; oculis, per momẽtaneos iſtos labores, & dolores, & agones huius vitæ, videat qualis eſſe velit in illa pacis pulchritudine, & requie opulẽta & ſempiterna.

4. *Etenim Chriſtus non ſibi placuit.*) Placere in hoc loco ſumitur pro eo quod eſt vni ſuo commodo ſtudere, ſeruire, ſibiq; iuxta carnis naturam proſpicere. Docet ergo Paulus, quod hanc ſanandi erroris alieni viam, Chriſtus ipſe nobis apperuit, qui cum fons eſſet omnium virtutum, non tamen his vſus eſt ad gloriam ſuam in contemptum aliorum, neq; quæ ſibi ſecundum carnis fragilitatem erant placita, quæſiuit veluti ſibi placens: ſed quo ſubueniret errantibus & infirmis, non ſolùm neglexit ſuam quam promerebatur gloriam, verum etiam probris affici ſuſtinuit, quemadmodum & Dauid eius afflatus ſpiritu, futurum prædixit quo- Pſ. 60. dam Pſalmo, inquiens.

5. *Improperia improperantium tibi, ceciderunt ſuper me.*) Hoc eſt, impiorum contumelias in te, meas ducebam, ijs vtebar non ſecus ac meis. Sunt autem verba filij ad patrem ex quibus probat Paulus Chriſtum non ſua ſpectaſſe cõmoda, qui paternas iniurias ſuas duxerit. Vel aliter, (*improperia*) ideſt, blaſphemiæ, & opprobria, ſuplicia inſuper & tormenta (*improperantium tibi*) ideſt, eorum qui tibi pater improperabant cum me afficerent ignominia crucis (*ceciderunt ſuper me*) cum meis ipſe ſenſibus illa pertulerim: ſecundum quos ſenſus, & ſi Chriſto Domino diſplicebant, ſed ſuſtinuit tamen illa vt ſingulari fide & conſtantia, patris voluntatem faceret, opus redemptionis conſumando. Nam licet iuxta carnis fragilitatem in qua nocte tradebatur, ſanguineo ſudore factus in agonia, orauerit, vt ſi poſsibile eſſet tranſiret ab eo calix paſsionis ſuæ, tamen iuxta ſpiritum libenter amplexatus eſt illum, inquiens, non mea voluntas, ſed tua fiat. Erat Luc. 22. enim voluntas patris, cibus & gloria Chriſti filij ſui, vt ipſemet fatetur: Quapropter Chriſtiani qui tanti patris gaudent honore, non alio quàm iſto debent vti cibo, eſt enim verus animorũ cibus, imò & Angelorum, facere voluntatem cœleſtis patris: nec aliam quàm ipſius gloriam quærere. Tunc enim verè glorioſi erunt homines, ſi ſeipſis contemptis, tantum gloriam Dei quærunt. Ita Chriſtus Dominus & magiſter noſter, & verbo & exemplo facere nos docuit, ac proinde eius vilipenſionem præ oculis ſemper habere debemus. Vnde dicit Paulus.

6. *Quæcunq; enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt: vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum, ſpem habeamus.*) Et ſi locus allegatus de Chriſto ſonare videtur, nolite tamen arbitrari propterea nihil ad nos pertinere, *quæcunq; enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt.* Sed obſeruandum, quod ea quæ habentur in ſacris litteris, non tantum vt ſciamus, ſed etiam vt immitemur, maximè quæ ad Chriſtum pertinent, ſcripta ſunt, vt ſcil. ex illius exemplo diſcamus qua lenitate ſit proximus ſuſtinendus ac fouendus donec in Chriſto grandeſcat, & puer atq; imbecillis eſſe deſinat. Sunt autem inter ſcripturas ſacras genera quàm plura. Quædam enim ſcripta ſunt propter

propter cognitionem fidei,vt ſcil. vnus Deus,eiuſq; virtus & potentia, & ipſius voluntas hominibus inoteſceret:vt audi
Deu.6. Iſrael, Dominus Deus tuus, Deus vnus
Gen.1. eſt. In principio creauit Deus cœlum & terram,cum hiſtoria tota conditi orbis, rerumq; diſpoſitionis, nempe, quod reliqua ex nihilo, homo de limo terræ, mulier de viri coſta fuerint effecta. Alia verò ſunt ſcripta, & ea quidem quamplurima ad myſteria Chriſti pertinentia, quæ recenſere non eſt opus. Alia autem ad morum inſtitutionem pertinent, qualia ſunt præcepta & conſilia, & reliqua per quæ informantur homines. Vt non obſtruas os boui tri-
Deu 25. turanti. Qua ſententia, iuxta Pauli ex-
1.C.9. poſitionem, inſtruimur, vt qui ſpiritualia ſeminant,poſſunt & temporalia metere. Ad hæc, ſunt exempla magnorum virorum qui ſingulari virtute præditi, ſplenduerunt in mundo ſicut ſtellæ in firmamento. Vt Abraham,fide: Ioſeph, caſtitate: Moyſes, manſuetudine: Iudith, animo & fortitudine: Dauid, tolerantia: Iob, & alij quamplures quorum princeps fuit Chriſtus Dominus, qui,
Heb.12. iuxta Paulum,propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem. Igitur à Chriſto Domino opportet exemplum petere,proximi ad veram pietatem pelliciendi, atq; id quidem nobis in ſacris litteris velut in tabula depictum, neceſſe eſt iugiter habere præ oculis. Vt quemadmodum ille non vulgari huius mundi via, ſed tolerantia ſua redemit ac ſeruauit nos: & per humilitatem prouectus eſt ad veram gloriam: ita & nos *(per patientiam)* ideſt, per lenitatem, qua toleramus infirmiores *(& per conſolationem)* ideſt, per ſubſidia *(ſcripturarum)* ideſt, ſacrorum voluminum nos conſolantium, & ad exemplar Chriſti prouocantium, *(ſpem habeamus)* ideſt, confidamus & nos aſſecuturos præmium,quod manet eos,qui illius veſtigijs ingrediuntur.

7. *DEVS autem patientiæ & ſolatij, det vobis idipſum ſapere in alterutrum, ſecundum Ieſum Chriſtum, vt vnanimes, vno ore honorificetis Deum & Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti.)* Quoniam videbatur nimis arduum, vt purus homo poſſit exemplum Chriſti immitari,iuxta illud, Quid eſt homo vt ſequi poſſit *Eccl.2.*
regem factorem ſuum: ideò adhibet orationis ſuffragium dicens, *(Deus autem patientiæ)* ſcil, autor, quiq; nos per ſacras litteras ad tolerantiam adhortatur, *(& ſolatij)* ſcil, largitor. nã ab ipſo *Iac.1.*
eſt omne datum optimum,& omne donum perfectum, verumq; ſpiritus noſtri ſolatium, & cũctarum operationum auxilium, ſine quo nihil omnino poſſumus omnes, *(det vobis,)* ideſt,largiri dignetur, *(idipſum ſapere in alterutrum,)* ideſt, vnum idemq; ſentire mutuò inter vos,neq; de ciborum,dierumq; obſeruatione digladiari, ſed vnus idemq; ſit omnium veſtrum animus, ſumnioq; conſenſu iungamini, non quidem ſecũdum conſenſum in peccatum, ſed *(ſecundum Ieſum Chriſtum,)* ideſt, ſecundum præceptum, & exemplum Ieſu Chriſti, qui nihil nobis æque commendauit,ac mutuum amorem, mutuamq; concordiam. *(vt vnanimes)* ideſt, vna eademq; fide, quæ concordes facit animos, *(vno ore)* eandem fidei confeſsionem exprimente, *(honorificetis Deum)* omnium creatorem, qui etiam eſt *Pater Domini noſtri IESV Chriſti*, per quem nos ſibi in filios adoptauit. Hoc fuit munus & officium Ieſu Chriſti, & ad hoc miſſus eſt in mundum, nimirùm, vt gloriam patris illuſtraret, atque hoc ipſum docuit nos facere, dicens, Sic luceat lux veſtra coram omnibus hominibus, vt videãt opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrũ qui in cœlis eſt. Quod quidem & in gloriã filij redundat, dum quod ille docuit,& exhibuit, vnanimiter exhibemus erga patrem.

8. *Propter quod ſuſcipite inuicem, ſicut Chriſtus ſuſcepit vos, in honorem Dei.)* Hæc nouiſsima verba ſcilic. *in honorem Dei*, referri poſſunt ad *ſuſcipite*, vt ſit ſenſus, *Suſcipite inuicem ad honorem & gloriam Dei*. Vel referũtur ad *ſuſcepit*, ſicut & Chriſtus ſuſcepit vos ad honorem & gloriam Dei. Eſt igitur ſenſus, *(propter quod,)*ideſt,quoniã ea quæ ſcripta ſunt, ad noſtrã doctrinã ordinantur,

videlicet, exempla Christi & Sanctorũ, ne ſit vllum diſsidium inter Gentes ab idolis vocatas ad Chriſtum, & Iudæos, ab vmbra pietatis, ad veram religionem aſcitos: quin potius ò Chriſtiani (*ſuſcipite inuicem*,) ideſt, mutuis obſequijs inuicem ſuſcipite, ac porrectis viciſsim dextris promouete, (*ſicut & Chriſtus ſuſcepit vos*,) nec vobis imputauit priſtinæ vitæ commiſſa, ſed fraterna charitate complexus eſt. (*in honorem Dei*;) Ioa. 8. ideſt, ad illuſtrandam inter homines gloriam Dei, ad quam omnia ipſe referebat: vt & per vos, inuicem præſtantes quod ille præſtitit in omnes, illuſtretur gloria eius.

9. *DICO enim Chriſtum IESVM, miniſtrum fuiſſe circuncſiionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promiſſiones Patrum: Gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum.*) Exponens modũ quo Chriſtus ſuſceperit omnes, aufert ſimul diſſenſiones quæ inter Iudæos & Gentes oriri poterant, nequid alteri aduerſus alteros inſoleſcerent, dum Iudæi ſe ſolos à Chriſto ſuſceptos contendiſſent, vt quibus promiſſus ipſe fuerat, & de quorum genere carnem aſſumpſerit. Gentes verò contrà, ſui potius cauſa aduenisse, vt in quos, repulſis ob ſuam cæcitatem Iudæis, profuſior fuerit eius miſericordia. Componit ergo Paulus hanc litem, & oſtendit vtrũq; populum à Deo priuilegijs affectũ, & à Chriſto ſuſceptũ. Nam ſecundum duas virtutes Dei, veritatem ſcil, & miſericordiam, Iudæos ſuſcepit tãquam veritatis miniſter, vt quibus promiſsiones factas impleuerit: Gentes verò tãquam largitor miſericordiæ, qua quidem illas affecit. Ait igitur, (*dico*) verbum eſt doctoris exponentis ſententiam ſuam & mentem. Ac ſi diceret, dictũ eſt quod Chriſtus vos ſuſcepit, qui eſtis congregati in vnitate fidei, ex Iudæis, & Gentibus: de modo autem quo vos ſuſceſuſcepit, (*dico Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circuncifionis*,) ideſt, Iudæorũ, quibus Euangelium miniſtrauit. Et licet Heb. 12. ipſe ſit autor fidei quantum ad omnes, tamen in propria perſona non exhibuit ſeipſum niſi Iudæis, quibus in his quæ ad illã pertinẽt, inſeruiuit. Propterea, Mat. 15 inquit ipſe, non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierũt domus Iſrael. Et Iſai. Iſai. 63. quoque dicit, non audietur vox eius foras. Et hoc (*propter veritatem Dei, ad confirmandas*, ſiue adimplendas *promiſſiones patrum*,) hoc eſt, vt veracem Deũ Patrem declararet, qui præſtaret ea poſteris, quæ maioribus fuerat pollicitus: vt ſcil, ſibi gratulentur quibus contigerit, eorum veritatem accipere quæ lex Moyſi typis, & vmbris præfigurarit. (*Gentes verò*) quibus nihil erat promiſſum, vt præter meritum, ac præter omnem ſpem, ſola Dei miſericordia ad cõmunem ſalutem admiſsi (*ſuper miſericordia*) ſubaudi, (*dico*,) & debent (*honorare Deum*) eius bonitatem vbiq; prædicando. Gaudeant igitur Iudæi, quod diũ expectata, tandem aſſecuti ſunt. Gaudeant etiam Gentiles, quod non expectatis ſimul potiuntur per Ieſum Chriſtum.

Obſerua in eo quod ait, *miniſtrũ fuiſſe*. Licet enim Ieſus Chriſtus Dei filius, Angelorũ eſſet Dñs, miniſter ſe vocari voluit, inquiens, Non veni miniſtrari, ſed miniſtrare, vt in hoc etiam nomine ſuam cordis eximiam humilitatem, & erga homines ardentiſsimam charitatẽ declararet. Venit in mũdum factus miniſter hominum, eos docendo, redimẽdo, ſacramentis expiando, legibus inſtituendo, documentis & exemplis inſtruendo, monitis inſtigando, cõminationibus & pollicitationibus reuocando in viam ſalutis æternæ tãquam bonus & egregius paſtor. Diſce à Chriſto, ò Chriſtiane, quia mitis eſt & humilis corde, diſce ab eo, quoniam charitate perpetua dilexit te. Diſce ſeruare fidem in bene promiſsis, ſicut ille ſeruauit præſtans cũcta quæ amicis fuerat pollicitus. Amplexare miſericordiam & veritatem Chriſti, quæ in eius aduentu Pſal. obuiauerunt ſibi: nam quod ſola eius miſericordia magnifice promiſerat, ſola etiam ipſius veritate, firmiter adimpleuit, quo promiſsiones patribus factas firmas eſſe oſtenderet.

¶ Obſeruandum præterea, quod tàm in

in vocatione Gentium, quàm Iudæorũ, inueniũtur ſimul miſericordia & veri-
Pſal. tas, iuxta illud. Vniuerſæ viæ Domini, miſericordia & veritas. Sed aliquis modus veritatis conſideratur in vocatione Iudæorũ, qui non conſideratur in vocatione gentium, quibus promiſsiones non ſunt factæ. Iudæis quidem, ex Dei miſericordia factæ ſunt promiſsiones, quæ ex veritate & iuſtitia ſunt impletæ. Nam licet nulli creaturæ, propriè obligetur Deus, fit tamen, modo noſtro concipiendi, illj cui promittit obligatus. Gentibus autem non fuit promiſſa, licet fuerit prænuntiata eorum vocatio: atque adeò in eorum vocatione inuenitur veritas impletæ prænuntiationis: & inuenitur miſericordia, quia abſque promiſsione aſciti ſunt in filios Abrahæ, receptiq; in Chriſti familiam. Quod quidem & magnificentiam Dei, atq; adeò eius gloriam & honorem maximè commendat.

30. *Sicut ſcriptum eſt, propterea confitebor tibi in gentibus Domine, & nomini tuo*
Pſal. *cantabo.)* Quatuor oraculis confirmat quod dixerat de conuerſione Gentiũ, ne Iudæis ipſa gentium vocatio ad fidem Chriſti, res noua videretur. Nam id ita fore, iam olim deſtinatum erat conſilio diuino, vaticinijsq; prophetarũ prænũtiatum, licet eis non fuerit ſicut Iudæis facta promiſsio. In quo Iudæorum inſolentia reprimitur, ne ſibi ipſis tantùm adueniſſe Chriſtũ iactitarent. Gentes verò ad maiorem DEI allicit amorem, pro antiquiſsimo propoſito quod ipſe habuit de earum ſalute, ore prophetarũ multo antè decantato, nũc verò iam impleto. Ac demum gentium & Iudæorum animos conciliat, dum oſtendit amborum vnum eſſe Deum, vnamq; eorũdem ipſum geſsiſſe curam. In hoc itaq; primo oraculo quod adfert, incipit à gratiarum actione Chriſti, in cuius perſona ſcripta ſunt verba hæc. Sic enim loquitur apud Pſalmographum ipſe Dominus, (*propterea con-*
Pſ.17. *fitebor tibi in gentibus Domine,)* confeſ-
2.R.22 ſio hæc eſt gratiarum actionis, quas Chriſtus agit patri pro conuerſione Gentium per ipſum facta. Ac ſi ita diceret, celebrabo gloriam tuã inter Gẽtes, (*& nomini tuo cantabo,)* ideſt, laudis hymnum canam nomini tuo, quod per me eſt hominibus manifeſtatum. *Ioa.17.*
Vel, *confitebor*, ideſt, cõfiteri faciam Gẽtes. Sicuti alibi, ait Paulus, Spiritum *Ro.8.*
ſanctum clamare, Abba Pater, eo quod facit nos clamare.

11. *ET iterum dicit, Lætamini Gentes cum plebe eius.)* Hæc authoritas eſt *Iſa.35.*
Iſaiæ. Et ſecũdum noſtram litteram, ſic habet, Lætamini cum Hieruſalem, & exultate in ea omnes qui diligitis eam. Iuxta aliam verò translationem, habetur in Deut. vbi dicitur, *Laudate gen-* *Deu.32.*
tes populum eius. Cuius loco (ad ſenſum forſan,) ait Paulus, *Lætamini gentes cum plebe eius,* ideſt, vnà cum populo eius exultationem ſumite, ſcilic, cum Iudæis qui olim erant plebs eius. Continet igitur hæc ſententia, adunationem Gẽtium & Iudæorum: & refertur ad illud, Fiet vnum ouile, & vnus paſtor. *Ioa.10.*

12. *ET iterum, Laudate omnes Gentes Dominum, & magnificate eum omnes populi.)* Hæc tertia authoritas, continet *Pſ.116.*
deuotionem Gentium ad Deũ, quem perpetuò laudare tenentur. Propterea inquit, (*& iterum*) ſcriptum eſt in pſalmo, (*Laudate omnes gentes Dominum*) eius bonitatẽ confitentes, pro exhibita vobis miſericordia, (*& omnes populi,*) ſcil, nationum (*magnificate eum,*) ideſt, magnum credite, & oſtendite quod ſua magnitudine omnem laudem excedat, quoniam maior eſt omni laude. Vnde ipſe per Prophetam, Ab ortu, inquit, Solis, vſq; ad occaſum, magnum eſt no- *Eccl.43.*
men meum in Gentibus. *Mal.1.*

13. *ET rurſus Iſaias ait, Erit radix Ieſſe, & qui exurget regere gentes, in eum gentes ſperabunt.)* Hæc quarta authoritas habetur apud Iſai. vbi dicitur, Egre- *Iſai.11.*
dietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet. Ex quibus & alijs ſubſequentibus verbis, collegit Paulus quæ hic attulit, continentia quidem reuerentiam ad Chriſtum. Nam ex radice

Ieſſe, inquit, exſurrecturum rectorem Gentium, & principem populorum, in quem gentes ſpem habebunt. Poteſt autem bifariam hæc ordinari littera: primò, in hunc modum; (*Ieſſe,*) ſcil. Patriarcha qui fuit pater Dauid Regis, (*erit,*) ſcil. tãquam (*radix,*) & (*qui ex illo,*) ideſt, ex hac radice (*exurget,*) ideſt, pullulabit, (natus eſt enim Chriſtus Dominus ex ſemine Dauid) (*regere gẽtes,*) ideſt, ad regendum nationes gentium; (*in eum,*) ideſt, in Chriſtum Dominum, (*gentes ſperabunt,*) cum fecerit vtraque vnum. Vel ſic ſecũdo modo, vt Chriſtus ſit radix Ieſſe ſecundum vitam ſpiritualem. Nam licet ex Ieſſe proceſſerit ſecũdum carnis originem, tamẽ ſua virtute diuina & Ieſſe ſuſtẽtauit, & gratiam ei impertiuit: & non ſolùm ei, ſed & omnibus qui cenſentur filij Abrahæ, ij per fidem à Chriſto vitam ſpiritualẽ receperunt. Chriſtus ergo Ieſus qui ſecundum hũc ſenſum eſt *radix Ieſſe, exurget,* in tantam gratiæ excellentiam vt poſsit *regere gentes*, eas ſua virtute diuino cultui ſubiugando, quod nullus ante eum facere potuit: *in eum gentes ſperabunt,* vt hæreditatem cœleſtis gloriæ conſequantur. Et ſic beatus Apoſtolus concludit vtrũq; membrum ſupra poſitum, quemadmodum ſcil. & Chriſtus fuerit miniſter circũciſionis, & gẽtes honorent Deum ſuper eius miſericordia.

14. *Deus autem ſpei repleat vos omni gaudio, & pace in credendo, vt abundetis in ſpe, in virtute Spiritus ſancti.*) Per orationem conſumanda ſunt omnia. Ideò cum dixiſſet quod in Chriſtum gentes ſperabunt, vtitur hoc ſuffragio dicens, (*Deus autem ſpei*) ideſt, qui nobis hanc ſpem fecit oraculis Prophetarum, eſt enim autor non ſolùm habitus ipſius ſpei, quem nobis infundit cum fide, verum & omnium quæ ſperare poſſumus. Deinde, & ipſe eſt obiectum ſpei noſtræ. Id enim quod poſſidere ſperamus, eſt idem ipſe, iuxta
Pſ.90 illud, Spes mea Deus. Et illud, ego mer-
Gen. ces tua magna nimis. Eſt igitur Deus noſter, tota & vera ſpes omnium credentium. (*Repleat vos omni gaudio*) conuenienter poſt ſpem, poſuit gau- Pro.13.
dium, nam ſpes quæ differtur affligit animam. Quod quidem gaudium in patria erit effectus poſſeſsionis eorum quæ ſperamus, & illud erit conſummatum. Non loquitur autem nunc de illo gaudio, ſed de hoc quod in hac vita haberi poteſt per conſolationem Dei. Ideò addit, (*& pace in credendo*) ac ſi ita diceret, ego Paulus deprecor Deũ ſpei, vt quod olim ſe facturum oſtendit, nunc vobis affatim præſtare dignetur, nimirum, vt ſecluſo mœrore diſsidioq;, repleat vos omni gaudio & concordia in credendo, hoc eſt, per fidem rectam, quæ ſunt tenenda, vt oportet credendo. Vel (*in credendo*) ideſt, conſenſu & concordia in intellectu fidei; quæ vna eſt, ſicuti vnus Deus, vnum baptiſma. (*Vt abundetis in ſpe*) fides eſt parens & fundamentum ſpei, vigore autem operum quæ per charitatem fides operatur, creſcit & augetur eadem ſpes: attenuatur tamen illa per diſcordiam in fide. Sapienter ergo Paulus preces fundit ad Deum, vt hæc ſpes quam de ipſo conceperant, in dies magis magiſq; creſcat, fiducia bonæ puræq; conſcientiæ. Idq; (*in virtute Spiritus ſancti*) hoc eſt, non viribus naturalibus, ſed ſuper naturalibus & diuinis, nempe, *in virtute Spiritus ſancti*, ideſt, corroborante vos Spiritu ſancto per charitatem. Hac enim, virtus Spiritus ſancti maximè inoteſcit, quam ipſe effundit in nos abunde. Obſeruandũ hîc, quàm prudenter beatiſsimus Paulus, tres has virtutes ſalutis noſtræ copulauerit hoc loco nempe fidem vnde ſpes naſcitur, & charitatem, per quam fides operatur, cuius opera ſunt copioſioris beatitudinis meritoria.

15. (*Certus ſum autem fratres mei, & ego ipſe de vobis, quoniam & ipſi pleni eſtis dilectione, repleti omni ſcientia, ita vt poſſitis alterutrum monere.*) Summa vrbanitate corrigit verbum proximè dictum, videlicet, *Deus autem ſpei repleat vos etc.* Vbi ſubnotaſſe eos viſus eſt carere illis virtutibus de quibus mentionem fecit. Et ait, quod hæc loquitur, non quod diffi-

diffidat de ipſorum virtute, cum perſuaſum habeat eos ſumma charitate, ſummaq; ſcientia præditos eſſe, vt etiã citra monitorem poſsint ſeipſos inuicem ſuper his rebus admonere. Dicit ergo, (*certus ſum autem,*) ideſt, perſuaſum habeo, ex his ſcil, quæ de vobis audiui, (*fratres mei,*) ſummũ erga eos amorem & beneuolentiam deſignat, (*& ego ipſe de vobis,*) quibus veſtra obijcio crimina. *Quoniam,* pro, quod, *& ipſi pleni eſtis dilectione, repleti omni ſcientia:*) hoc eſt, apti & idonei ad docendum, & exhortandum. Docere enim & admonere alios, opus eſt miſericordiæ, pro quo duo exiguntur, primum eſt, charitas in volũtate: nam qui monet nõ ex odio, vel ira, ſed ex dilectione monere

Pſal. debet, iuxta illud, Corripiet me iuſtus

Gal.6. in miſericordia. Et illud, Vos qui ſpirituales eſtis, inſtruite huiuſmodi in ſpiritu lenitatis. Alterum quod exigitur eſt ſcientia in intelectu, eo quod quidam habent zelum Dei in corrigendo, ſed non ſecũdum ſcientiam. Quare ad recte corrigendum neceſſe eſt habere & amorem charitatis, & ſcientiam veritatis humanam ſcil, & diuinam, & veteris & nouæ legis. Quod verò ait (*repleti*) non ſimpliciter inteligas, cũ hoc ad ſolum Chriſtum pertineat, qui abſolutè fuit plenus gratia & veritate, repletusq; timore Domini. Neque idem eſt, (*repleti,*) quod conſummati, quemadmodum beati ſunt in patria. Neque idem quod perfecti ſumma perfectione viæ: videretur enim palpatio & adulatio. Sed idem eſt, *repleti,* quod ſufficienti virtute dilectionis præditi, iuſtaq; referti ſcientia & idonea, vt poſsẽt ſeipſos inuicem cõmonere, vnde ſequitur, (*ita vt poſsitis alterutrum monere,*)

Iac.3. quoniam in multis, inquit Iacobus, offendimus omnes, oportet vt inuicem

Eccl.17. nos moneamus. Nam iuxta Sapientem, vnicuiq; mandauit Deus de proximo ſuo.

Chry. Obſerua, ex Chryſoſt. quod tota hæc peroratio, quæ hinc inchoare videtur, reſpectando procedit ad procemium epiſtolæ, vt finis procemio eadem vrbanitate & ſuauitate conſonet: neque ei obiectent Romani, quod cum eorum fidem laudauerit in exordio, illius fuerit per totum Epiſtolæ textum oblitus.

16. *Audacius autem ſcripſi vobis, fratres, ex parte, tãquam in memoriam vos reducens, propter gratiã quæ data eſt mihi à Deo, vt ſim miniſter* IESU CHRISTI *in Gentibus.*) Aſsignat tres cauſas ſuæ admonitionis & correctionis: quarum prima ſumitur ab eorum indigentia, & hæc quidem fuit reducere eos in memoriam oblitorum. Vnde ait (*audacius,*) ideſt, familiariùs ac liberiùs, quaſi fretus veſtra ſingulari humanitate (*ex parte*) ſcil, aliqua, nimirùm, reſpectu peritiorum ac prouectiorum in fide, non tamen omnino reſpectu omniũ (*ſcripſi vobis,*) non velut ignaros docens, vel vt inuitis imperans, ſed (*tãquam in memoriam vos reducens,*) quaſi oblitos eorum quæ ſciebatis. Penes quod eximiã Apoſtoli modeſtiam, & comitatem obſerua. Nam & doctiſsimi quiq; obliuioſi nihilominus eſſe poſſunt, & aliquando, vt vulgò dicitur, bonus dormitat Homerus. Et illis qui ſunt circũſpectiſsimi, opus nõnunquam eſt, vt in memoriam reuocentur alicuius obliti officij, & quid factu ſit optimum, vt id quod inteligunt eſſe faciendum, & iam ſua ſponte faciunt, amici hortatu cumulatius faciant. Humilimus tamẽ Chriſti Apoſtolus, quãuis diuina ſapiẽtia ſublimis, vas electionis factus, magiſter Gentiũ vocatus, tuba Spiritus ſancti exiſtens, non veretur dicere *audacius* ſcripſiſſe Romanis. Non quod in eo, vllum vel leue confiteatur temeritatis vitium. Nam etſi Apoſtolorum confirmationi in gratia, minime repugnaret venialis culpa, *tamen* inter ſcribendum fungendumq; Apoſtolico munere, *nec leuiſſimè* labi poterant, quippe qui tũc organa agebant Spiritus ſancti. Vel *audacius &c.* ideſt, nimis audax cuiq; forſan ex parte videri potero, dũ ego Paulus vobis nũquam viſis præſumpſerim tam prolixis litteris ſcribere. In eo autem quod ait, (*fratres*) oſtendit vnde eius audacia, ſi aliqua illis viſa fuit, exorta eſt, nimirùm ab amore fraterni-

tatis. Sed talis audacia, non vitium, ſed virtus potius dicenda eſt. Sequitur, (*propter gratiam quæ data eſt mihi,*) incumbebat Paulo, ex munere Apoſtolico ſibi iniuncto, commonefacere omnes Gentes, quarum erat Magiſter cõ-
Gal. 1. ſtitutus. Ideò dicit, (*propter*) id eſt, iuxta (*gratiam, quæ data eſt mihi,*) non ab hominibus, neq; per hominem, ſed (*à Deo, vt ſim miniſter Ieſu Chriſti,*) id eſt, vt miniſtrem Ieſu Chriſto (*in Gẽtibus*) id eſt, inter Gentes. Quapropter in hac parte meo fungor officio, mihi, licet indigno, à Deo per eius gratiam delegato, & obſequor volũtati Chriſti Ieſu, cuius negocium, tãquam eius miniſter, ago.

17. *Sanctificans Euangelium Dei.*) Ecce ſecunda cauſa ſcribendi, à ſuo ipſius officio & miniſterio deſumpta. Hæc nimirum fuit, non gratia humana, aut
Hiero. inanis gloria, aut turpe lucrum, ſed
Tho. *ſanctificatio Euangelij*, hoc eſt, oſtenſio ſanctitatis Euangelij. Apoſtoli enim Chriſti, & verbo, & opere, & exemplo, ſanctum eſſe demonſtrabant Euangelium Dei.

18. *Vt fiat oblatio gentium accepta.*) Hæc eſt tertia cauſa ſcribendi, à fine ipſo ſumpta, qui & finis etiam eſt eiuſdem gratiæ Apoſtolatus, nempe, vt *oblatio gentium eſſet Deo accepta*: hoc eſt, vt gentes omnes quas per ſuã prædicationem Chriſto lucrifaceret, eiq; velut oblationem offerret, in fide perfecta, & inſtitutione bonæ conuerſationis, Deo placentes fierent: quoniam nihil Deo acceptum eſt, niſi per fidem Euangelij.

19. *ET ſanctificata in Spiritu ſancto.*) Quemadmodum olim Pontifices oblaturi hoſtiam, prouidere conſueuerant ne quidpiam in ea eſſet aut maculæ aut vitij, vt accepta fieret Deo, ſic etiam egregius mundi concionator & magiſter gentium Paulus pro viribus ſtudebat; vt illuſtrando Dei Euangelio inter gentes, puram illi victimam offerret. Opinabatur illi ſacrificium longe gratiſsimum futurum, ſi homines illi offerret dignos ipſo, velut hoſtiam non carnalibus ceremonijs, ſed *Spiritu ſancto* purgatam ac ſanctam, qui vnicus eſt autor veræ ſanctimoniæ.

20. *Habeo igitur gloriam in Chriſto Ieſu ad Deum.*) Quemadmodum Abel ex ſua hoſtia, & Abraham ex ſua fide, veram gloriam adepti ſunt, ita & Paulus ex ſua prædicatione gloriam aſſecutus eſt, quam, inquit, quod *habet*, id eſt, quod optimo iure gloriari poteſt: non quaſi ſemetipſum iactans apud homines, *ſed ad Deum*, ſicut Abraham, id eſt; apud Deum ſcil. gaudens de fœlici prædicationis ſuæ ſucceſſu. Sed hoc totum (*in Chriſto Ieſu*) id eſt, per Chriſtum Ieſum, cuius virtute fructificare potuit, nam ſine ipſo, nihil poſſumus Ioa. 15.
facere. Senſus igitur eſt, quod dictam Pauli prædicationem, ex qua ipſe gloriam eſt aſſecutus, non ſibi, aut ſuæ induſtriæ imputat, ſed Chriſto Ieſu, cuius & vices agebat, cuiuſq; prædicationis munere fungebatur, & in quo ipſemet Chriſtus loquebatur.

Obſerua, miram & ſingularem in Apoſtolo Chriſti prudentiam, qua nunc ſub omnibus ſeipſum deijcit, nunc verò ſancta cõmendatione ſeipſum extollit, & omnia propter Chriſtum cuius eſt fidelis ſeruus & prudens, conſtitutus ab ipſo ſuper familiam ſuam. Nimirum, vt per humilitatem, omnes Chriſto Domino lucrifaciat: per cõmendationem verò, vt Chriſti gloria, ſuper omnia efferatur.

21. *Non enim audeo aliquid loqui eorum quæ per me non effecit Chriſtus in obedientiam gentium verbo & factis, in virtute ſignorum, & prodigiorum, in virtute Spiritus ſancti.*) Excuſat ſuperbiam & arrogantiam quam liuidi ex verbis prædictis poterant inſcribere Paulo, & inquit, quod non ſuſtinet eius animus aliena geſta commemorare, ne ſcil. alienorum factorum laudem videretur ſibi vendicare: tantum ea cõmemorat, quæ ſuo ipſius miniſterio effecit Chriſtus Dominus, nimirum (*in obedientiam gentium*) hoc eſt, vt gentes antehàc impiæ, & Simulachrorum cultui deditæ, iam parerent & obedirent Euangelio, commotæ quidem partim (*verbo*) id eſt, verbis,

bis (*de factis*) ipſius Pauli. Partim (*in virtute*) ideſt, vi, & magnitudine (*ſignorum*) ideſt, minorum miraculorum, putà, ſanationes ægritudinum (*& prodigiorum*) ideſt, maiorum miraculorum, quæ ex ſua magnitudine aliquid mâgni protendunt, ſeu oſtendunt. Hæc autem per Paulum fuerunt edita ad confirmandam doctrinæ ſuæ fidem. Edita verò, non ſua virtute, aut viribus ſuis, ſed (*in virtute Spiritus ſancti*, ideſt, autore ſpiritu Dei, cuius ipſe Paulus tantum organum erat. Vel, (*in virtute Spiritus ſancti,*) quia omnia miracula ad conuertendos homines non ſufficerent, niſi Spiritus ſanctus intus corda au-
Act.10. dientium ad fidem commoueret. Vnde in actis Apoſtolorum dicitur, quod loquente Petro verba fidei, cecidit Spiritus ſanctus ſuper omnes qui audiebant verbum.

22. *Ita vt ab Hieruſalem per circuitum, vſq; ad Illyricum, repleuerim Euangelium Chriſti.*) Cômendata functione ſua ab authoritate Chriſti, nunc commendat eandem ab amplitudine effectus, quæ fuit mirè eximia. (*Ita vt ab Hieruſalem,*) vbi in principio ſuæ conuerſionis prædicauit in Synagogis Iudæorum (*vſq; ad Illyricum,*) eſt autem
Tho. Illyricum, ſecundum D.Th. idem quod mare Adriaticum. Vel, vt Græca ſcho-
Gag. lia aiunt, eſt in finibus eius quæ nunc Bulgaria vocatur ex parte oppoſita Italiæ, quæ quàm maxima eſt diſtantia, ab oriente ad occidentem Septentrionalem. (*Repleuerim Euangelium Chriſti,*) hoc eſt, vniuerſas regiones & omnia loca ab Hieruſalem vſq; ad Illyricum repleuerim Euangelio Chriſti, illud in eis prædicando & notificando. Vel me-
Theo. lius, iuxta Theophilatum, (*repleuerim,*) ſiue conſummauerim, hoc eſt, nihil eorum quæ ad veritatem ſpectant Euangelicam omiſerim, prædicando ab Hieruſalem vſq; ad Illyricum.

23. *PER circuitum.*) Hoc dicit ne aliquis inteligat quod ſolùm vadens per rectam viam ab Hieruſalem vſq; ad Illyricum prædicauerit Euangelium. Abijt enim per longas ambages circumquaq; prædicando. Nunc ad Septentrionem, nunc verſus Meridiem obambulans. Scribuntur de Paulo maxima itinera & nauigationes. Fuit ille quaſi diuinum fulmen, in omnes ferè mundi angulos delapſum, igne Euangelico replens omnia. Vt enim colligitur ex Actis Apoſtolorum, alijſq; probatiſsimis Hiſtorijs, ipſe peragrauit Arabiam, Siriam, Phœnicem, Samariam, Ciliciam, Lydiam, Pamphiliam, Licaoniam, Ioniam, in qua eſt Epheſus: Phrigiam, Galatiam, Bithiniam, ac totam penè Aſiam minorem: atq; hinc Egæo mari traiecto, peruenit in Macedoniam in qua eſt Theſſalonica: & in Atticam, & Achaiam in qua eſt Corinthus. Cucurrit meliorem Græciæ partem: nauigauit in Ciprum, Rhodum, Coum, Chion, & Cretam. Cui proinde optimè cõpetere videtur illud *Iob.38.*
Iob, quis dedit vehementiſsimo imbri curſum? Poſt hæc tandem captus Hieroſolimis à Iudæis, cæſarem appellauit tanquam Romanus ciuis: vnde idcirco *Act.28*
ereptus à militibus Romanis, per mare, & per terras delatus ad mare Adriaticum, ac inde naufragus reiectus eſt in Mitilenem inſulam, quæ eſt, Malta, vnde in Siciliam, ac demum in Italiam nauigauit.

24. *SIC autem prædicaui Euangelium hoc, non vbi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificarem.*) Commendat adhuc munus prædicationis ſuæ ex difficultate operis. Difficile enim eſt, omnino ignaros ad fidẽ Chriſti conuertere, vt ipſe fecit. Non enim vulgari more prædicauit tũc Paulus Euangelium Chriſti, vt nunc prædicatur Chriſtianis: ſed illis regionibus prædicauit vbi Chriſti nomen nondum erat auditum, eamq; laudem ambijt apud Deum, quo latius iacerẽtur fundaměta Chriſtianæ religionis, & illius ditionis pomœria longius proferrentur. Nec viſum eſt fundamentis ab alijs Apoſtolis iactis ſuperſtruere, niſi Romæ vbi Petrus prædicauerat: & Antiochiæ, vbi alij iam prædicauerãt. Sed hoc fuit accidẽtale & animo eius, et muneri ſibi

cõmi-

cõmiſſo, cuius erat prædicare Gẽtibus tãquam earum Apoſtolus cõſtitutus, inter quas non fuit nominatus Chriſtus per legem veterem, neq; prænũtiatus, neq; præfiguratus, neq; expectatus. Talis fuit ſemper animus Pauli, à tempore quo cum Barnaba ſegregatus eſt in gentes, & hoc præſefert in verbo, *prædicaui*, hoc eſt, procuraui ſemper prędicare, dicit enim propoſitum animi ſui iuxta munus ſibi cõmiſſum. Quoniam vt difficilius eſſet religionis exordia parere, quàm ſemel parta tueri atq; augere, ita magis iudicabat ad Euangelij negotium pertinere. Et hoc eſt quod dicit, (*ſic autem prædicaui*,) ideſt, curaui prædicare (*Euangelium hoc, non vbi nominatus eſt Chriſtus*,) ſed rudiſsimis omnino hominibus curaui illud prædicare, qui de Chriſti fide nulla fundamenta ab alio prius acceperant (*ne ſuper alienum fundamentum ædificarem*,) hoc eſt, vt vbiq; & ſemper legationem meã adimplerem, ad quam pertinebat Gentes conuertere, Chriſtoq; lucrifacere: & ne viderer aliorum gloriam vſurpare, prædicans iam conuerſis & lucrifactis.

Neceſſaria quidem fuit hæc Pauli gloriatio ſuper ſucceſſu prædicationis ſuæ, ad confirmandam apud Romanos ſuã authoritatem, quam pſeudapoſtoli labefactare moliebantur. Dum autem gloriabatur, Chriſti gloriã prædicabat, non ſuam. Atq; hac quidem ratione meritò gloriabatur, qui laudem officij ſui ſic Deo tribuebat, vt hominum tamen nulli concederet.

25. *SED ſicut ſcriptum eſt, Quibus non eſt annuntiatum de eo, videbunt: & qui non audierunt de eo, intelligent.*) Hoc quod dixit de conuerſione Gẽtium, ita iam olim prædictum fuit oraculo ſan-
Iſa. 2. ctiſsimi Vatis Iſaiæ. Et obſerua, quod hîc eſt eclipſis, ſuplendumq; in hunc modum, *Sed*, ijs in locis prædicaui, vbi non erat Chriſtus annũtiatus, *ſicut*, olim id *ſcriptum eſt*, futurum, ijs verbis: *quibus nihil fuerat annuntiatũ de eo &c.* Et eſt ad litteram de Gentium vocatione & obedientia vaticinatio: alluditq́ue ad alterum eiuſdem Prophetæ vaticinium de inobedientia & rebellione Iudæorum: vbi ait, *dedit eis Deus* Iſai. 11.
oculos vt non videant, & aures vt non audiant. Cum enim his duobus organis ſenſorijs vtamur ad comparandam rerum cognitionem, nimirum oculis ad inueniendum, auribus autem ad diſcẽdum, ocluſa quidẽ ſunt ea Iudæis propria ipſorum culpa: apperta verò Ethnicis gratia Ieſu Chriſti: vt illi qui per legem ſigna viderant, myſteriaq; audierant Chriſti, venientem poſtmodum, nec viſu deprehenderent, nec auditu. Gentes verò quæ anteà de illo nihil viderant, vel audierant, præſentem extemplò ac de repẽte auſcultarent, atq; adorarent: quæ proculdubio res labori magno fuit Paulo, nimirùm, Euangelium inferre in loca, vbi nũquam fuerat audita fidei prædicatio.

26. *Propter quod & impediebar plurimùm venire ad vos, & prohibitus ſum vſq; adhuc.*) Excuſat ſe ſanctus Apoſtolus quod Romanos nondũ viſerit, promittens ſe eos viſurum, & fructum apud eos facturum. Dicit ergo (*propter hoc*,) ideſt, propter has meas tam longas peregrinationes, ſtudiumq; proferendæ fidei Chriſtianæ, (*impediebar plurimùm venire ad vos*,) ideſt, inuiſere vos, licet iam pridem cupidiſsimus. (*Et prohibitus ſum vſq; adhuc*,) ideſt, hactenus. Quod poteſt referri vel ad multitudinẽ occupationum quas in alijs locis habuerat, quæ eum conantem ad illos ſæpius proficiſci, remoratæ ſunt. Vel etiã ad diuinam prouidentiam, per quam Apoſtoli impediebantur ne peruenirẽt ad quoſdam, & dirigebantur in ſalutem aliorum, iuxta illud, quod habetur in
Actis Apoſtolorum, Tranſeuntes Phrygiam, & Galatiæ regionem, vetati ſumus à Spiritu ſancto loqui verbum in Act. 16.
Aſia. Quadrat etiam illud Iob, vbi ait, Luſtrant cuncta per circuitum, quocũq; eos voluntas gubernantis duxerit. Iob. 37.
Loquitur de nubibus per quas, vt ait D. Tho. prædicatores intelliguntur. Tho.

27. *Nunc verò vlterius locum non habens*

bens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos, ex multis iã præcedentibus annis, cum in Hiſpaniam proficiſci cœpero, ſpero, quod præteriens videam vos, & à vobis deducar illùc, ſi vobis primùm ex parte fruitus fuero.) Manifeſtat propoſitum ſuum de eorum viſitatione dicens, (*nunc verò,*) peragratis ſcil, his regionibus, (*vlterius locum non habens,*) ſcil, vacuum, in quo non iecerim fundamenta Chriſtianæ religionis, (*& ex multis præcedentibus annis,*) ideſt, ex annis iam quampluribus (*cupididatem habẽs veniendi ad vos,*) hoc eſt, ſtimulor cupiditate viſendi veſtri, (*ſpero,*) quod ſcil, dabitur occaſio ſatisfaciendi deſiderio meo, (*cum*) ſcil, (*in Hiſpaniam proficiſci cœpero,*) ideſt, proficiſcar, tũc ſcil, iſthàc iter faciens, (*præteriens videam vos,*) hoc eſt, in tranſitu viſam vos, non quidem ex principali inſtituto, quod erat non prædicare vbi Chriſtus fuiſſet nominatus, vt proximè iam dixit, & Romæ iam per beatum Petrum erat prædicatum Euangelium, cuius doctrina ſufficiens erat ſatis. Animus verò eius erat in Hiſpaniam penetrare, quo nondum allatum fuerat Euangelium, vt orbem propemodum tunc cognitum, nimirum ab Arabia & Syria, ad Gades vſq; perluſtraret, & in hoc, Chriſto Do-

Iſa.49. mino obſequium præſtaret iuxta illud, Dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſq; ad extremum terræ. (*Et à vobis deducar illùc,*) hoc eſt, Vobis deducentibus, eò pergam, quò inſtitueram. Quia tunc Romani dominabantur in toto Occidente, atq; adeò Hiſpani in eorum erant ditione: & cum Romanis nota eſſent itinera in Hiſpaniam, eisq; parerent Galli, & prouinciæ omnes intermediæ, tutò ab illis ſperabat ſe poſſe conferri in Hiſpaniam. Non quod timeret mori ſi pro Chriſto eſſet neceſſarium, nam hoc pro lucro ille reputabat: ſed erat ſancta hæc eius prudentia, incolumen ſe ſeruare, quo vtilior eſſe poſſet Eccleſiæ Dei: qua quidem

Act.9. de cauſa, & Damaſci permiſit ſe in ſporta demitti per murum, vt manus aduerſariorum euaderet.

28. *SI vobis primùm ex parte fruitus fuero.)* Inquit, quod à Romanis nõ proficiſcetur in Hiſpaniam, quin prius apud eos aliquot dies cõmoratus, eorũ conſuetudine, aliqua ſaltẽ ex parte deſiderium ſuum expleuerit. Hoc enim ſignificat in hoc loco, *frui.* Nam iuxta Auguſ. frui non licet, niſi ſolo Deo, *Aug. de* creaturis autem non niſi in Deo, iuxta *doc. Chr.* illud, Ita ego te frater fruar in Domino. *ad Philemo.* Quod verò ait (*ex parte,*) vel refertur ad bonos quibus in Dño fruebatur: nam malis frui non poterat, ſed potius condolere eorum Sorti, iuxta illud, Ne cũ venero humiliet me Deus apud vos, *2.C.8.* & lugeam multos ex his qui ante peccauerũt. Vel refertur ad tempus, vt ſcil, aliquo tempore fruar vobis, ideſt, cõſpectu veſtro, & veſtra conſuetudine. Vel refertur ad verbũm fruendi, & hoc videtur congruentius: nam eſt amoris exageratio, ac ſi dixiſſet, non poſſũ vſq; adeò præſentia frui veſtra vt pro votis expleam deſiderium meum: fruar tamen ex parte, quantum ſcil, itineris ac negotiorum ratio permiſerit.

Obſerua, quod licet animus beati Pauli fuerit veniendi in Hiſpaniam vt verè fuit, certius tamen eſt illùc nunquam perueniſſe. Primò, quia cum hæc ſcribebat, erat, vt ait Orig. in Achaia vbi eſt *Orig.* Corinthus. Inde venit Hieruſalem portans eleemoſinas pauperum, quas illis mittebant Macedonia & Achaia, vt inferius patebit. Et hoc fuit ſecũdũ iter quod ille fecit in Hieruſalem. Nam primũ fuit à Damaſco quandò manſit in vrbe quindecim diebus tantum. Hinc, quamplures fecit peregrinationes, quoadusq;, Deo permittente, Hieroſolymis fuit captus à Iudæis, à quibus appellauit ad Cæſarem, ac proinde à militibus Romanorum captus, & vinctus catena, deuectus eſt Romã, vt conſtat ex Actis Apoſto. Romæ autem biẽnio manſit in cuſtodia, permiſſus tamen ſi- *Act. vlt.* bimet cum cuſtodiente ſe milite. Vbi ſuſcipiebat, vt ait beatus Lucas, omnes qui ingrediebantur ad ipſum, prædicãs regnum Dei. Et in hac catena, quamplures ſcripſit epiſtolas, miſitq; ad di-

uerſas

uerſas Eccleſias. In fine autem biennij cum eadem catena deductus, martyrio coronatus eſt, ſimul cum Beato Apoſtolo Petro. Catena igitur & morte impeditus, non potuit implere propoſitũ perueniendi in Hiſpaniam. Nam ſi dicas quod illo biẽnio permiſſus fuit ire, contrarium videtur eſſe certius: nam Lucas qui Apoſtolorum actus ſcripſit, non tacuiſſet vtiq; rem adeò memorabilem, ſed ipſe, & alij quamplures, memoriæ illam proderent, ſicuti de Iacobo factum eſt. Vnde conſtat non ea de cauſa Paulum veniſſe Romã, qua apud ſe conſtituerat, ſed vinctũ catena fuiſſe perlatum. Neminem verò decepit in hac parte, nam vt Corinthijs promiſerat, ad eos ſe iturum, cum tamen non ierit, purgat ſe de hoc in poſteriori epiſtola dicens, non fuiſſe vſum leuitate, licet non ſoluiſſet promiſſum, eo quod non eſſet in ſua facultate ſitum, eſt, &, non, ſed in diuina volũtate. Ita & in propoſito dicendum, quod ipſe propoſuit ire in Hiſpaniam, ſed Deus aliter diſpoſuit. Et ſic etiam ſoluit hoc Gelaſius Papa, & habetur in decretis. Bea-
22.q.2. tus, inquit, Paulus, non ideò, quod abſit, feſelliſſe credendũ eſt, aut ſibi extitiſſe contrarius, quoniam cum ad Hiſpaniam ſe promiſiſſet iturum, diſpoſitione diuina, maioribus occupatus cauſis, implere non potuit quod promiſit. Quantum enim ipſius volũtatis interfuit, hoc pronũtiauit quod reuera voluiſſet efficere. Quantum verò ad diuini ſecreta conſilij, quæ vt homo non potuit, licet ſpiritu Dei plenus, agnoſcere, ſuperna prætermiſit diſpoſitione præuentus. Licet enim propheticũ ſpiritũ haberet, tamen prophetis non omnia reuelantur, vt conſtat ex lib. Regum,
4.R.4. vbi confitetur Heliſæus quod Deus celauerat eum mortem filij Sũnamitidis, dicens, anima eius in amaritudine eſt, & Dñs celauit à me, & non indicauit mihi. Quinuerò & Paulo ipſi, Agabus Propheta prænuntiauit, Quemadmodũ alligandus eſſet à Iudæis Hieroſolymis, tradendusq; in manus gentium, quod ipſe ignorabat. Nam, vt aiũt Theologi, in his quæ non erant ad ſalutem neceſſaria, nempè vbi non condebant, nec exponebant ſcripturam ſacram, non opus erat vt omnia futura, Apoſtolis reuelarentur diuinitus, ſpiritu prophetico.

29. *Nunc igitur proficiſcar in Hieruſalem miniſtrare ſanctis.*) Aſsignat rationem quare differebat viſitationem promiſſam, oſtendens neceſsitatem, per quam non ſibi licebat eò ſtatim properare ne videretur tempus ſine cauſa protrahere, dicens (*nunc igitur,*) ideſt, in præſentia (*proficiſcar in Hieruſalem,*) quò deſtinatum eſt iter, (*miniſtrare ſanctis,*) ideſt, Chriſtianis illic a gentibus, vt exhibeam illis beneficium Macedonum & Achaicorum mihi ſcil, commiſſum.

¶ Circa quod eſt obſeruandum, quod *Aug. ſuper epiſt. ad Gala. et in lib. de catec. rudibus.* vt docet Aug. & D. Tho. illi qui ex Iudæis à principio conuertebantur ad fidem, quibus erat cor vnum & anima vna, nihil ſuum eſſe dicebant, ſed venditis poſſeſsionibus ſuis, ponebãt prætium earum ad pedes Apoſtolorum, *Tho.* quod ſingulis prout cuique opus erat *Act. 4.* diſtribueretur: hoc non fiebat niſi in Iudæa tantùm, neq; verò ad hoc compellebantur omnes, ſed in ſuo cuiuſq; erat arbitrio quod vellet facere, vt colligitur ex Act. quinto cap. vbi Ananiæ *Act. 5.* qui fraudauerat de prætio agri, ait Petrus, nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat poteſtate? Quamobrẽ non omnes Chriſtiani tali laborabant inopia, ſed tamen complures, præſertim Sacerdotes & Eccleſiarũ miniſtri, quibus tunc nondũ erant decretæ decimæ, neq; verò hic inopiæ labor premebat eos ſemper, ſed tũc maximè inſtante illa fame à Propheta Agabo per ſpiritum prænuntiatã magna futura in vniuerſo orbe, quæ fuit Claudio imperatore. Cuius rei certiores facti diſcipuli Chriſtiani, ex diuerſis mũdi partibus prout quiſq; habebat propoſuerunt ſinguli in miniſterium mit- *Act. 11.* tere habitantibus in Hieruſalem ſiue in Iudæa fratribus, quod & fecerunt, mittentes ad Seniores per manus Barnabæ & Sauli. Miniſterium igitur Sanctorum hic dicit Paulus eleemoſinam, vt ait S. Tho.

Tho. 2.C.vlt. Tho. quam fidelibus Chriſti attulit in Hieruſalem.

Gal.2. Circa quod obſerua diligenter, quàm dignum ſit munus diſpenſandi eleemoſinas, cum non quibuſuis, ſed præcipuis Eccleſiæ prælatis, (quales fuerũt Paulus, & Barnabas) cómittatur. Neq; ait tantum aſportare, ſed miniſtrare: ibat enim vt ipſe illas diſtribueret pro cuiuſq; neceſsitate.

30. *Probauerunt enim Macedonia & Achaia, collationem aliquam facere in pauperes ſanctos, qui ſunt in Hieruſalem.)* Exponit quod dixerat de miniſterio ſanctorum, (*probauerunt,*) vel approbauerunt, ideſt, conſenſerunt & voluerũt, me procurante ac ſolicitante, (*Macedonia, & Achaia,*) propinquæ ſunt regiones, ideſt, Chriſtiani Macedones, & Achaici, per Paulum conuerſi, qui in temporalibus ſunt abũdantiores, de ſuis facultatibus (*collationem,*) ſcil, communem (*aliquam facere,*) alij autem vertunt (*communionem,* ſeu *communicationem,*) propterea quod diuites communicabãt pauperibus bona ſua. (*In pauperes ſanctos,*) non ait in totam vrbem, vel in omnes, ſed *in pauperes ſanctos,* ideſt, Chriſtianos qui inter fideles ſunt egentes in Hieruſalem, ad ſubleuandam eorum egeſtatem. Quo quidem exemplo incitat Romanos ad ſimile faciendum. Nã & naturali lege, quia pauperes erant: & Chriſtiana pietate, quia ſancti: eis etiã ipſi tenebantur ſubuenire. Hoc artificio vtitur frequenter Paulus, dum exẽplo & laude aliorum extimulat alios, vt ſimilia, vel maiora, ſi poſsibile eſt, faciant. Talis enim debet eſſe Autiſtitis prudentia, in laudandis ſubditorum officijs.

31. *Placuit enim eis, & debitores ſunt eorum.)* Aſsignat cauſam collectarum eleemoſinarum, quarum prima eſt largientium beneplacitum: vnde dicit, (*placuit enim eis,*) ac ſi diceret, nullus vt faceret coegit, ſed ita viſum eſt illis. Eleemoſinæ enim, inquit alibi Paulus, non ex triſtitia, aut ex neceſsitate, ſed liberè & cum iucunditate debent fieri. Hilarem enim datorem diligit Deus. Secunda verò cauſa eſt debitum, vnde *2.C.9.*
dicit, (*& debitores ſunt eorum,*) vbi notandum, quod eleemoſinæ ferè cónexas habent rationes conſilij, & debiti. Debetur enim eleemoſina de ſuperfluo, ijs qui in extrema ſunt, vel graui neceſsitate. Extra hos autem caſus, opus eſt conſilij. At quoniam neque liquidò ſemper conſtat, quando adſit tam grauis neceſsitas: neq; æqui ſumus iudices quid nobis ſufficiat, quidq; redundet: neq; ſit lege deffinitum ſemper, quantum debeas erogare: nemo debet Chriſtianus tam graues expectare neceſsitates, nec tam rigidè ſeruare ſtatum ſuum, nec tam parcus eſſe in operibus miſericordiæ, quando illi hæc rependũtur, qui pro nobis propriam diſpendit vitam.

32. *Nam ſi ſpiritualium eorum participes facti ſunt gentiles, debent & in carnalibus miniſtrare eis.)* Reddit rationem eius quod dixerat, (*& debitores ſunt eorum,*) nam qui recipiunt ſpiritualia, debent eos alere qui illa miniſtrant: proinde cum Hieroſolimitani, Chriſti doctrinam gentibus priores impartirent, par erat, vt hi viciſsim de pecunijs ſuis aliquid illis impartirent, vt rem omniũ prætioſiſsimam, re viliſsima vtcũq; penſarent. Erant igitur gentiles obligati Iudæis, acceptæ prius ab illis religionis nomine. *Ex quo,* vt ait, D.Th. ſumitur *Tho.*
argumentum, quod debentur ſumptus non ſolum illis qui prædicant, ſed etiam qui prædicatores mittunt. Debitum autem hoc, non eſt ratione iuſtitiæ cõmutatiuæ ſicut ex emptione & conductione contrahitur, ſed illo tamen iure quo temporalia ſunt propter ſpiritualia, ceu propter animam corpus. Vnde non ait quod gentiles emerunt, ſed quod *participes facti ſunt ſpiritualium.* Neq; ait quod ſoluere debent id quod receperunt, quippe quod nullo eſt prætio æſtimandũ Euangelium: ſed quod *debent miniſtrare,* videlicet, miniſtrantibus ſpiritualia non debita quatenùs beneficia ſunt Dei. Et quemadmodum hi communicarunt gratis quod ad animæ ſalutem pertinet, ita illi ſpontè ac

volen-

volentes cõmunicare debent quod ad corporis neceſsitates attinet. *Gratis*, dixi, nam licet prædicatores, diſpenſatoreſq; Sacramentorum, ex officio teneantur diſſeminare verbũ, aliaq; præſtare ſpiritualium munia, ſunt tamen beneficia hæc Dei, nihil debentis hominibus, atq; adeò gratis illis impenſa, quæ ideò gratis adminiſtranda ſunt, & adminiſtrantur, licet miniſtri accipiant ſumptus, *non vt pretium doctrinæ, ſed vt debitum bonis triturantis*, id eſt, hominis laborantis, ad corporis neceſsitatem ſubleuandam. Sunt itaq; Eccleſiaſtici, iuxta Aug. tanquam milites Chriſti, *Aug.* plebes autem tanquam ſtipendiarij prouinciales. Et obſerua, in verbo (*carnalibus*,) quod viri Eccleſiaſtici, non debent eſſe nimis cupidi, quærentes ſibi ſuperflua, ſed tantum ea quæ ſunt neceſſaria ad ſuſtentationem vitæ, quæ hîc nomine *carnis*, inteligitur.

33. *Hoc igitur cùm conſummauero, & aſſignauero eis fructum hunc, per vos proficiſcar in Hiſpaniam.*) Repetit pollicitationem circa eorum viſitationẽ præfigens terminum quo ad eos ſit venturus, dicens, (*hoc igitur cùm conſummauero,*) id eſt, ſimulatq; perfunctus fuero officio meo, in hac re. ſcil. aſportandi eleemoſinas in Hieruſalem (*& aſſignauero,*) id eſt, tradidero (*eis*) ſcil. quibus eſt deſtinatum (*fructum hunc,*) id eſt, eleemoſinam gentium, quæ eſt fructus conuerſionis eorum, in ſubſidium pauperum recipientium, vel in præmium dantium, accipiendum in cœlo, vbi prudentes Chriſtiani & non alibi volunt ſibi theſaurizare. Obſerua, quod & obſignatam pecuniam, & per ſeipſum, non per alium, ſe, inquit, traditurum, ne vel per alios dolo fraudaretur aliquo, vel ipſe cuiquam poſſet venire in ſuſpitionem quaſi non nihil inde arroſerit, cum gratis alienum ageret negotium. (*Per vos,*) id eſt, iſthàc iter facturus, vel (*per vos,*) ſcil. aductus (proficiſcar in Hiſpaniam.)

34. *Scio autem quoniam veniens ad vos, in abũdantia benedictionis Euãgelij Chriſti veniam.*) Ingentem fructum ſuæ viſitationis prænuntiat illis dicens, (*ſcio autem,*) id eſt, nihil addubito, ex fiducia ſcilic. diuinæ gratiæ (*quoniam,*) pro quod, (*veniens ad vos,*) id eſt, poſtquam venero ad vos (*in abundantia benedictionis Chriſti,*) id eſt, copioſa benedictione Chriſti, (*veniam,*) id eſt, venturus ſum vobis. Vel ſumitur hic, *benedictio*, pro eleemoſina ſpirituali: nam iuxta Chryſoſt. mos vetus fuit eleemoſinas omnes, *benedictionem*, appellare, *Chry.* hoc eſt, benignitatem ac largitatem. Et fortè hîc Paulus ad vtrũq; eleemoſinarum genus refert hoc, temporalium ſcil. & ſpiritualium, in quibus promittit ſe venturum ad eos. Vel *benedictio*, ſumitur pro diuinis laudibus, pro omniq; fœlici ſucceſſu, tam in his quæ ad Deum pertinent, quàm quæ ad proximum. Et tunc eſt ſenſus. Ita venturus ſum ad vos, & tales vos offenſurus (nam ſpero vos bene paratos in Euangelium Chriſti) vt aduentus meus, ad ampliſsimam Chriſti laudem pertineat, ſimul & vobis pro veſtra pietate, ſtudijs alacribus me excipentibus, & me quidem auxilio Dei per omnia veſtris votis reſpondente. Vel forſan hæc Apoſtoli ſententia præſagium fuit Spiritus ſancti, quod venturus illuc foret in catenis & vinculis, martyrium pro Chriſto perpeſſurus, quod pro ſumma ducebat benedictione Chriſti: ex qua poſt Romanis 12 in gentes prouenere gratiæ, & ſanctitatis culmi.

35. *Obſecro ergo vos fratres per Dominum Jeſum Chriſtum, & charitatem Spiritus ſancti.*) Petit à Romanis orationis ſuffragia, quibus & ipſe adiuuetur tanquam eorum Apoſtolus, qui in eorum commodum & ſalutem, illam ſuſtinebat prouinciam: & primò inducit eos ad orandum ex amore fraternitatis dicens (*obſecro ergo vos fratres,*) obſecratio, eſt obteſtatio per ſacra, quæ idcirco duo ſunt maxima ab eo poſita: primum eſt (*per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum,*) id eſt, per communem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, in quo omnes vnum ſumus, & cuius legatione

tione ipſe fungor, negotia gero, cauſamq; ago, pro qua factus homo non dubitauit & ipſe mori. Alterum eſt diuinus amor, qui eſt charitas, vnde dicit (*et per Charitatē Spiritus ſancti,*) ideſt, per ſyncerum amorem, quem ex Chriſti ſpiritu hauſimus, quo vno teneremur vinculo, vnūq; eſſemus in Deo, ſicuti & pater & filius vnum ſunt. Non facit autem expreſſam mentionem patris, quoniam in filio & Spiritu ſancto, intelligitur perſona patris quorum ipſe eſt origo.

36. *VT adiuuetis me, in orationibus pro me ad Deum.*) Scil. fuſis, hæc Pauli petitio, vt quoniam præſens præſentibus Romanis nondum frui poterat, certè pijs eorum votis ac precibus ad Dominum effuſis, eum in tantis rerum difficultatibus laborantem, ac pericli tantem, adiuuarent.

37. *VT liberer ab infidelibus qui ſunt in Iudæa.*) Ecce primum quod volebat Apoſtolus per orationem imperrari ſibi ab amicis fidelibus, nimirùm, vt diuina ope liberaretur ab incredulis quos habebat Iudæa, & Euāgelio Chriſti rebellibus, ne quid illorum malitia ſuæ prædicationis fructus impediretur.
Act. 21. Odiebant Paulum & impugnabant illū increduli Iudæi, quia fiducialiter prædicabat ceſſationem legalium.

38. *ET obſequij mei oblatio, accepta fiat, in Hieruſalem Sanctis.*) Ecce alterum pro quo fauorem orationis poſtulat, nempe, vt officium ſuum in reddenda pecunia, quo functurus erat in Hieruſalem, nullo interpellante, eſſet gratum & acceptum Deo & ſanctis, quibus eleemoſinas deferebat: quæ dicebantur, *oblatio*, tam gentium, quàm Pauli: gentium quidem, quia illas mittebant pauperibus Hieruſalem: Pauli verò, quia eius diligentia fuerunt collectæ, eius labore & obſequio allatæ, & traditæ: & tunc putabat Paulus acceptam fieri talem oblationem, ſi abſq; aduerſariorum impedimento, opportunè traderentur pauperibus, qui proinde ſimul cum ipſo, gratias Deo agerent, pro tanto munere, tanta gentium charitate illis exhibito. Poteſt autem ſic ordinari littera, videlicet, (*vt oblatio obſequij mei,*) ideſt, oblatio mea iſta, quam adminiſtrare pergo (*ſanctis in Hieruſalem, fiat accepta,*) ideſt, placita Deo, dum ſummis ac diuinis laudibus accipitur à pauperibus, pro adeò eximia gentium erga illos charitate.

39. *VT veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, vt refrigerer vobiſcum.*) Propter duo optabat Paulus in hoc negotio Hieroſolimitano, omnia ex ſententia ſibi contingere, primò, vt aduentus eius ad Romanos eſſet illi lætus ac iucundus, ita Deo volente. Deinde, vt ipſe poſt tot, tantoſq; agones, aliquantiſper refocillaretur apud ipſos. Et hoc eſt quod inquit, (*vt veniam ad vos cum gaudio,*) & ita venit, nam licet in compedibus & cum catena, vt ipſe teſtatur dicens, propter ſpem Iſrael, catena hac Act. 27.
circundatus ſum. Tamen hoc erat illi ſummum gaudium, cui nulla erat gloria niſi in cruce Domini. (*Per voluntatem Dei,*) ad hanc omnia referebat, extra cuius ordinem, nihil optabat, aut animo proponebat. Reſpondet hoc verbo exordij vbi ait, obſecrans ſi quomodo tandem aliquando, proſperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos. (*Vt refrigerer vobiſcum,*) ideſt, conſpectu veſtro, ac veſtra conſuetudine, ab æſtu laborum, anfractuum, periculorum, & aduerſitatum, quæ perpeſſus ſum inter gentes. Et reſpondet verbo exordij vbi ait, *ad confirmandos vos,* ideſt, *ſimul conſolari in vobis.* Refrigeratus ac refocillatus eſt Paulus, licet in carcere poſitus, & catenis circūligatus, videns gentes ad ſe ingredi iam ad fidem conuerſas, quarum conſuetudine fruens, mirum in modum lætabatur. Loquebantur enim omnes de Chriſto Ieſu, qui Paulo erat viuere, & pro eo mori lucrum.

¶ Obſerua hic diligenter, quanti ſit valoris *Oratio Chriſtianorum*, præſertim ſi in Chriſti nomine congregantur, cum Paulus vas electionis, tot gratijs, tantiſq; priuilegijs diuinitùs imbutus, & dita-

ditatus, tanta cum obſecratione, à Romanis tunc in fide nouitijs eam expoſtulet. Et ſi militantium *Oratio* eſt tanti facienda, quanti erit illa triumphantium, qui cum Deo ardentiſsima ſunt charitate coniuncti, & nos etiam ipſos eadem, maximè proſequuntur? Cum igitur in ſuorum oratione ſemper glorificetur Deus noſter, ab illis petenda eſt, ſed maximè à triumphantibus amicis Dei, quibus ipſe Dominus proculdubio repreſentat preces noſtras. Contra quod perfidi Lutherani, ſuis perſuadere contendunt.

40. *DEVS autem pacis ſit cum omnibus vobis, Amen.)* Finis huius reſpondet principio & medio Epiſtolæ. Dixerat enim, *Gratia vobis & pax*, quæ eſt effectus gratiæ: *à Deo Patre noſtro*, qui autor eſt vtriuſq;. Deinde, *DEVS autem patientiæ, et ſolatij; det vobis idipſum ſapere*; ideſt, animorũ concordiam. Tertiò, *DEVS autem ſpei repleat vos omni gaudio*, quod ſcil, ex concordia certum eſt proficiſci. Modò verò in calce Epiſtolæ; *DEVS*, inquit, *pacis, ſit cum omnibus vobis*: in quo videtur oſtendere, totum Epiſtolæ argumentum illuc tẽdere, vt eos in pace confirmet & corroboret; quæ, vt diximus, proprius effectus eſt gratiæ; & cum ipſa tãquam quædam prætioſa margarita, ſit nobis à Chriſto in teſtamento relicta, eſt etiã irrefragabile teſtimonium fidei ſuſceptæ, concordia fraterna. Vt igitur vndè cœperat finiret exhortationem Paulus, precatur vt Deus ſynceræ pacis, concordiæq; parens, autor, & tutor, ſit cum omnibus illis, ideſt, apud eos maneat. In quo docet nos, quod vt longè refugit, ac reſilit ab elatis, ac diſcordibus, ita mutuo conſenſu conciliatur, ac retinetur. (*Amen,*) ideſt, ſic fiat, vt ego opto.

ARGVMENTVM CAPITIS DECIMI SEXTI.

SAlutationibus, & cõmendationibus, magna parte ſe occupat. Circa finẽ verò, ab hæreticis, & ſchiſmaticis cauere eos admonet. Denique gratiarum actione Epiſtolam concludit.

CAPVT. XVI.

COmmendo autem vobis Phœbẽ Sororem noſtram, quæ eſt in miniſterio Eccleſiæ, quæ eſt Cẽchreis, etc.

EXPLANATIO.

1. *COMMENDO autem vobis Phœben, ſororem noſtram, quæ eſt in miniſterio Eccleſiæ, quæ eſt Cenchreis.)* Hæc Phœbis, vel Phœba, fuit quædam inſignis mulier Corinthia, quæ Romam veniebat, cui dicũt Apoſtolum dediſſe has litteras perferendas. Deſcribit aũt eam primo quidem ex nomine vocans eam *Phœben*, ideſt, Lunam. Deinde, ex fidei religione, dicẽs, (*ſororem noſtram,*) *Mat. 22*
omnes enim mulieres fideles, vocantur ſorores, ſicut & omnes viri fratres. Tertiò, ex officio pietatis dicens, *quæ eſt in miniſterio*, ideſt, quæ modis omnibus inſeruit (*Eccleſiæ,*) ideſt, congregationi fidelium, *quæ eſt Cenchreis*, ideſt, apud *Luc. 8.*
Cenchrenſes. His dicta mulier ſerui- *Gagn.*
bat ac ſuppeditabat: ſicut & de quibuſdam mulieribus dicitur, quod miniſtrabant Chriſto de facultatibus ſuis. (*Cenchree,*) iuxta Gagneium, opidũ eſt in Troade, ſimiliter & in Italia, ſed hoc tamen loco, eſt portus & ſtatio naua-

lis

lis Corinthiorum. Commendat igitur his litteris Paulus, hanc fœminam Romanis: nam, iuxta D. Tho. licet eſſet Deo deuota, nō tamen erat tantæ autoritatis, vt cōmendatitijs litteris non egeret: ſicut ipſe dicit de ſeipſo, Nūquid egemus, ſicut quidam, commendatitijs litteris.

Tho.
2. C. 3.

2. *VT eam ſuſcipiatis in Domino, dignè ſanctis.)* Rogat, *vt eam excipiant in Domino*, ideſt, propter amorem Dei, *(dignè ſanctis,)* ideſt, pro dignitate ſanctorum, & quemadmodum ſanctos ſuſcipere & tractare par eſt. Vel *(dignè ſanctis,)* ideſt, vt decet à ſanctis excipi mulierem, optimè de ſanctis meritam.

3. *VT aſſiſtatis ei, in quocūq; negotio veſtri indiguerit.)* Inſuper & hoc rogat, *vt aſſiſtant*, ideſt, vt adſint *ei in quocunque negotio veſtri*, *vel vobis indiguerit*, ideſt, veſtrum deſiderabit officium. Vtrūq; dicitur Latinè, indigeo tui, & indigeo te.

4. *Etenim ipſa quoq; aſtitit multis, & mihi ipſi.)* Oſtendit meritū huius fœminæ, quare ei debebatur auxilium. Ac ſi diceret, par eſt quidem vt illi adſitis quandoquidem illa frequenter adfuit, cum, alijs ſanctis quàmpluribus, tùm mihi etiam ipſi. Ex quo ſumi poteſt argumentum, præcipuæ eſſe autoritatis fœmina hæc apud Cenchrenſes, tùm, quia fauere poterat Chriſtianis, tàm in domo, recipiendo illos, quàm extra domum ſuam iuuando illos apud iudices. Tùm etiam, quia Epiſtola hæc tanti pōderis, illi concredita eſt, vt ferret eam Romanis.

5. *Salutate Priſcam & Aquilam.)* Iubet ſalutare ſuis verbis *Priſcam*, quæ alibi ab eodem vocatur *Priſcilla*, & eius maritum Aquilam pontici generis, Iudæum tamen profeſsione: prænominauit autem vxorem, fortè, ob maiorem fidei deuotionem. Hi ſecundum Orig. & Chryſoſt. fuerūt duo ciues Corinthij, quorum hoſpitio exceptus eſt Paulus, dum Athenis veniret Corinthū. Erat quidem *Aquila*, eiuſdem artis cū Paulo, putà, ſcœnofactoriæ, hoc eſt, cōſuendorum tabernaculorum: qua de cauſa dicitur ad illum diuertiſſe, cum applicaret Corinthum. Habitauit etiā aliquando Epheſi: ex quo loco ſalutem plurimam dicunt Corinthijs, in Epiſtola priori ad eos miſſa, vbi ait Paulus, Salutant vos in Domino multū, Aquila & Priſcilla, cum domeſtica ſua Eccleſia, apud quos & ego hoſpitor.

Orig.
Chry.
Act. 18.

6. *Adiutores meos in Christo Ieſu.)* Non quidem in prædicta arte mechanica, ſed, *(in Christo Ieſu,)* ideſt, in fide Chriſti prædicanda, mihi ob Iudæorū inſidias periclitanti, ſunt opitulati, ne ſcil. prædicatio Chriſti impediretur ſtudio malorum. Erant enim fortè, perſonæ potentes, non modo facultatibus huius mundi, verùm & opere & ſermone.

7. *QVI pro anima mea, ſuas ceruices ſuppoſuerunt.)* Adeò opitulati ſunt Paulo periclitanti, vt pro tuenda vita ipſius, ipſi ſubierunt vitæ diſcrimen, quod ſignificat, *ceruices ponere*, ceu caput Pauli, ſuo capite redimere volentes: quod eſt indiciū maximæ charitatis, iuxta illud, Maiorem hac charitatem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Hoc autem factum fuiſſe videtur Corinthi, vbi Paulus perſecutionem eſt paſſus: quoniam hi duo qui tunc relegati à Roma per Claudium, habitabant Corinthi, apud quos & hoſpitabatur Paulus, eripuerūt illum à furore populi. Poſt verò ceſſante perſecutione Claudij, reuerſi ſunt Romam, vbi erant cum Paulus hanc ſcripſit Epiſtolam.

Ioa. 15.
Act. 18.

8. *Quibus non ſolus ego gratias ago, ſed & cuncta Eccleſiæ gentium.)* Quoniam vita Apoſtoli, non tàm ſibi, quàm alijs neceſſaria erat, ideò ob merita horum illuſtrium Chriſtianorum Priſcillæ & Aquilæ, non ſolùm beatus Paulus illis gratias agit, verumetiam cum Paulo agunt eaſdem omnes Eccleſiæ gentium, propterea quod Apoſtoli ſeruati beneficium, ad omnes pertinere exiſtimabant.

Phil. 1.

¶ Obſerua, iuxta Epiphanium, quod à Chriſti paſsione ferè ducentis annis, ſub Adriano Imp. Sixto Pontif. Maxi. 8. à Pe-

In lib. de menſuris & ſcript. interpre.

Petro, fuit alius Aquila, genere etiam Ponticus, ſecũdus interpres veteris teſtamenti, qui abnegato, cui crediderat, Euangelio, proſelytus fuit & circũciſus Iudæus, & Chriſtiani nominis acerrimus hoſtis, quem ideò Hieronimus, inter Iudaizantes Iudæos connumerat. *Hiero. in proleg.*

9. *ET domeſticam Eccleſiam eorum.)* Non hos tantùm iubet ſalutare, ſed vniuerſam etiam eorum familiam, quam hîc *Eccleſiam* vocat, ob probatam fortè religionem, & celebrem inter Chriſtianos ſanctitatem. Habuerãt enim, vt ait Chryſoſt. biennio Paulum hoſpitio, à quo fuerunt ſatis edocti & bene inſtituti. Vnde ſumitur argumentum, illos fuiſſe ſatis diuites, qui egentes Chriſtianos poterant in domũ recipere ſuã, quam veluti collegium monitis inſtruerent, ſapienterq; gubernarent. *Chry.*

10. *Salutate Epænetum dilectum mihi.)* Nomen cuiuſdam Græci hic erat, quod Latinè interpretatum, dicitur *laudatus*, vel *laudabilis*, qui vtiq; ob laudatiſsimos mores, fuit ſuo nomine dignus, & beato Apoſtolo præcipuè charus.

11. *QVI eſt primitiuus Aſiæ in Chriſto Ieſu.)* Primus enim in tota Aſia fuit ad fidem Chriſti conuerſus, quod erat ei ad magnam dignitatem.

12. *Salutate Mariam, quæ multum laborauit in vobis,)* ideſt, ſalutem dicite Mariæ meo nomine *(quæ in vobis,)* ideſt, inter vos, & pro Chriſti nomine *(multum laborauit,)* ideſt, non citra periculum & moleſtiam, multum officiorum in nos contulit. *Hæc Maria* fortè erat ciuis Romana, vel ſicut Phœbe aliunde veniſſet Romam, vt inſeruiret Chriſto, eratq; forſitan Paulo de facie nota.

13. *Salutate Andronicum, & Iuniam, cognatos & concaptiuos meos.)* Saluere etiam iubet hos duos, qui vt ſanguinis cognatione, ita & captiuitatis ſocietate, fuerunt Paulo aliquando iũcti. Iunias, nomen videtur eſſe viri, non mulieris, vt ex ſubſequentibus conſtat.

14. *QVI ſunt nobiles in Apoſtolis.)* ideſt, inter Apoſtolos inſignes: vnde coniecturam facit Orig. fuiſſe in numero 72. Diſcipulorum, eminentes ornamentis veræ religionis. *Orig.*

15. *QVI & ante me fuerunt in Chriſto IESV.)* ideſt, hoc dignitatis titulo meipſum præcedũt, quod priores me, Chriſto ſunt initiati. Nam ſi iure defferimus honorem, qui priores nati ſunt à parentibus: quanto rectius deferetur iis, qui prius renati ſunt in Chriſto? Facit quidem hoc pro ſententia Orig. quod hi duo fuerunt in tempore Chriſti, inter Diſcipulos, & adietũt Romam, vt Euangelico munere fungerentur. *Orig.*

16. *Salutate Ampliatum, dilectũ mihi in Domino.)* Hic raræ pietatis commẽdatione, charus erat beato Paulo: nam quanuis ei, ſicuti aliis, nihil egregium videatur aſcribere Paulus, tamen ex hoc ipſo quod dilectus erat ei, laudabilis eſt valde, vt ait Orig. *(in Domino,)* ideſt, Dilectione Charitatis quæ eſt in Chriſto. *Orig.*

17. *Salutate Vrbanum adiutorem noſtrũ in Chriſto IESV.)* ideſt, ſocium & adiutorem laborum meorum, in negotiis Euangelii Chriſti.

18. *ET Stachyn dilectum meum.)* Hic fortè conſors erat Vrbani, beato Paulo magnopere charus, quod indicium eſt magnæ ſanctitatis, ideò ambos eadem ſalutatione complexus eſt.

19. *Salutate Apellen probum in Chriſto.)* ideſt, approbatũ fortè per aliquas tribulationes, iuxta illud Iob, Probauit me ſicut aurum quod per ignẽ trãſit. Sic iſte Apelles multis afflictionibus pro Chriſto tolerandis, fortè exploratus, ſpectatusq;, & probatus fuit. *Iob. 23.*
Obſerua hîc cum Chryſoſt, quod Apoſtolus neminem vocat Dominum, vel quid ſimile quod tantùm ad honoris titulum ſpectet, ſed illa penitus de ſingulis profert, quæ ſunt virtutis. Hæc namq; eximia erat commendatio, maximè ab ore Pauli neſcientis hominibus blandiri. *Chry.*

20. Sa-

20. *Salutate eos qui ſunt ex Ariſtoboli domo.*) ideſt, quotquot ad *Ariſtoboli* familiam pertinent, ſalutate eos tãquam religionis tyrones. Hic autem Ariſtobo-
Amb. lus, iuxta Ambr. congregator fidelium fuit, qui fortè tunc, vel mortuus erat, vel abſens, ideò eum non ſalutat, ſed tantùm eius domum veluti ſcholam fidei, & morum.

21. *Salutate Herodionem cognatũ meũ.*) Qui ex hoc ipſo dicitur fuiſſe Iudæus,
Tho. vt ait S. Th.

22. *Salutate eos qui ſunt ex Narciſſi domo.*) ideſt, domeſticos Narciſſi, qui
Amb. iuxta D. Tho. & Ambro. dicitur fuiſſe
Tho. presbiter, & peregrinabatur per deſerta loca, vt fideles Chriſti confortaret: vnde, quia tunc eum abſentem nouerat eſſe Apoſtolus, non mandat eum ſalutari, ſed familiam eius.

23. *QVI ſunt in Domino.*) Ideſt, qui iam in Chriſto renati ſunt, hos enim tantũ ſalutari mandat, cæteris verò infidelibus qui in domo eius erant, nec aue eis dici volebat, vt mandat bea-
3. Ioa. 1. tus Euangeliſta Ioannes.

24. *Salutate Triphænam, & Thriphoſam, quæ laborant in Domino.*) Ideſt, quæ ſtudio ſuo, curaq; iuuant rem Euangelicam, miniſtrantes ſanctis, quod Dominus ſibi reputat fieri, inquiens, quod
Mat. 25 vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.

25. *SALVTATE Perſidem chariſſimam meam.*) Ideſt, vnicè mihi dilectam, propter ſingularem eius deuotionem. Vnde ſequitur.

26. *QVÆ multum laborauit in Domino.*) Ideſt, quæ multum ſudoris impendit iuuando Chriſti Euãgelio: alios quidem exhortando, alijs verò miniſtrando: & etiam in paupertate, & alijs ſpiritualibus laboribus quos ipſa ſubijt *in Domino*, ideſt, pro nomine Domini.

27. *Salutate Rufum electum in Domino.*) Non de illa tantum electione intelligit generali, qua ſunt omnes electi ante mundi conſtitutionem, ſed ſignificat virum pietate, ac religione eximium.

28. *ET matrem eius, & meam.*) Ideſt, quam mihi cum illo communem eſſe duco. Mira ſanè Pauli humilitas, & illius fœminæ dignitas, quæ tanti viri mater ab eo ipſo vocatur. *ſalutate*, inquit, *matrem eius*, ſcil. carne: *& meam*, ſcil. beneficio. Me enim aliquando maternis viſceribus tractauit: ideò ego vt propriam matrem habeo, venerabiliterq; iubeo, vt filios ſalutari.

29. *Salutate Aſyncritum, Phlegontem, Hermen, Patrobam, Hermam, & qui cum eis ſunt fratres.*) Hos ſimul ſalutat, quia ſimul concorditer habitabant, vt ait D. Th. iuxta illud, Qui habitare facit *Tho.*
vnius moris in domo *Hermam*, poſte- *Pſ. 67.*
riori loco ab Hermas, quem putat Orig. fuiſſe autórem illius libelli qui *Orig.*
inſcribitur, Paſtor. *Hermen*, verò priori loco, ab Hermes dicitur, quod eſt Mercurius.

30. *Salutate Philologum & Iuliam, Nereum & Sororem eius, & olimpiadem, & omnes, qui cum eis ſunt, ſanctos.*) Ideſt, qui in illorum viuunt contubernio, per fidem Chriſti ſanctificatos, hos abſq; titulo etiam iubet ſalutari, quia ſola ſanctitate, digni erant ſalutatione. *Iulia*, dicitur fuiſſe vxór, *Philologi*. Pro *Olympiade*, ſcribunt aliqui, *Olympam*, ab Olympas.

31. *Salutate inuicem in oſculo ſancto.*) Pro omnium pace & concordia, adiecit hoc verbum, ne ſcil. qui in hac epiſtola non ſunt nominati, inuiderent nominatis: & qui nominati ſunt, alios deſpicerent. Ideò iubet vt ſe inuicem ſalutent, *in oſculo ſancto*, ideſt, Chriſtianis digno, quod & caſtum ſit, & ſimulatione careat, ſed veræ concordiæ non mendax ſit argumentum. Eſt, enim & *oſculum libidinoſum*, de quo in Prouerb. dicitur, Aprehenſum deoſcula- *Prou. 7.*
tur iuuenem. Et eſt *oſculum doloſum*, *& 27.*
de quo ibidem meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula inimici. Et eſt, *oſculum ſanctum*, vt in hoc loco, quod eſt veræ concordiæ ſignum.

Nam, *oſculantes & oſculum*, repræſentant ſanctiſsimam Trinitatem, in qua eſt vera vnitas, ſummaq; concordia.
Tho. Orig. Hinc, vt aiunt D.Th. & Orig. mos in Eccleſia inoleuit vt fideles inter miſſarum ſolemnia, inuicem dent oſcula pacis: quod quidem olim ore proprio fiebat, nunc verò non niſi inſtrumento aliquo materiali, vel ligneo, vel argenteo, aut quouis alio ſimili, dempto ordine D. Bernardi, in quo adhuc iuxta antiquum morem, accedentes fratres ad Euchariſtiam, deoſculantur ſe mutuò, oſculo oris ſui.

32. *Salutant vos omnes Eccleſiæ Chriſti.*) Salutat eos ex parte, *omnium Eccleſiarum Chriſti*, ideſt, nomine & fide Chriſti congregatarum, dicens, *ſalutant vos &c.* Ideſt, ego Paulus in earum nomine vos ſaluto, tanquam earum Apoſtolus. Sed forſan de omnibus Eccleſijs à ſe perluſtratis hoc affirmat, mentionem habentibus Romanorum, precantibuſq; Apoſtolum vt ad eos ſcribens, illis omnium nomine ſalutem diceret. Et ſic erit ſenſus, *ſalutant vos omnes Eccleſiæ Chriſti*, quarum ego noui animum erga vos propenſiſsimum.

33. *ROGO autem vos fratres.*) Suauitate verborum exhortatur illos, non enim ait, præcipio tanquam Dominus vel magiſter, ſed rogo vos fratres, ego frater veſter, æqualis vobiſcum.

34. *VT obſeruetis.*) *Obſeruare*, in hoc
Tho. loco, iuxta D.Th. nihil aliud eſt, quàm diligenter conſiderare: & poteſt fieri tribus de cauſis vel ad nocendum alicui, vel ad immitandum bonum, vel ad cauendum malum, quod hîc precando admonet Paulus. Erant enim quidam ad fidem conuerſi, qui prædicabant legalia eſſe obſeruanda, ex quo ſectæ & diſſenſiones ſequebantur in Eccleſia, dum quidam eorum erroribus adhærerent, alij verò in vera fide perſiſterent. Sequebantur inſuper offendicula & ſcandala, dum quidam alios iudicabant, alij verò alios ſpernebant. Hoc eſt ergo quod rogat obſeruandum dicens, *(vt obſeruetis,)* ideſt, ſumma cū diligentia, & appertis oculis conſideretis, *(eos qui diſſenſiones & offendicula faciunt,)* ideſt, ſerunt inter vos, *(præter doctrinam quam accepiſtis,)* ideſt, conantes vos in aliud genus doctrinæ inducere, præter id quod iam accepiſtis à veris Chriſti Apoſtolis, ac ſtudentes Iudaiſmum cum Chriſtianiſmo miſcere.

35. *ET declinate ab illis.*) Non ait, patienter ferte tolerateq; illos, neque docete aut informate, ſed, *declinate ab illis*. Quaſi dicat, agnoſcite illos, vt agnitos vitetis, quandiù enim apparentia vlla eſt & probabilitas, quod hæreticus, ſchiſmaticus, vel ſeditioſus, cæteriq; in bonum publicum peſtilentes homines, ignorantia laborant, ſalutare eſt & charitatis officium, illos blandè ferre, veritatiſq; admonere, quoniam ignorantia medicabile eſt vitium. At verò vbi primò conſtat proteruia iam, ſtudioq; , & animoſitate hærere ſuis ſectis, ſtatim declinandi ſunt, iuxta illud, Hæreticum hominem poſt primam & ſecundam correptionem deuita. *Et, ſubtrahatis vos ab omni fratre inordinatè ambulante*. Declinandi ergo ſunt, vel certè extirpandi, de medioq; tollendi, ne quorum ſalus membrorum deplorata eſt, eorum contagio reliquum inficiat corpus. Tit.3. 2.Th.3.

36. *Huiuſmodi enim Chriſto Domino non ſeruiunt, ſed ſuo ventri.*) Aſsignat rationem quare vitandi ſunt huiuſmodi ſeductores, quoniam, *(Chriſto Domino non ſeruiunt,)* non enim ſyncerè docent quod rectum eſt, nec purè agunt Chriſti negotium, *(ſed ſuo ventri,)* ſuiſq; cupiditatibus ſeruiunt. Corporalia omnia, ac temporalia inteligit nomine ventris, quo ſignificatur corporea hæc vita temporalis. Prædicabant iſti, non quidem propter gloriam Chriſti, ſed propter quæſtum, vt ſuum ventrem implerent. Qua etiam ratione Philippenſibus ait ventrem eſſe pro Deo. Et Phil.3.
de Cretenſibus ad Titum iactauit illud Tit.1.
Epimenidis, Cretenſes malæ beſtiæ, ventres pigri. Et ipſe etiam Saluator aduerſus huiuſmodi, ſic loquitur, qui Luc.20.
amant

amant ſalutationes in foro, & primas cathedras, & primos accubitus, qui & deuorant domos viduarum.

37. *ET per dulces ſermones & benedictiones, ſeducunt corda innocentium.)* Ars ſeductorum, hæc eſt, nimirùm, blãdis ſermonibus, & ſuauibus, magis quã ſalutaribus dictis, ſeducere animos ſimplicium, quibus facilè imponunt ſimulatæ pietatis prætextu. *Per dulces ſermones*, loquuntur pacem cum proximo
Pſal. ſuo, mala autem in cordibus eorum. *Et per benedictiones*, quibus ſcil. bene-
Mat.8 dicunt, & adulantur illis qui eos ſequuntur, quaſi lupi rapaces ſub ouina pelle. *ſeducunt populum*, iuxta illud, Po-
Iſa.3. pule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt. Et tales benedictiones execrabiles ſunt coram Deo. Vnde ait
Mal.2. per Prophetam, maledicam benedictionibus veſtris.

38. *Veſtra enim obedientia, in omni loco diuulgata eſt.)* Hæc eſt ſecunda ratio prædictæ admonitionis, quæ ſumitur ex conditione Romanorum facilè ſe exhibentium ad ſequendum bonum & malum. Cõmendat itaq; eos primò de facilitate ad bonum dicens, (*veſtra enim obedientia,*) qua ſcil. tam promptè & ſynceriter vos ſubditis fidei, & Euangelio, (*in omni loco,*) ideſt, paſsim, & vbique locorum fama volante diſpergitur ad veſtri cõmendationem. In quo innuit, Romanis magis cauendum eſſe, ne illorum bono nomini, impoſtores illi maculam inferant. Nam propter dominium quod Romani tũc obtinebãt ſuper alias nationes, quod ab illis fiebat, de facili diuulgabatur ad alios. Vnde, quod in prohemio dixit de fide, dicit hic de obedientia.

39. *GAVDEO igitur in vobis.)* Quẽadmodum in prohemio pro fide Romanorum annũtiata in vniuerſo mundo gratias agit, ita hic de obedientia eorũdẽ vbiq; diuulgata gaudet in illis, tam promptè obtemperantibus Euangelio. Primus enim ad pietatem gradus eſt, obtemperare.

40. *SED volo vos ſapientes eſſe in bono, & ſimplices in malo.)* Reddit illos cautos contra malum: nam quanuis ſimplicitas laudanda eſt, ſed tamen quoniã ſuſpitionem neſcit, ſæpe obnoxia eſt impoſturæ: ideò etiam atque etiam circunſpiciendum cui obtemperatur. Et hoc eſt quod dicit (*ſed volo vos ſapientes,*) ideſt, oculatos (*eſſe in bono,*) ideſt, ad ea ſectanda quæ bona ſunt, & vitanda quæ pietatis ſynceritatem vitiant. (*Et ſimplices in malo,*) ne ſcil, per aliquam ſimplicitatem declinetis ad malum, vt talis ſit vobis ſimplicitas, quod nemini noceatis, aut ne quem circumueniatis. Ideò enim iubet nos Do- Mat.10
minus, prudentes eſſe ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Quo enim prudentia, vbi cum ſimplicitate colũbina coniungitur, prætioſior eſt: eo eſt pernitioſior, ſi adiungitur, malignitati ſerpentis. Vnde malignus ſpiritus, quo nos in terram proſterneret, callidi ſerpentis induit formam. Paraclytus autem Spiritus ſanctus, qui nos proſtratos leuauit, reſtituens in gratiam, ſub effigie apparuit ſimplicis columbæ: dimiſſa ergo malignitate ſerpentis, aſtutia eius cum ſimplicitate columbina benè componitur, ad perfectionẽ Chriſtianorum: nam oportet eos cautos ac prudentes eſſe in bono. Simplices verò ac rudes ad malum, quaſi neſciẽtes malè agere. Cuius contrarium de alijs per Prophetam dicitur, Sapientes ſunt vt faciant mala, benè autem facere neſciunt. Hier.4.

41. *DEVS autem pacis, conterat Sathanam ſub pedibus veſtris velociter.)* Promittit Romanis auxilium Dei contra huiuſmodi deceptores quos appellat *Sathan*. Non enim dæmonem tantùm, ſed omnem aduerſarium ſignificat vox Hebræa *Sathan*. Vnde Chriſtus Dominus Petro, Vade, inquir, retro me Sathanas. Aduerſabantur Euãgelio Chriſti, prædicti deceptores, per quos Sathanas, ideſt, diabolus conabatur ſalutem mortaliũ impedire, dum alij perſecutionibus impetebant, alij falſo religionis prætextu, à Chriſto alienabant, & ad Moſen pelliciebant. Aduerſus

uerſus hos promittit Paulus fauorem cœli: nam licet verbum *(conterat,)* ſit *Theop.* optantis, eſt etiam, iuxta Theophilactú, & prædicentis futurum: & ſic per modum prophetiæ, vim habet & indicatiui futuri. Quo verbo cõfortat eos Paulus, & inducit ad perſeuerãdum, quaſi eorũ ſanctis conatibus deeſſe non poſſit Deus, quo propugnatore, nihil eſt formidandum. Inquit ergo *(Deus autẽ pacis,)* ſcil, actor, qui diſſenſiones odit, quas iſti faciũt, is ſcil, vt potentior *(cõterat)* pro conteret, cõminuetq; *(Sathanam)* oppugnatorem *(ſub pedibus veſtris,)* victum & proſtratũ ſubijciet ſcil, ſua virtute, idq; *(velociter,)* ſcil, in aduentu meo. Benè quidem poterat hoc abſque iactantia promittere diuinus Apoſtolus, propter virtutem ſibi, cæteriſq; Apoſtolis à Chriſto domino collatam, calcandi ſcil, ſuper ſerpentes, & *Luc. 10.* ſcorpiones, & omnem virtutem inimici. Sic etiam prædictum fuerat olim per Prophetã dicentem, Calcabitis impios, cum fuerint ſicut cinis ſub planta pedum veſtrorum. *Mal. vl.* Quo autem apertius omnia referat in gloriam Dei, non dicit, conteram, nec conteretis, ſed *Deus conteret.*

41. *GRATIA Domini noſtri IESV CHRISTI vobiſcum.)* Orat pro Romanis, qua oratione penetrat cœlos ſanctiſsimus Paulus. Eſt enim tam breuis, quàm deuota, quin etiam & neceſſaria in omni opere Chriſtiano. Quidquid enim ad noſtram ſalutem pertinet, per gratiam id Chriſti mediatoris noſtri perficitur. Ait igitur *(gratia,)* ideſt, fauor *(Domini noſtri IESV Chriſti vobiſcum,)* vel, vobis in datiuo, ſcil, adſit, vel aſpiret, quæ ſufficit ad vos tuendos, iuxta illud Domini Saluatoris ad Paulum, Sufficit tibi gratia *2. Cor. 12.* mea.

43. *Salutat vos Timotheus adiutor meus.)* Salutat Romanos quorundam nomine, qui in negotio Euangelico erant ei ſocij: & primo loco conſtituit Timoteum conſortem laborum Pauli, vt ait *Amb.* Ambroſ. & inclytum eius diſcipulum. Fuit Thimoteus, Derbæus natione, pa*Act. 16.*tre Gentili natus, matre verò Iudæa, qua ratione fuit à Paulo circũciſus ad ſedandum Iudæorum tumultum. *(Salutat,* inquit, *vos)* ò Romani *(Thimoteus)* Derbenſis, *(adiutor meus,)* ideſt, in Euangelij prædicandi munere collega meus.

44. *ET Lucius, & Iaſſon, & Soſipater, cognati mei.)* Hi erant Iudæi, & ideò vocat eos cognatos. Vel forſan cognatio hæc, ex baptiſmo contracta eſt. Nam licet, vt ipſe ait, non fuerit miſſus baptizare, ſed Euangelizare, baptizabat tamen nonnullos. *1. Cor. 1.* Lucius hic, iuxta ſuſpitionem Orig. fuit beatus Lucas Euangeliſta, de quo ad Coloſſenſes, ſalutat, inquit, vos Lucas Medicus chariſsimus. *Col. 4.* Iaſſon autem dicitur fuiſſe Ciprius genere, antiquus diſcipulus, qui Theſſalonicæ ſeſe pro Paulo & Sylla, obiecit populari furori. *Act. 17* Soſipater, fuit Pyrti filius Beroẽſis, vt cõſtat ex Actis Apoſt. *Act. 20.*

45. *Saluto vos ego Tertius, qui ſcripſi Epiſtolam hanc in Domino.)* Tertius, non ordinis nomen ſed viri, vt ait Ambr. *Amb.* nam ſicut apud Romanos, prænomina erant & nomina, Quintus, & Sextus, ita & hic amanuẽſis Pauli, appellatur *Tertius.* Vtebatur enim Paulus in ſcribendis Epiſtolis, aliquando manu propria, aliquando aliena, qua hanc ſcripſit Epiſtolam. Fuit autem antiquus mos amanuenſium, vt aiunt quidam, de facultate patroni, proprio nomine ſalutem dicere. Iuxta hunc igitur morem inquit, *(ſaluto vos ego Tertius,)* nomine, *(qui Epiſtolam)* hanc, dictãte Paulo, *(ſcripſi,)* characteribus *(in Domino,)* ideſt, in nomine Domini. Studio enim pietatis hic Tertius, ſcriptoris operam cõmodauit beato Paulo, hanc Epiſtolam dictanti.

46. *Salutat vos Caius hoſpes meus.)* Hic fuit vnus inter paucos, quibus Paulus adminiſtrauit baptiſmũ, apud quẽ tunc diuerſabatur Corinthi, vbi Epiſtola hæc ſcripta fuit.

47. *ET vniuerſa Eccleſia)* Refertur ad hoſpes, ſcil, meus, & *vniuerſa Eccleſiæ hoſpes.* Quia non ſolùm beato Paulo, verumetiam vniuerſæ congregationi creden-

credentium. Caius iſte benignum præbebat hoſpitium cum erat opus. Atq; adeò dignus eſt habitus, vt beatus Euangeliſta Ioan. ad eum ſcriberet tertiam canonicam, quæ ferè tota verſatur circa commendationem & laudem charitatis, ac pietatis huius illuſtriſsimi Chriſtiani.

48. *Salutat vos Eraſtus, Arcarius ciuitatis.)* Publico ærario præfectus, dicitur *Arcarius*, qui ſcil, cuſtodiebat arcã communem, ideſt, communes redditus ciuitatis. Vel, quod idem eſt, ſignificat diſpenſatorem, & quæſtorem, qui vniuerſam domus curam habet: & quãuis taceat cuius ciuitatis, videtur fuiſſe Arcarius ſiue quæſtor Corinthij. Hic igitur *Eraſtus* Corinthiorũ vrbis quæſtor ærarius, ſalutat Romanos. Facit autem mentionem dignitatis iſtius, vt doceat quod Eccleſia Chriſti abinitio ſemper habuerit ſecum perſonas illuſtres, ex quibus nonnihil accipit ſplendoris. Qua etiam ratione in Actibus Apoſtolorum fit mentio de Cornelio Centurione. Et in ea quam ſcripſit ad Philippenſes, de Chriſtianis qui de domo Cæſaris erant. *Act.* *Philip.*

49. *ET Quartus frater.)* Hic fuit alius fidelis cui nomen erat *Quartus*, & eſt penultimus huius Epiſtolæ ſalutantium Romanis. *Vltimus eſt ipſemet Paulus*, cuius ſalutatio eſt quæ ſubſequitur.

50. *GRATIA Domini noſtri IESV CHRISTI, cum omnibus vobis, Amen.)* Pulchra ac dulcis ſalutatio, (*gratia Domini noſtri IESV Chriſti,*) quæ mater omnium bonorum eſt, (*cum omnibus vobis.*) ſcil, ſit, vel omnibus vobis ſemper adſit, (*Amen,*) ideſt, fiat, eſt enim verbum optantis, ac ſi ita diceret, vota mea circa ſalutem veſtram, rata, firmaq; faxit Deus.

51. *EI autem qui potens eſt vos confirmare iuxta Euangelium meum, & prædicationem IESV Chriſti.)* Concludit Epiſtolam cum gratiarum actione, vt vnde fundamentum iecerat, inde etiam faſtigiũ illi imponat. In exordio enim dixit, primum quidem gratias ago Deo meo, hic verò ait (*ei autem,*) ſcil, Deo vni in Trinitate (*qui potens eſt,*) citra noſtram operam, per gratiam ſuam, (*vos confirmare,*) ideſt, ſtabilire, in iſto ſcil, vitæ inſtituto quod accepiſtis (*iuxta Euangelium meum,*) ideſt, mihi cõmiſſum, (*& prædicationem IESV Chriſti,*) ideſt, de Ieſu Chriſto. Appoſitio eſt & declaratio prioris, quaſi diceret Euangelium meum, quo ſcil, prædico Ieſum Chriſtum.

52. *Secundum reuelationem myſterij.)* Ideſt, ſecreti redemptionis Filij DEI incarnati, & reuelati Paulo & Apoſtolis, & per ipſos vniuerſo mundo. Vnde cum dixiſſet, *ſecundum Euangelium meũ, & prædicationem Ieſu Chriſti*, ſtatim addit, *ſecundum reuelationem myſterij*, quoniam arcanum hoc niſi per reuelationem ſciri non potuit, & ſic cognitum eſt ab Apoſtolis, iuxta illud, Nobis autem reuelauit Deus per Spiritum ſuũ, *1.C.2.*

53. *Temporibus æternis taciti.)* ideſt, quàmpluribus retrò ſeculis celati. Æternitas enim pro nimia duratione etiã ſumitur, iuxta illud Pſalm. Illuminans *Pſal.* tu mirabiliter à montibus æternis. Sed qui non eſſet celatum arcanum hoc cũ adhùc erat in pectore patris, per Iſaiã *Iſai.24.* Prophetam dicentis, ſecretum meum mihi, ſecretum meum mihi. At verò, paucis amicis ſubindicatum eſt, tam ex gentilitate, quàm ex Iudaiſmo, Patriarchis & Prophetis & alijs, ſed nõ ita appertè & manifeſtè ſicut nunc tempore gratiæ: nam vnigenitus qui eſt in *Ioa.1.* ſinu Patris, ipſe enarrauit.

54. *QVOD nunc patefactum eſt per ſcripturas Prophetarum)* ideſt, per oracula priſcorum Prophetarum, prolatũ, & appertum eſt, Euangelio coruſcante. Nam luce Euangelij, patenter intellectæ ſunt ſcripturæ veteris teſtamenti, de omnibus quæ ad opus redemptionis pertinent, Chriſto & eius Apoſtolis declarantibus. Ordinatione & iuſſu Dei ita factum eſt, qui, vt ait D.Tho. *Tho.* æterno propoſito, ea quæ vult, temporaliter facit. Ideò dicit.

55. Se-

55. *Secundum præceptum æterni Dei.*) ideſt, Patris mittentis filiũ, conſtitutũ
Pſ.2. ab eo Regem ſuper Sion montem ſanctum eius, prædicantem præceptum eius, & filij eius IESV Chriſti Domini noſtri, qui ſicut miſit eum Pater, miſit ipſe Apoſtolos & Diſcipulos, quibus prædicandi munus, & efferendi ſecreti negotium delegauit, dicens, Ite in mun-
Mar.vl. dum vniuerſum, & prædicate Euangelium omni creaturæ.

56. *AD obeditionem fidei.*) Duo ſunt ad ſalutem neceſſaria, nempè, *fides & obedientia*. Et ad hæc duo tendebat omnis Apoſtolica prædicatio. Docete, inquit, omnes gentes baptizantes eos, *ecce prædicatio*. Qui crediderit, *ecce fides*. Et baptizatus fuerit, *ecce obedientia*. Saluus erit, *ecce ſalus*. Vnum ſine altero non ſufficit ad ſalutem: nihil prodeſt fides ſine obedientia, & econuerſo. Non enim ſat eſt credere niſi baptizatus fueris: nec baptizari, niſi credas.

57. *IN cunctis gentibus cogniti.*) Ideſt, promulgati iam apud omnes gentes. Refertur ad myſterium, ſiue arcanum religionis Euangelicæ, per quam & abrogatus eſt omnis dæmonum cultus, ac Moſaicæ legis ceremoniæ ceſſauerunt. Ante eius promulgationem neminem obligabat, ita vt non credendo, quis peccaret peccato infidelitatis. Nam ſi non veniſſem, inquit Dominus, & locutus eis, per me, ſcil. & per meos, non fuiſſem, peccatum non haberent, ſcil. infidelitatis. Iam verò poſt tam ſufficientem promulgationem, à Chriſto & eius Apoſtolis factam, & ab Eccleſia fit quotidiè, nemo excuſatur à non credendo, & obediendo.

58. *SOLI ſapienti Deo.*) Verba Pauli ferè in omnibus ſuis Epiſtolis, quaſi quædam catena ſe habent, ita vt ſequens verbum anexum ſit præcedenti, ſicut in hoc loco. Cum enim de obedientia fidei mentionem fecit, ſtatim ſubiungit cui obediendum, nempè, *ſoli Sapienti Deo*. Hoc eſt, Deo, qui ſolus eſt verè ſapiens per eſſentiam, vnuſquiſq; ſeſe debet ſubmittere. Penes quod notatur error credentium inſipientibus, & non Deo, qui ſolus eſt verè ſapiens: mendacibus, & non Deo, qui ſolus eſt verax, imò ipſa veritas. Iniquis, & non Deo, qui ſolus eſt bonus & odit iniquitatem. Propterea meritò ipſe conqueritur de hoc, apud Ioannem inquiens, ſi veritatem dico, quare non Ioa.8.
creditis mihi?

59. *PER IESVM CHRISTVM.*) Subaudi gratias agimus vel agite, *ei* ſcil. ſupra poſito, nempè, *Deo æterno & ſapienti, per Ieſum Chriſtum*, dilectum ſuũ, per quem omnia accipit & dat, & niſi per ipſum nihil vult dare nec accipere. Chriſtus igitur eſt via petendi & accipiendi, dandi & poſtulandi tam à Deo, quàm ab hominibus, quibus per Ieſum Chriſtum, nihil negare debent homines, ſicut & pater ipſius nihil negat petentibus per ipſum, teſte ipſo qui ait, amen dico vobis, quidquid petieritis Ioa.
patrem in nomine meo dabit vobis.

60. *CVI honor & gloria*) Ideſt, Chriſto Domino eſt, *honor & gloria*, cui poſt ſuam à mortuis reſurrectionem, data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra. Merito enim ſuæ eximiæ humilitatis & obedientiæ datum eſt illi nomen ſuper omne nomen, vt in nomine IESV omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Poteſt etiam, iuxta D.Th. ſic ordinari littera, *ei*, ſcil. Tho.
ſoli ſapienti DEO, ſit gloria per Ieſum Chriſtum, qui Deum glorificauit: illaq; Ioa.17.
eſt vera gloria grata & accepta, quæ eſt per Ieſum Chriſtum, vt dictum eſt. *Cui*, ſcil. Chriſto, eſt, *honor & gloria*, tanquam Deo & Redemptori.

61. *IN ſecula ſeculorum, Amen.*) Eſt Chriſtus Dominus rex, non quidem temporalis, aut mortalis, quales ſunt omnes reges terræ, ſed rex omnium ſeculorum, ideſt, æternus & immortalis, & ideò gloria eius, gloria eſt æterna. Cui & ego licet indigniſsimus, cum digniſsi-

digniſsimo Paulo, Summas gratias ago, qui me ad optatum finem huius Epiſtolæ peruenire côceſsit. Precorq; ipſum cœleſtem regem, vt hic meus tenuis labor ſit ſemper pro ſua gloria, & pro vtilitate Eccleſiæ ſuæ. Cuius iudicio quæ in his Commentarijs ſcripta ſont, libenter relinquimus examinanda, & emendanda.

¶FINIS.



ULYSSIPONÆ,
EX OFFICINA ANTONII RIBERO
CATHOLICÆ MAIESTATIS TYPOGRAPHI.
1583.
¶EXPENSIS DOCTORIS. F. GUNDISALVI DE LA CERDA, HUIUS OPERIS AUTORIS.

INDEX COMMENTARIORVM F. GVNDISALVI DE LA CERDA IN EPISTOLAM. D. PAVLI, AD ROMANOS.

A.

AB Apoſtolatu Pauli, excluſi non erāt Iudæi, præſertim qui inter gentes habitabant. pagina. 9. numero. 19.

Abraham cognouit per fidem myſterium paſſionis Chriſti, quæ eſt cauſa iuſtitiæ et ſalutis noſtræ. pag. 93. nu. 54.

Abrahæ fidei pulchritudo & puritas. pag. 92. nu. 52.

Abrahæ dignitas. p. 84. n. 29.

Abrahæ filiorum differentia. p. 90. n. 48.

Abrahæ legitimi filij, qui dicantur. p. 84. nu. 30.

Abſtinentia leges ſanctiſſimæ. p. 307. n. 4.

Acceptio perſonarum. p. 41. n. 31.

Acceptum ferre, quid ſignificet. p. 81. n. 14.

Adam fuit Chriſti forma multis modis. p. 16. n. 24.

Adæ peccatum fuit inobedientia. p. 110. n. 37.

Adoptio filij, quid ſignificet. p. 172. n. 40.

Aduentus Chriſti. p. 6. nu. 14.

Ægyptiorum dementia circa idololatriam. pag. 25. nu. 59.

Affectus & affectio in quo differant. p. 32. nu. 96.

Affectio eſſe non poteſt vbi defuerit charitas Dei, & fides Ieſu Chriſti. p. ibid.

A gratiarum actione inchoanda ſunt bona opera. p. 11. n. 25.

Amans erga Deum amatum, qualiter ſe debeat habere. p. 280. nu. 32. 33.

Amantium mos eſt, vt amorem ſuum ſilentio tegere nequeant. p. 204. n. 124.

Amicis Dei, omnia cedunt in bonum. pag. 192. nu. 80.

Amor, quid ſit. p. 192. nu. 80.

Amor, inter cunctos animi affectus, gaudet hyperbolis. p. 204. n. 124.

Amor patris, & filij Dei erga homines notatur. p. 173. n. 4.

Amoris diuini teneritudo. p. 174. n. 45.

Anathema, quid ſit. pag. 207. nu. 6.

Anima, quare dicatur homo interior. pag. 147. nu. 64.

Animus generoſus Iſaiæ Prophetæ, commēdatur à Paulo. pag. 239. nu. 25.

Animi puritas, in quo conſiſtit. pag. 269. nu. 10.

Angeli peccantes, non fuerunt capaces benignitatis, & patientiæ Dei. p. 37. n. 5.

Apoſtolorum tria munia. p. 3. n. 4.

Apoſtolis Chriſti, ceu diuinis organis eſt autoritas Dei, quibus proinde ſi Angelus de cœlo aliud euangelizaret, firmiſſima debetur fides. pag. 4. n. 8.

Apoſtolus nominatur à Paulo etiam Chriſtus Dominus. pag. 8. n. 17.

Apoſtolis, poſt ſacratiſſimam Virginem, primo gratiæ & charitatis gradu, donati fuerunt diuinitùs. p. 185. n. 66.

Appetitus noſter, eſt veluti coruus. p. 240. n. 26.

Appetitu qui ducitur, ſuam cæcitatem & perniciem non intuetur. ibid.

Appetitum ſequens, non poteſt ſequi Chriſtum. ibid.

Attributa diuinæ eſſentiæ. p. 21. n. 51.

Autoritas vetuſtatis, eſt dogmatibus examinandis, fidiſſima omnium coticula, in his præſertim quæ ad Chriſtianam religionem pertinent. p. 32. n. 92.

Auaritia, quid ſit. p. 30. n. 79.

B.

BAptiſmatis fontis mira pulchritudo. p. 119. n. 16.

Baptiſmus Chriſti, eſt baptiſmus omnium peccatorum. pag. 261. n. 33.

Baptiſmus, imago eſt mortis, & ſepulturæ Chriſti. p. 115. nu. 7. & 8.

Baptiſmus, quare non poſſit iterari. p. 120. nu. 24.

Baptiſmus Ioannis, quare dicebatur baptiſmus pœnitentiæ. p. 261. nu. 33.

Barbarus, quid ſignificet. p. 15. n. 38.

Bellum triplex, ab antiquo ſerpente cauſatum. pag. 234. n. 18.

Bellum publicum inter Chriſtianos, prorſus eſt refutandum, & propellendum. p. 287. nu. 49.

Benedictio Chriſtiani, qualis debeat eſſe. p. 283. nu. 41.

Benefactis certare debent Chriſtiani. pag. 286. nu. 48.

Gg

Beneficentia in Repub. maximè neceſſaria, Deoq; gratiſſima, debet eſſe ſimpliciſſima. p.277.n.21.
Beneficentia erga inimicos. p.286.nu.47.
Bona cœleſtia, vniuerſa bona cõprehendũt. p.235.nu 18.
Bona prouidere coram hominibus dupliciter contingit. p.286.nu.48.
Boni publici cura præ omnibus habenda. p.338.n..1.
Bonitas Dei eſt tanta, vt non permitteret malum, niſi prænoſceret aliquid boni inde venturum. p.61.n.20.
Bonum triplex. p 279.n.29.
Blaſphemia deteſtabilis Lutheranorum. p.26.n.61.
Brauium, quid ſit. p.301. n.35.

C.

CArnis contradictio aduerſus ſpiritum. p.146.n.55.
Caro peccati, Hebraiſmus eſt, pro caro peccatrix. p.159.n.13.
Cauſa obtemperandi magiſtratibus, quæ ſint. p.292. 293. 294. nu 4.
Charitas, idem eſt quod amicitia Dei, ob idq; indiuidua comes gratiæ. p.97 n.11.
Charitas, eſt prima noſtræ ſalutis cauſa, & initium habet in Deo. ibid.
Charitas quomodo dicatur diffundi in cordibus noſtris. ibid.
Charitas Dei ardentiſſima erga homines. p.98 n.12.
Charitas Dei. p.99.n.15.
Charitatis humanæ culmen in quo eſſe poteſt. ibid.
Charitas Dei ſtupenda. p.178.n.97.
Charitatis virtus & potẽtia. p.202.n.106. vſque ad fines c.8.n.205.
Charitas Chriſti ſola, fuit cauſa paſſionis martyrum. p.202.n.114.
Charitas innititur diuinæ potentiæ, cui nemo poteſt reſiſtere. p.205.n.128.
Charitas ipſa diligenda. p.279.nu.30.
Charitas exhibenda etiam inimicis. pag. 282.n.40.
Charitatis Chriſtianæ proprietas. pag.317. nu.29.
Charitatis ordo in eleemoſinarum largitione. p.281.n.38.
Chriſtus dominus eſt vnigenitus, & primogenitus à patre, & à matre. p.196.n.87.
Chriſtus dominus non eſt adoptiuus, vel adoptatus, ſed potius adoptator. p 172 n 40
Chriſtus dñs, & Spiritus ſanctus, poſtulant pro nobis, ſed differenter. p.200 n.104.
Chriſtus propter homines ſe ſubiecit morti cum eſſet dñs vitæ & mortis. p.120.n.21.
Chriſti ſancta ſocietas quid faciat in nobis. p.166.n.27.
Chriſtus dñs, vocatur lapis & petra per metaphoram. p.223.n.16.
Chriſtiani nomen, præclarius & illuſtrius eſt cunctis nominibus. p.10. n.21.
Chriſtianus homo, cũ filius Dei nominetur, & ſit, tenetur præ omnibus gloriam tanti patris ſemper in omnibus quærere. p.6.n.11.
Chriſtianorum dignitas, diuitiæ, & gloria. p.178.nu.45.
Chriſtianorum fœlicitas. p.132.n.10.
Chriſtiani ſegnes, & deſides exhortantur. p.154.n.3.
Chriſtianorum certamen, quale debeat eſſe. p.280.nu.33.
Ciborum diſcretio. p.305.n:3.4.
Circunciſio olim quid. p.54.55.56.
Circunciſio cordis, puritatem mentis ſignificat. p.55.nu 75.
Circunciſio præputij. data eſt in ſignum fœderis inter Deum & homines. ibid.
Circunciſio, nota erat iudaiſmi. p.56 n.2.
Circunciſio, ſignum fuit magnæ rei. p. 83. n.26. 27.
Circunciſio quibus cauſis fuerit inſtituta. p.84.85.n.30.
Clamor filiorũ Dei, quãtus ſit. p.174.n.42.
Clementia Dei erga omnem hominem quantũuis malũ, & peccatorem. p.27.n.61.
Cogitationes hominum quæ nunc ſunt occultæ, accuſabunt, aut deffendent eos in die iudicij Dei. p 48. n.44.
Concionatores aliqui, ſola forma ſcientiæ et veritatis contenti, verbis, non exemplo volunt docere alios. p.52.n.61.
Concionatoribus nõ licet iam ab Apoſtolorũ tẽpore, nouas expetere reuelationes. p.233. (n.17.
Concordia. p.284.n.42.
Concordiæ ſumma conſumatio. ibid.
Concordia fraterna, eſt irrefragabile teſtimonium fidei ſuſceptæ. p.338.n.40.
Concordiæ impedimenta. 285.n.44.46.
Concupiſcentia. p.135.n.24.
Confeſſio mortis Chriſti eſſet vana, niſi crederemus eum reſurrexiſſe. p.229 n.8.

Confeſſio triplex ad ſalutem neceſſaria. pag. 229.n.9.
Conſcientia erronea ligat. p.316.nu.28.
Conſcientia quid ſit. p.48.n.42.
Conſuetudo fuit Iudæis, nominibus nonnũquam appellari illarum gentium quibus ſeruiebant. pag.1.n.1.
Conſuetudo ſcripturæ notabilis. p.62.n.25.
Conſilia & præcepta Chriſti, ſunt pacis via. pag.64.n.37.
Contentio, quid ſit. p.31. n.83. & p.43. nu.21.
Contentio, & æmulatio. p.303. n.41.
Conuenientia, & differentia, inter nouum & vetus teſtamentum. p.77.n.82.
Corporis myſtici ſimilitudo, ad corpus animantis facta, in tribus poſita eſt. p.274 nu.20.
Cor impœnitens & induratum. pag.38. n.6.& 7.
Cor, ſit impœnitens dupliciter. ibidem.
Credere Deo, in Deum, & Deum, quid ſignificet. p.79.n.6.
Cupido per legem compreſſa, magis recrudeſcit. p.111.n.37.
Culpa Chriſtianorũ grauitas. p.100.nu.16.

D.

D*Effendere, quid ſignificet. pag.287. nu.12.*
Deffendere ſe vnuſquiſque, quando ſit licitum. ibid.
Dei effectus non ſunt cum Deo ſimilis naturæ & ſubſtantia, ſed diſſimilis. pag.20. nu.48.
Dei virtus, cognoſcitur in creaturis per viã efficientiæ. p.21.nu.50.
Dei vnitas, cognoſcitur ex mirabili huius mundi compoſitione. ibid.
Dei ſempiternitas, cognoſcitur ex eius immobilitate. ibid.
Dei pietas & miſericordia erga vniuerſum mortalium genus. p.23. n.54.
Delictum Adæ, fuit inobedientia. p.110. nu.36.
Delictorum venia, dicitur iuſtitia. pag.81. n.14.
Delictum Iudæorum. p.248.n.12.
Dæmones, in numero hoſtium ſunt habendi. p.300.n.30.
Deo quid tribuatur per viam excellentiæ. p.22.n.51.
Deo quid tribuatur per viam negationis. p.20. nu.49.
Deo, quo pacto nos exhibere debemus. p.121 n.29.30.31.
Detractor quid ſignificet. p.31.n.87.
Detractores, inuiſum hominum genus. p.64. nu.34.
Deus, dicitur pater hominum duplici iure. p.174. n.45.
Deus, non tam ſpeculatione nuda, quàm conuerſationis ſuauitate cognoſcitur. pag. 270.n.15.
Deus quaſi inuitus vindicat, qui in vitam, non in mortem, à principio conſtituit homines. p.38.
Deus infundit nobis habitum intellectus, quo inclinamur ad aſſenſum fidei. p.4.n.8.
Deus contulit Eccleſiæ ſua autoritatem infalibilem proponendi quæ credenda ſunt. p.4. n.8.
Deus perfectè animam noſtram inhabitat per fidem formatã charitate. p.18.n.44.
Deus innoteſcit nobis per creaturas non ſecundum naturam & ſubſtantiam ſuam, ſed ſecundum potentiam qua eſt rerum effector. p.20.nu.48.c.1.
Deus operatur extra ſe tãquam vnus. ibid.
Deus non dicitur diuinus. p.21.n.13.
Dies iræ, qua dicatur. p.39. nu.9.
Differentia notabilis inter tempus antiquæ & nouæ legis. p.154.n.2.c.8.
Dilectio Dei eſt æterna. p.214.n.24.
Dilectio, electio, prædeſtinatio, differunt ratione. ibid.
Dilectionis mutua debitum, nuſquam perſoluitur. p.298. nu.25.
Dilectio proximi. ibid.
Diliges proximum tuum ſicut teipſum, exponitur. p.300. n.31.
Dilectio inimicorum, quando ſit in præcepto. p.283. n.40.
Diſcretionis virtus. p.269. n.9.
Diſcrimen inter peccata carnalia & ſpiritualia. p.28. nu.67.
Diſcrimen inter fidem, & humanas diſciplinas. p.9. n.18.
Diſcrimen inter animam & corpus. p.121. nu.28.
Diſsidium inter Chryſoſtomum, & Auguſt. p.238. n.22.
Diuinitas quid ſit, & in quo differat à deitate. p.21. n.51.

Diuinum, quid ſit. p. 21. n. 51.
Doctrina ſacra ſcriptura. p. 324. n. 6.
Dolor p. 106. n. 5.
Dolus, quid ſit p. 31. n. 84.
Dominica die non ieiunatur. p. 310. n. 13.
Dubius intellectu, non quieſcit. p. 51. n. 52.
Duellum. p. 289. n. 51.
Duo ſunt ad aſſenſum fidei neceſſaria. p. 4. nu. 8.

E.

Ebrietas. p. 303. n. 39.
Eccleſiæ munus. p. 5. n. 8.
Eccleſiæ Dei lamentabilis deuaſtatio. pag. 233. nu. 7.
Elatio, eſt filia ſuperbiæ, & quid ſit. p. 31. n. 91.
Electi, ſunt partes nobiliſſimæ vniuerſi. p. 193. n. 80.
Eleemoſinas diſpenſandi munus digniſſimũ. p. 335. n. 29.
Eleemoſina ferè connexas habent rationes conſilij & debiti. p. 335. n. 31.
Eloquentia ſanctorum. p. 11. n. 25.
Error tam antiquorum quàm modernorum hæreticorum, circa cultum imaginum. p. 25. n. 59.
Error quorundam circa concupiſcentiæ motum. p. 155. n. 3.
Error Lutheranorum circa idem. ibid.
Error circa certitudinem gratiæ. pag. 175. vſque. 178 nu. 44.
Errores Manichæi, Pelagij, & qui vulgò aſcribitur Origeni p. 313. n. 23.
Euangelium eſt idem quod bonum fauſtũq; nũtium. p. 2. nu. 4.
Euangelij Dei nominatio, magnam ſecum affert maieſtatem. p. 3. n. 4.
Euangelij autoritas commendatur à Paulo quinque modis. p. 3. 4. 5. nu. 5. 6. 7. 8. 9.
Euangelium Dei, ſumi poteſt tripliciter. p. 5. n. 9.
Euangelium, dicitur lex ſpiritus vitæ. pag. 156. nu. 4.
Excellentia diuina ſapientia. p. 264. n. 37.
Excuſatio in peccatis, damnabilis. p. 128. n. 32. 33.
Exordium ſalutis noſtræ à dilectione Dei ſumitur. p. 10. n. 23.
Ex ſemine Dauid, ait Paulus, quod factus eſt homo filius Dei, vt in hoc ſpem daret veniæ peccatoribus. p. 6. nu. 12.

F.

Factores legis qui dicantur. p. 46. n. 35.
Fides eſt Chriſtianæ religionis fundamentum, & huius epiſtolæ argumentũ. p. 2. nu. 29.
Fides eſt radix ſalutis, iuſtitiæ, & vitæ noſtræ. p. 17. nu. 44.
Fides, importat aſſenſum quendam cum certitudine, ad id quod non videtur, ex voluntate. p. 18. nu. 44.
Fides, in quo differat à dubitatione, opinione, & ſcientia. ibid.
Fides habitus qui ſine charitate erat informis, eſt idem numero cum ſit virtus adueniente charitate. ibid.
Fidei ſubſtantia non mutatur per aduentum vel receſſum charitatis ibid.
Fides Chriſtiana, non damnat naturalem noſtrum appetitum gloriæ, & honoris, aliorumq; bonorum, ſed oſtendit vnde ſint expetenda. p. 41. nu. 17.
Fides ſiue implicita, ſiue explicita, ſemper fuit radix, & fundamentũ iuſtitiæ Dei. p. 46. nu. 35.
Fides, pro fidelitate & conſtantia aliquando ſumitur. p. 58. nu. 11.
Fides Marci reguli, inde illuſtrior fuit, quod hoſtibus ſeruata eſt. p. 60. n. 16.
Fides, neceſſaria ad placandum Deum. p. 72. nu 62.
Fides dicitur lex, propter vim quam habet directiuam. p. 75. n. 74.
Fides Abrahæ. p. 79. n. 7 & 8.
Fides interna, eſt primum quo iuſtificamur ex impijs. p. 229 n. 9.
Fide mortis Chriſti, propitiabatur olim Deus, ſicut & nunc propitiatur nobis. p. 73. nu. 64.
Fidei prima diuulgatio non oportuit per ſapientes mundi fieri. p. 233. n. 17.
Filij ſpirituales, quomodo generãtur. p. 170 nu. 38.
Filius Dei, eſt materia iucundiſſima et mirabilis euangelij Dei, cui ineſtimabilem confert dignitatem & ampliſſimam autoritatem. p. 3. n. 4.
Finis hominis, qui ſit. p. 127. nu. 56.
Fœlicitas quæ tantum eſt apud homines, inanis eſt prorſus, & falſa. p. 78. n. 3.
Fornicatio propriè ſumpta, ſignificat concubitum cum meretricibus. p. 30. n. 78.
Fruitio, quid ſit. p. 127. n. 56.

G.

GAudendi, & gratulandi, laudandiq; verus modus. p.124.n.38.
Gentiles ſi feciſſent quod in ſe eſt, Deus illis non deeſſet. p.19.nu 45.
Gentiles cognouerũt Deum dupliciter. pag. 22.n.54.
Gentiles fuerunt inexcuſabiles, ibid.
Gentiũ ſtultitia, & cæcitas. p.24.n.58.59
Gladius. p.295.nu.16.
Gloria, quid ſit. p.42.nu.18.
Gloria Chriſtianorum. p.95.n.5.6.
Gloria futura commendatur à Paulo, vt præſentes preſſuras facilius toleremus. p.181. n.49. vſque ad n.69.
Gloria Dei magna. p.70.n.52.c.3.
Gloria diuinitatis Chriſti, non impediuit infirmitatem carnis, nec infirmitas carnis diminuit maieſtatem Dei. p.6.n.14.
Gloria inanis. p.252.n.17.
Gradus dignitatis quadruplex in hominib⁹. p.47 n 39.
Gratia Chriſti, ſumma iuſtitia. p.108.n 28
Gratia mirabilis eſt noſtra iuſtitia. p.71. nu 54.
Gratia operans, & cooperans. p.8.n.9.&10
Gratiæ facultas & ingenium. p.118.n.15.
Gratiarum actio, & beneficiorum poſtulatio, per Ieſum Chriſtum tanquam per mediatorem, debet fieri, & optari. p.12 nu.27.
Gula. p.303.n.38.

H.

HEliæ & Enoch prædicatione circa finẽ mundi, conuertendus eſt ad fidem populus Iudæorum. p.257 n.29.
Hæredes bonorum Dei erunt cum Chriſto, omnes qui in hoc mundo fuerint ſocij paſſionum eius. p.180.n.47.48.
Hæreditas filiorum Dei, qualis ſit. p.179. nu.46.
Hæreditas filiorum Dei, quomodo contingit. ibid.
Hæretici, vnde adoriantur bellum de iuſtificatione contra catholicos. p.16.n.42.
Homicidium, præcipuum nocumentum proximorum, & eſt duplex. p 3.n.81.
Hominis duplex pars per nouitatem reformanda. p.270.n.12.
Hominis interioris, & exterioris diſcrimẽ. p.147.n.64.
Hominis interioris, & exterioris diuerſa voluptas. ibid. n.65.
Hominis peccatoris infœlicitas, & verè lamentabilis calamitas, à peccato proficiſcitur. p.152.n 67.
Homo ſine fide Chriſti agens, miſer eſt & miſerabilis. p.58 n.68.c.1.
Homo poteſt Deo dici inimicus dupliciter. p.101.n.17.
Homo, quare dicatur ſeruus iuſtitia, aut peccati. p.128.n. 56.
Homo ex operibus ſuis non poteſt ſibi arrogare vllam laudis portionẽ. p.265 n.vlt.
Honeſtatis pulchritudo, in quo conſiſtit. p.304.n.45.
Honor, quid ſit. p.42.n.19.
Honor eſt præmium virtutis, ibidem.
Honorat princeps ſuos ciues præmiando, & principem honorant ciues reuerẽdo. ibid.
Honor ſanctorum qualis ſit, ibid.
Honor futuræ vitæ, in quo differat ab honore præſentis vitæ. ibid.
Honor legitimus qui dicatur. ibid.
Hoſpitalitas. p.281 n.39.
Hoſtia corporis noſtri, ad hoc vt ſit Deo grata, quas conditiones debeat habere. p.268 n.6.7 8.9.
Humilitas Chriſti. p.326.n.9.c.15.

I.

IActantia gẽtium cohibetur. p.259.n.38.
Idololatria eſt ſacrilegium. p.13.nu 64.
Idololatriæ occaſio, vnde & à quibus initium ſumpſit p.24.nu.49.
Idololatria quo tempore cœpit in Italia. p.28 nu.50.
Idololatriæ pœna iuſtiſſima. p.26.n 60.61.
Immortalitas & gloria virorum ſpiritualiũ. p.369, nu.36.
Incarnationis myſterium fuit opus Spiritus ſancti. p.5 n.10.
Inclinatione hominis mala vtitur Deus tum ad alios bonos fines, tum etiam ad manifeſtandum iuſtitiam & potentiam ſuam. p.216 nu.30.
Incompoſiti qui dicantur. p.32.n.91.
Induere Chriſtum, quid ſit. p.304.n.42.
Infidelium actiones. p.322.n.40.
Infidelium pœna. p.44. nu 26.
Infidelitas eſt radix omnis mali. p.19.n.45.
Infidelitatis ſtatus, quare Apoſtolus faciat frequenter mentionem. p.101.n.17.
Infirmus in fide, aut in virtute, quomodo ſuſcipiendus. p.303.n.2.

Ingens dignitas humanæ naturæ, poſtquam filius Dei factus eſt homo. p.6.n.10.
Ingratitudinis triplex gradus. p.36.n.4.
Ingratitudo p. 312.n.16.
Iniquitas, generale nomen eſt ad omne malum p.30.n.76.
Inobedientia, prima ſcintilla inferni quæ in hunc mundum intrauit. p 111.n.40.
Inobedientia auditorum Euangelij.p.236. n.19.
Inſipientes,qui dicantur.p.32.n 94.
Inſitio ſpiritualis. p. 253.n.18.
Inſcitiæ cauſa multiplex p 52.n 57.58.59 (60.
Inutile quid dicatur. p.63.n.28.
Inuidia quid ſit, & vnde dicatur, & cuius mali ſit cauſa. p 30 n.81.
Inuidia diaboli de morte Chriſti. p.99.n.15.
Inuentio nouarum, ſuſpitione non caret. p. 32.n.92.
Ira Dei, eſt omne malum. p. 18.n.45.
Iſraelita, nomen inſigne.p 268.n.8.
Iudæi ſunt ſeminarium Chriſtianorum p.4.n 8.
Iudæis fuit triplex honorificentiæ nomen. p.51.n.50.
Iudæi nomen, fuit olim celebre inter gentes. ibidem.
Iudæorum error. p. 68.n.48.
Iudæorum delictum. p 248.n.12.
Iudæorum caſus non eſt irreparabilis.p 249 nu. 14.
Iudæi, cur dicantur naturales rami.p.254. nu. 20.
Iudæorum error circa legem veterem.p 130. nu. 1.
Iudæis ad fidem conuerſis durum erat audire mortem ſuæ legis p.132 n.9.
Iudæi neſciebant iuſtitiam quia ignorabant Chriſtum. p.227.n 4.
Iudæorum crudelitas. p.243.n.5.
Iudæorum miſeria. p.246.nu.11.
Iudicare pro condemnare. p.308.n.7.
Iudicium iniquum, & temerarium eſt maxime cauendum. p.31.n.1.
Iudicium temerarium, dupliciter committitur. ibid.
Iudicium Dei iuſtum & verum. p.35.n.2.
Iudicium Dei, nemo poteſt effugere. p.35. nu 3.
Iudicium in iuramento, ſumitur pro diſcretione & prudentia. p.13.n.31.
Iudicium temerarium, maxime vitandum. p.308.n.7.8.9.10.
Iuramento non eſt vtendum tanquam quodam bono & per ſe appetibili. p.13.n.31.
Iuramentum habens ſuos comites eſt honeſtum religionis officium ad Dei cultum pertinens. p.13.n.31.
Iuramentum vt ſit licitum, debet habere tres comites, nempe, iudicium, veritatem, & iuſtitiam. ibid.
Iurandi duplex modus. ibid.
Iuramentum Pauli eſt omnibus ſuis circumſtantiis veſtitum & decoratum. ibid.
Iuſtitia quandoque ſumitur pro toto virtutis genere, quod vniuerſam probitatem comprehendit. p.17.n.43.
Iuſtitia Dei, in quo differat à iuſtitia hominum. ibid.
Iuſtitia Dei eſt noſtra ſalus. ibid.
Iuſtitia Dei latuit mundum ante aduentum Chriſti, & ideo procul abfuit mundus a ſalute. ibid.
Iuſtitia Dei reuelatur in Euangelio, & qualis ſit. ibid.
Iuſtitia Dei in die iudicij, clarior cunctis aſtris apparebit. p 59 n 15.
Iuſtitia Dei, id eſt, iuſtificatio tripliciter manifeſtata eſt. p.67 n.46.
Iuſtificationis ratio declaratur. p.68.69.70
Iuſtificatio peccatoris, cedit in gloriam Dei, p.70.n.51
Iuſtitia Chriſti, fuit quædam mira beneuolentia. p 140. n 56.
Iuſtitiæ fidei, & legis, comparatio. p.228. nu 6.
Iuſtæ conditionum vna eſt, vt ſciens operetur. p.226.n.2.

L.

L*EX, quid ſit. p 47 nu 37.*
Lex multifariam ſumitur. p 65 n 3.
Lex vnde dicatur, & quid ſit. p.6.nu.42.
Lex priſcorum theatrum quodam fuit. p.62 nu 47.
Lex eſt norma, & vis operum, & quicquid rationem habet, poteſt per metaphoram dici lex. p.25.n.74.
Lex mentis, dicitur vis mentis ad optima tendens ibid.
Lex membrorum, eſt carnis illecebra & cupido. ibid.
Lex fidei vna, eſt lex quæ habet charitatem. ibid.
Lex tam naturalis quam ſcripta, eſt m…

&

& linea voluntatis Dei. p.88. nu.37.
Lex non donat peccata, ſed damnat. pag. 85. nu.38.
Lex ſtudioſis hominibus non fuit occaſio mali, ſed plurimi potius cauſa boni: peruerſis vero occaſio fuit augendi maiora peccata. p.112. nu.37.
Lex Moyſ, quare dicebatur lex mortis. p.133. n.19.
Lex Moyſi ſpiritualis, ſed Euangelium lex ſpiritus dicitur. p.141. n.46.
Lex quid ſit. p.148. nu.65.
Lex omnium prima, eſt lex æterna, & quid ſit. ibid.
Lex naturalis quid ſit. ibid.
Lex humana, & diuina. ibid. p.150.
Lex fomitis quid ſit. ibid.
Lex humana permiſſiua malorum. ibid.
Lex iniqua. ibid.
Lex mentis contraria legi membrorũ. ibid.
Legis munus eſt oſtendere animum & voluntatem legiſlatoris. p.62. n.54.
Legis virtus quæ ſit. p.68. n.42.
Legiſlatoris intentio. p.88. n.36.
Legis munus per ſe, eſt quid ſit rectũ, quidue prauum oſtendere. p.135. n.23.
Legis Dei bonitas & æquitas. p.140. n.45.
Legis naturalis primum & ſecundum præceptum, & quæ deducuntur ex illis. p.148. nu.66.
Legiſlatoris intentio. p.156. n.4.
Libertas vera quæ dicatur. p.126. n.53.54.
Libertas Chriſtiana. p.157. nu.6.
Libido effrenata, modum ſeruare non nouit. p.29. nu.72.
Lignum Paradiſi plantatum in anima noſtra, eſt gratia ſpiritus ſancti, fructus autem eius ſunt charitas gaudium, pax. p.10. nu.23.

M.

M*Ahometani ſunt fœdifragi. pag.32. n.97.*
Malignitas opponitur benignitati, & quid ſignificet. p.31. n.85.
Malis tolerandis roboratur tolerantia virtus. p.56. n.7.
Malitia eſt quædam peruerſitas qua quis ſciens & prudens, data opera, male agit. p.30. nu.77.
Malum quorundam in ſocietate exiſtentiũ, non abolet bonum aliorum. p.38. nu.11.
Malorum & bonorum duo ſunt fontes. p.110. n.35.
Marcioniſtæ, & Manichæi hæretici diffamabant legem tãquam malam. p.139. nu.40.
Martyrem non facit pœna, ſed cauſa. pag. 202. nu.314.
Matrimonij leges. p.130.131. n.3.4.5.6.7.
Mendacium quid ſit. p.27. n.6.
Mendacium dicitur idolum. ibid.
Mentiri. p.206. nu.1.
Mira ſapientia Pauli. p.4. n.8.
Miſericordia exhibenda eſt omnibus miſeris. p.98. n.32.
Miſericordiæ ſplendor, eſt hilaritas mentis & vultus alacritas. p.278. n.27.
Miſericordia Dei quamuis in ſe ſit infinita, confert tamen illam nobis Deus, ſicut & pleraq; alia, in numero, pondere, & menſura. p.30. n.9.
Miſericordia & iuſtitia, in morte filij Dei pro nobis crucifixi, inueniuntur integræ. p.73. nu.65.
Miſsio, quid ſignificet. p.159. nu.1.
Myſteria duo notanda in Abrahã, & Sara. p.91. nu.50.
Mors, effectus peccati. p.105. nu.21.
Mors corporalis, pœna hominibus conſentanea. p.107. nu.26.
Mors ſecunda, dicitur pœna inferni. p.109. nu.33.
Mors in homine dominatur, non ſolum dum moritur, ſed etiam dum viuit in hoc mũdo. p.119. n.21.
Mors, ſtipendium peccati. p.128.
Mors Chriſti fuit cauſa meritoria, efficiens, & exemplaris noſtræ iuſtificationis. p.93. nu.55.
Mori peccato, vel peccatum mori alicui, quid ſignificet. p.115. n.3.
Morti fructificare, quid ſit. p.135. n.17.
Mortificando carnem viuit ſpiritus, & econuerſo. p.168. n.35.
Modus qui ſeruandus eſt in reprehenſione. p.34. n.1.
Mundi cultorum conſuetudo. p.271. n.14.
Mundus nũquam omnino caruit filijs Dei. p.171. nu.39.

N.

N*Equitia quid ſit. p.30. nu.80.*
Nihil dignius creatori, quam ſua creatura.

tuæ curare ſalutem. p.16. nu.41.
Nobilitas quid ſit in Repub. p.289. n.53.
Non eſt dignus beneficia conſequi, qui pro acceptis gratias non agit. p.11.n.25.
Non ſunt facienda mala, vt veniant bona, quomodo intelligatur. p.62.n.21.
Notabiles, inter omnes nationes, Iudæorum cura, circa cuſtodiam ſuæ legis. p.4.n.8.
Nox quæ aduentum Chriſti præceſſit. p.300. n.34.

O.

Obedientia habet locum circa fidem. p.9.n.16.
Obedientia, & inobedientia. p.110.n.36.
Obedientia fidei debet eſſe libera, non coacta. p.124. n.39.
Obedientia, initium eſt & caput totius diſciplinæ quæ in moribus inſtituendis poſita eſt. p.291.n.1.
Officia hominũ quibus cauſis corrupta ſint. p.278.n.28.
Omnibus quibuſcunque nationibus debetur Euangelica prædicatio. p.15. n.38.
Opera peccatorum, quare dicãtur tenebrarum opera. p.302. nu 36.
Orandi modus. p.188.n.74. vſque ad nu. 80. excluſiuè.
Oratio. p.281.n.37.
Oratio Chriſtianorum, quantum valeat. p.337.n.39.
Oratione conſummanda ſunt omnia. p.328. n.14.
Orationis ſuffragiũ, in omnibus neceſſariũ. p.25.n.7.
Ordo quo quis vocatur in ſalutem. p.231. vſque ad p.234.
Ordo conuerſionis Iudæorum, ac gentium. p.257.n.18.
Originale peccatum delebatur in circunciſione. p.86.n.31.
Originalis peccati multa notanda. p.101. vſque. 104.n.19.
Originali culpa, tantum proiecti ſumus à facie Domini, nunquam amplius eum viſuri, quæ dicitur pœna damni, grauis & acerbiſſima. p.108.n.30.

P.

Pace militiæ Chriſtianæ vnuſquiſq; ſuo iure contineatur, alienum ne violet. p. 10.n.23.
Pacem amittendi vitanda eſt occaſio in omnibus ſeu dictis, ſeu factis. p.12.n.28.
Pacis via eſt gratia, quæ eſt radix meritorum prima. p.10.n.23.
Paganorum cæcitas. p.16.n.41.
Paſſio Chriſti, quomodo operatur in baptiſmo. p.261.n.33.
Paſſio ignominiæ, quæ dicatur. p.28.n.67.
Pater æternus in magnam ſpem venturi filij miſit mundum, ingentiq; affecit cupiditate videndi, quem maiori venientem alacritate, & obſequio exciperet. p.5.n.9.
Patientia pro perſeuerantia in bono opere. p.41.n.15.
Paulus Apoſtolus fuit binomius. p.n.1.
Paulus componit litem inter Iudæos et Gentiles. p.326. n.9.
Paulus nũquam venit in Hiſpaniã. p.333. n.28.
Paulus petit orationis ſuffragia. p.336. nu.35.
Pauli charitas admirabilis. p.207. n.7.
Pauli vrbanitas. p.328 n.15.
Pauli prudentia p.330.n.20.
Pauli maxima itinera & labores in prædicando euangelio. p.33 .n.23.24.
Pauli catena. p.336 n.34.
Pax eſt habitus ſedati animi atq; a cupiditatibus. ac deſideriorum fluctibus pacati. p.10 n.23.
Pax eſt optimus gratiæ fructus. ibid.
Pax beatorum eſt illa cœleſtis quæ exuperat omnem ſenſum. p.11.n.23.
Pax & concordia vt conſtet inter Chriſtianos, quædam diſſimulanda ſunt, quædam ferenda, quædã benignius interpretanda. p.305.n.2.
Pax eſt ordo tranquillus, vel ordinata trãquillitas. p 44.n.27.
Pax Chriſtiana duplex. p.235.n.18.
Pax conſtare non poteſt, ſi ſuum quiſque dolorem pergat vlciſci p 287.n.50.
Pax tãquam pretioſa margarita, eſt nobis à Chriſto in teſtamento relicta. p.338. nu.40.
Pax, maximè ſectanda p.300.n.34.
Peccatum quomodo ſit cauſa alterius peccati. p.26 27 nu.61.
Peccatum cum ſit voluntarium, quomodo poſſit eſſe in pœnam alterius peccati. ibid.
Peccatum nefandum, quod eſt grauiſſimũ inter peccata carnalia, coniũctum eſſe cũ

idolo-

idololatria, quaſi peculiarem eius vltionē. p.29.n.73.
Peccati nefandi grauitas. ibid.
Peccatum nefandum vbi viguit. ibid.
Peccatum, quid ſit. p.60. nu. 203.
Peccatum originale dicitur iniquitas. pag. 82.nu.18.
Peccata condonata, quomodo dicantur tegi in die illa vniuerſalis iudicij. p.82.n.19.
Peccatum quid ſit. p.135. nu.23.
Peccati deformitas, & ſeductio. pag. 120. nu. 26.
Peccatum, pro cōcupiſcentia. p.137.n.27.
Peccati & hominis ſtatus ante legem. pag. 137.n.31. 32. 33.
Peccati & hominis ſtatus poſt legem. pag. 138.nu 34.35.36.37 38.30.
Peccati ingens pondus. p.152.nu.67.
Peccatum damnari de peccato, quid ſignificet. p.160.nu.14.
Pedes recti, qui dicuntur. p.235.n.18.
Pedibus nudis cur Apoſtolis iubentur ire ad prædicandum. p.236.nu.18.
Pharao, exemplum reprobatorum. p.215. nu.29.
Phariſæus quid ſignificet. p.3. nu.4.
Phraſis græca vtitur genitiuo pro ablatiuo, quo caret. p.7.n.16.
Phraſis Hebraica notanda. p.43.n.21.
Phraſis hæc, credere in Deum, quid ſignificet. p.80.nu.11.
Philoſophi, quo pacto Deum cognouerunt. p.21.nu.51.
Peierare, eſt ſacrilegium. p.13.n.31.
Pelagianorum hereſis. p.145.
Perfectio duplex. p.144. nu.57.
Perfecti debent ſuſtinere imbecillitatem infirmorum, & placere proximis. p.323. nu.1.2.3.4.
Perficere, pro perſeuerare vſque in finem. p.145.nu.59.
Peruerſi in Deum, omnia peruerterunt idololatra. p.29. nu.71.
Potentia Dei maxima, in triplici operum genere oſtenditur. p.218. n.37.
Pœnitentia, ſecunda tabula poſt naufragiū. p.120. n.24.
Pœnitere in Deo quid ſit. p.260. n.33.
Prædeſtinatio quid ſit. p.219.n.41.
Prædeſtinatio quid importet. p.214.n.24.
Prædeſtinationis ſcopus & finis ſupremus. p.195. nu.85. 86.
Prædeſtinatio, & præſcientia, cauſa ſunt æterna, vocatio, iuſtificatio, & magnificatio, temporales effectus prædeſtinationis. p.196.nu.88.
Prædeſtinationis myſterium declaratur in paruulorum Iacob & Eſau, exemplo. pag. 213. n.23.
Prædeſtinatio & præſcientia, in quo conueniunt, & differunt. p.194. n.84.
Prædeſtinatio Chriſti, in quo differat à noſtra prædeſtinatione. p.6.n.14.
Prædeſtinatio quomodo poteſt atribui perſonæ Chriſti. p 6. n.14.
Prædeſtinatus eſt Chriſtus dominus quatenus homo, vt caput noſtrū eſſet, nos verò Chriſtiani vt eſſemus eius membra. pag. 7.n.14.
Prædeſtinatus eſt homo Chriſtus Ieſus, ad ea patranda quæ ad noſtram ſpectant ſalutem. p.7.n.15.
Præfecti Eccleſiæ quomodo debeāt ſuos corripere ſubditos. p.11.n.24.
Prælatorum munus. p.14. nu. 32.
Prælium inter ſpiritū & carnē. p.152.n.67.
Premium fidei magnum. p.87. n.32.
Principum ſolertia atque prudentia eſſe debet, aptos, idoneosq; explorare, quibus magiſtratus fidant. p.9.n.17.
Priuilegia Iudaiſmi. p.57.c.3.
Probatio quæ ſolùm eſt ex cauſa materiali, non eſt ſufficiens. p 74. n.55.
Prophetia quid ſit. p.275.n.21.
Prophetia in quo conſiſtit propriè. ibid.
Prophetia poteſt etiam accipi pro ſcientia Theologiæ ibid.
Prophetia duplex genus. p.58.n.14.
Prophetarum mos. p.242.n.5.
Propheta & Apoſtolus, in quo differant. p.275.n.21.
Propitiatoriū veteris teſtamenti. p.72.n.61.
Prouerbium, feſtina lente, exponitur. pag. 102.n.20.
Proximus quis ſit. p.299.n.30.
Proximi dicuntur etiam Angeli. ibid.
Proximus nunquā contēnendus. p.312.n.21.
Proximi non ſunt laudandi, niſi in his quæ ad virtutem pertinent, & tunc quidem non homines ipſi, ſed præcipuè bonorum omniū largitor laudandus eſt. p.11.n.25.
Prudentia vnde dicatur, & quid ſit. pag. 102. nu.20.
Prudentia munera. ibid.

Prudentia ſpiritus, & carnis. ibid.
Prudentia carnis, & prudentia ſpiritus, effectus. p.163. 164.
Prudentia ſimplicitati columbinæ adiuncta, pretioſior eſt, ſerpentis verò malignitati, pernitioſior. p.343. nu.40.
Prudentiſſimè conſultum à Deo mortalium generi fuit, vt euangelica prædicatio, miraculorum ſignis confirmaretur, licet internus aflatus Spiritus ſancti efficax eſſet. p.9. n.18.
Pudor cum defuerit mulieribus, omnia erũt impudica. p.29. n.69.
Pugna carnis contra ſpiritũ. p.144 n.57.
Puſillanimitas cauenda. p.272. nu.18.

Q.

QVæritur à Paulo de iuſtitia prædeſtinationis, & reprobationis. p.214. n.25
Quæſtio in perſona impij. p.216. nu.3c.
Qui nequit tolerare moram Dei, caret fortitudine & conſtantia. p.225. nu.57.
Qui credit in Chriſtum, non confundetur. p.224. n.57.

R.

REbecca ſterilis. pag.212. n.22.
Rectum Dei iudicium contrà peccatũ. p.160. nu.15.
Redemptio quid ſit. p.71. n.56.
Redemptio Chriſti, fuit plena et perfecta ſatisfactio. p.71. n.56. 57. 58.
Regia poteſtas. p.293. n.4.
Reges terræ debent eſſe pacis maximi amatores, nam vices gerunt Chriſti, qui princeps pacis dicitur. p.287. n.49.
Regibus & Principibus ſuis, debent ciues reddere timorem, & honorẽ. p.297. n.23.
Regum ac Principum munus & officium. p.294. n.12.
Reges & Principes tripliciter peccare poſſunt accipiendo tributa. p.297. n.21.
Regnare peccatum, quid ſit. p.113. n.37.
Regni cœlorum ianuam, cur voluerit Dominus tot ſeculis eſſe clauſam. pag.73. n. 67. 68. 69. 70.
Regni peccati initium & conſummatio. p.121. nu.28.
Regnum Dei, non eſt eſca & potus. p.318. nu 32.
Regnum duplex, mortis ſcil. & vitæ. pag. 105. n.31. 32. 33.
Religioſi iuxta Cic. à relegendo dicti ſunt. p.3. n.4.
Reprobatio, quid ſit. pag.219. nu.41.
Reprobatio, quid importet. p.214. nu.24.
Reprobus ſenſus, quid. p.30. nu.74.
Reſurrectio animæ. p.116. nu.16. & 11.
Reſurrectio, terminus mortis. p.312. n.20.
Romani commendantur à Paulo, quia fidẽ ſuſceperant. p.12. n.29.
Romani vocabant ditionem ſuam, vniuerſum orbem, quo latiſſimè patere ſignificarent. p.12. n.30.

S.

SAlutationes Pauli notandæ. c.16.
Salutis noſtræ cauſa triplex. p.72. n.59.
Sacramenta nouæ legis ſunt inſtrumenta paſſionis Chriſti. p.156. n.4.
Sacramenta Eccleſiæ, ſunt vitæ inſtrumenta. p.158. n.6.
Sacrificium viſibile quid ſignificet. p.267. nu.4.
Sacrilegium eſt ſacrorum violatio, & contaminatio. p.53 n.64.
Sanctificatio Spiritus ſancti quando incepit copioſius. p.7. n.16.
Sancti dicebantur omnes Chriſtiani tempore primitiuæ Eccleſiæ. p.10. n.22.
Sanctum, quid ſignificet. p 10. n.16.
Sancti ſunt Dei opus magnificum. p.197. nu.90.
Sancti in reſumptis corporibus glorioſis, genua flectent gaudentes coram Deo. p.314. nu.24.
Scandalum. p.136. n.26.
Scandali proximorum prohibitio. p.314. nu.27.
Scandalum quid ſit, & quotuplex. ibid.
Scriptura ſacra cum ſit à Spiritu ſancto cuſtodita & conſeruata, nihil in ea falſi inueniri poteſt. p.5. n.8.
Scripturæ ſacræ intellectus, ex actibus ſanctorum ſumitur. p.12. n.31.
Scripturarum vſus. p.76. n.79.
Seculum, quid ſit, & quotuplex. p.270. n.11.
Sententia gratiſſima, & veriſſima Pauli, pro veris Chriſti ſeruis. p.154. n.1.
Sententia Aug. qua dicit, Euangelio non crederem, &c. exponitur. p 4. nu.8.
Serui Ieſu Chriſti ſumus omnes Chriſtiani multis de cauſis. p.1. n.2.
Seruus dici Ieſu Chriſti, eſt ingens dignitas. p.2. n.2.
Seruitus peccati. 141. nu.47. vſque.52.

Seueritas iuſtitiæ Dei. p.73.n.64.
Sicut corpus viuit per animam vita naturali, ita anima viuit per Deum vita gratiæ. p.18.n.44.
Solicitudo magiſtratuum. p.277.n.26.
Spes, quid ſit. p.186.n.71.
Spes abſque bonitate, non verè dicitur ſpes, ſed præſumptio. p.97.n.9.
Spes Chriſtiana non poteſt fallere. ibi.n.10.
Spei Chriſtianæ fortitudo. p.101.nu.17.
Spes mercedis licet ratione dilationis affligat animam, tamen ratione certitudinis, gaudium parit. p.280.n.85.
Spiritus ſanctus ab Apoſtolorum tempore, abſq; corporeis antiquorum inſtrumentis cuſtodit integrã fidem ſcripturarum, per autoritatem Eccleſiæ. p.4.n.8.
Spiritus ſanctus infundit nobis habitũ intellectus, quo inclinamur ad aſſenſum fidei. ibi.
Spiritus ſanctus quomodo adiuuat imbecillitatem noſtram. p.188.n.73.
Spiritualia miniſtrantibus debentur ſumptus. p.335.n.32.
Studia humana declarant, qualis vnuſquiſq; homo ſit. p.162.n.19.
Superbire quid ſit. p.31.n.90.
Suplicia & flagella quomodo poſſint eſſe ſatisfactoria patienti. p.295.n.17.
Supremum ſpiritus ſanctificantis opus, erit generalis & vltima mortuorum reſurrectio, in qua manifeſtabitur clariùs Chriſti virtus ſanctificandi, in quam prædeſtinatus eſt. p.7.n.16.
Suſurro quid ſignificet. p.31.nu.86.

T.

TErra viuentium gloria. p.169.nu.37.
Theſaurus verus Chriſtianorum. p.97. nu.8.
Theſaurus malorum quæ ſibi congregat impius. p.43.n.23.
Theſaurizare iram, quid ſit. p.38.n.8.
Theſaurizandi modus triplex. ibid.
Teſtamentum. p.259.n.51.
Timor, quotuplex ſit. p.170.n.39.
Timore Dei carere, eſt principium malorum omnium. p.64.n.28.
Tranſgreſſio legis cuius mali ſit occaſio videntibus. p.53.n.65.66.67.
Tres patres in lege celebratiſſimi. p.211.n.1.
Tria in lege mãdatorum genera. pag.209. nu.13.
Tria ſunt ad meriti perfectionem neceſſaria, ſcil. perſeuerancia, bonitas operis, & rectitudo intentionis. p.41.n.16.
Tribulatio iuſtorum in hac vita, quomodo diſtinguatur à tribulatione iniquorum. p.44.n.23.
Tribunal. p.313.nu.21.
Tributum. 296.
Triſtitia ſancta. p.206.n.4.
Triſtitia mundana. ibid.
Triſtitiam Stoici ab animo ſapientis propellebant. ibid.

V.

VAnum, quid dicatur. p.23.n.55.
Vanitas gentium. p.24.n.57.
Vanitatis effectus ſtultitia eſt. p.24.n.58.
Verbum Domini apud Math. Ego dico vobis, nolite iurare omnino, quo pacto ſit inteligendum. p.12.n.31.
Veritas catholica circa iuſtificationem, quænam ſit. p.16.n.42.
Veritas ex ſe tendit in eum à quo procedit. p.19.n.45.
Veritatem Dei in iniuſtitia detinere, quid ſit. ibid.
Veritas & bonitas vniuſcuiuſq; rei, vnde ſit æſtimanda. p.56.n.77.
Veritatis cauſa et regula, eſt intellectus Dei. p.58.n.13.
Videre filium Dei carne noſtra indutum, videtur omnium maximum miraculorũ. p.5.n.9.
Vincere benefactis, pulcherrimum eſt: ſed malefactis certare, turpiſſimum. p.290. n.55.
Vindicta. p.288. nu.52.
Virtutes quare dicantur arma lucis. pag. 302.nu.36.
Virtutes & opera pietatis ſunt ſigna quibus dignoſci poteſt, an Spiritus ſanctus ſit alicuius humani pectoris habitator. p.165. n.25.
Virtus nulla eſt tam inſignis, quam impij vitio non tribuant. p.224.n.56.
Virtutum opera, non tam quod merita noſtra ſint, quàm quod dona Dei, laudibus ſunt efferenda in præſenti vita: Deus enĩ eſt, qui quatenus ſunt merita, laudabit, remunerabitq; in futura vita. p.11.nu.25.
Virtus Dei eſt tanta, vt malum omnino impediret, niſi aliquod bonum ex malo elicere poſſet. p.c.1.n.20.

Vita æterna, cur dicatur gratia. pag.128. nu.58.
Vitia & peccata ſecum adferre videntur ſuplicium. p.127. n.53.
Viuere ex fide quid ſit. p.18. n.18.
Vnctionibus quæ in lege fiebant, quid præſignabatur. p.2. n.2.
Vnctus fuit dominus Ieſus, quatenus homo, oleo inuiſibili gratiæ Spiritus ſancti, præ participibus ſuis. ibid.
Vngebantur olim in lege, Reges, Sacerdotes, & Prophetæ. ibid.
Vnuſquiſq; in ſuo ſenſu abundet, exponitur. p.310. nu.13.
Vocatio, quid ſignificet. p.197. n.89.
Vocatio duplex. p.197. n.86.
Vocatio & iuſtificatio, ſunt ſimul tempore. 197. n.89.
Vocatio, eſt amoris effectus, vocationis verò opus, ſanctitas. p.10. n.22.
Vocati, in veteri teſtamento, dicebantur qui ad munus aliquod obeundum aſſumebantur à Deo. p.2. n.3.
Vocatio Pauli ad Apoſtolatum fuit mirabilis, & à vocationibus aliorum Apoſtolorum modus diuerſus quo vocatus eſt. ibid.
Voluntatem Dei ſolam facere optabat Paulus. p.14. n.33.
Voluntas, in ſacris litteris, quare ſignificatur nomine cordis. p.48. n.41.
Voluntas ſigni, quæ dicatur. p.271. n.15.
Voluntas Dei, cibus Chriſtianorum. p.240. nu.25.
Vox illa tremebunda extremi iudicij Dei, ite maledicti, &c. maiori erit improperio, hominibus impœnitentibus qui pœnitere noluerunt, quàm Angelis qui non potuerunt. p.38. n.7.
Vrbanitas Apoſtolica. p.225. n.1.

X.

Xenodochia extruebantur in primordijs Eccleſiæ, aduenis & peregrinis conſolandis. p.282. n.39.

Z.

Zelus Heliæ Prophetæ. p.242. nu.5.

FINIS INDICIS.

1-5-3